1547/2

MABILLON

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/museumitalicumse01mabi_0


MUSEUM ITALICUM SEU COLLECTIO VETERUM SCRIPTORUM EX BIBLIOTHECIS ITALICIS,

Eruta a D. JOHANNE MABILLON, *&* D. MICHAELE GERMAIN *presbyteris & monachis Benedictinæ Cong. S. Mauri.*

TOMUS I.

IN DUAS PARTES DISTINCTUS.

PRIMA PARS COMPLECTITUR EORUMDEM ITER ITALICUM LITTERARIUM: altera vero varia Patrum Opuſcula & vetera monumenta, cum Sacramentario & Pænitentiali Gallicano.



LUTECIÆ PARISIORUM,

Apud { Viduam EDMUNDI MARTIN, JOHANNEM BOUDOT, & STEPHANUM MARTIN. } in via Jacobea, ad Solem aureum.

Anno M DC LXXXVII.

CUM PRIVILEGIO ET SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI

CAROLO MAURICIO TELLERIO

REMORUM ARCHIEPISCOPO DUCI,
PRIMO FRANCIÆ PARI,
S. SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO NATO,
GALLIÆ BELGICÆ PRIMATI &c.

R*EVERSIS ex Italico itinere, cujus tu ipſe auctor,* PRIMAS ILLUSTRISSIME, *ac patronus eſſe dignatus es, longe alius modo animus, quam cum iter illud iniremus aut perſequeremur, nobis ineſt, longe alia mentis agitatio. Ita enim totius noſtræ profectionis ſeriem ac modum, quæ tua providentia*

eſt, diſpoſueras, ut ipſos itineris & ſtudiorum, qui paßim devorandi erant, labores promto atque hilari animo ſubiremus, dum nobis arridere ac patere omnia, nihil niſi blandum ac jucundum occurrere cerneremus. Nunc autem perfecto demum itinere, ventum eſt ad partem deſtinati operis longe graviſſimam; noſque altior tenet ſollicitudo & anxietas, ne ſcilicet rei exitus tuæ de nobis ac publicæ exſpectationi non reſpondeat.

Cum enim in hanc peregrinationem nos induxeris, ſimul ut aliquid utilitatis Eccleſiæ, reique litterariæ inde accederet; ſimul ut conquiſitis regia Bibliotheca libris fieret locupletior: nulli quidem diligentiæ, quo minus injuncto nobis officio fieret ſatis, nos defuiſſe exiſtimamus: an vero aliquid tanto molimine dignum retulerimus, tuum erit aliorumque judicium, quod merito reformidamus. Atque utinam tibi uni hujuſce negotii rationem reddituri eſſemus. Sane adduceremur in certam ſpem, opellam noſtram tibi, pro tua in nos benignitate, non ingratam fore. At quoniam in gratiam rei publicæ litterariæ id aggreſſus es, profecto verendum eſt, ne, qui hoc beneficio tibi obſtricti eſſe debent, litterati homines nobis ſuccenſeant, quaſi noſtras partes non ſatis glorioſe ſimus exſecuti. Nam etſi non deerunt, ut ſperare licet, æqui rerum æſtimatores, qui noſtros conatus, noſtramque induſtriam æqui bonique conſulant: erunt fortaſſe etiam moroſiores

nonnulli, quibus hæc, quæ modo in lucem edimus, non ſatis illuſtria & exquiſita videbuntur; noſque parum idoneos, qui tantum opus tractaremus, cenſere, vel etiam dicere non dubitabunt. Quaſi in noſtra fuerit poteſtate, ut res omnium præclariſſimæ, vel ad cujuſque guſtum accommodatæ nobis occurrerint: ac perinde ſit res ipſas nobis, atque nos ipſis rebus defuiſſe.

At illud in primis nos ſollicitat, quod LUDOVICI MAGNI *juſſu, te ſuggerente, in hanc provinciam inducti ſumus: quod regiis ſumtibus totum illud iter confecimus: quod denique nihil niſi magnum ac præclarum ſub talibus auſpiciis edendum eſt. Et ſane non ſatis tanti Nominis dignitatem intelligeremus, niſi ex hoc maxime oneris noſtri magnitudinem metiremur: ac pæne deſperaremus officiis noſtris bene conſultum iri, niſi te, quo itineris auctore gloriamur, eumdem quoque aſſertorem ac vindicem haberemus.*

Nunc itaque res poſtulat, ILLUSTRISSIME PONTIFEX, *ut tuum de nobis tueare judicium: ne quod ad Eccleſiæ, litterarumque profectum te inſpirante ſuſceptum eſt, præcipiti quorumdam cenſura obſcuretur, aut concepto fructu careat. Non ſoles imperfecta deſerere opera tua: quin immo ea conſtanti ac firmo propoſito ad abſolutam perfectionem urges ac perducis. Hoc quippe præclara illa Cleri tui forma, quem tuis legibus in priſtinum*

ſplendorem reſtituiſti : hoc Paſtorum, ſacrorumque miniſtrorum pia inſtitutio, accuratiſſimus delectus, ac probati mores : hoc Seminarii in urbe tua primaria per te novis ſubſtructionibus inſtaurati atque dotati ; & alterius apud Sedanum erecti exacta diſciplina : hoc tua in proſelytos pervigil cura & paſtoralis ſollicitudo : hoc denique aſſertæ judiciis tuis in provincia Remenſi eccleſiaſticæ regulæ, ſatis ſuperque omnibus teſtatum ac manifeſtum reddunt. Nulli obices, nullæ difficultates infractum animum tuum a ſuſcepto ſemel opere avocant, aut retardant. Preſſis conſtanter inſiſtis veſtigiis : atque ita rerum agendarum conſecutiones cernis, ut promtum facilemque exitum res omnes, quantumlibet arduæ, te duce inveniant.

Quod ſi ea eſt in rebus difficillimis virtus & auctoritas tua, longe tibi facilius erit his laboribus noſtris gratiam conciliare apud omnes. Jam noſtram in libris comparandis, quibus ad tria fere millia Bibliotheca regia aucta eſt, operam approbaſti. Perge ſelectis a nobis veterum monumentis ſuffragari. Tu nobis unus inſtar multorum millium eris ; nec alii minime moroſi ac tetrici ſuffragium audebunt ſuum denegare, ubi tuum præceſſiſſe intellexerint. Ceterum id optamus, non tam ut plauſum, a quo prorſus alieni debemus eſſe, nobis conciliemus, quam ut ne te ſuſcepti pro Eccleſia, pro litteris negotii aliquando pæniteat.

Quamquam non ita abjecte forſan ac timide de rebus noſtris ſentire debemus, ut æqua & propitia de his cordatorum hominum judicia nobis ſperare non liceat. Difficile enim eſt, ut in tanta rerum varietate unuſquiſque aliquid pro ſuo captu guſtuque vel in his, vel in illis, quæ poſtmodum edituri ſumus, non inveniat: & cum in utriſque nonnulla ſint, quæ Eccleſiæ, tum univerſæ, tum maxime Gallicanæ, opportuna & fructuoſa fore non dubitamus; fieri vix poteſt, ut litterati etiam homines aliquem ex his fructum non capiant. Verum ea noſtra eſt de tua beneficentia opinio, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, *ut cum etiam perfecerimus quod valemus; minus nobis feciſſe videamur quam debemus. Tuum erit de tua benignitate quod nobis, de tua auctoritate ſupplere quod operi deeſt.*

AD STUDIOSOS

AD STUDIOSOS LECTORES.

I. HABES in hoc libro, STUDIOSE LECTOR, Italici noſtri Itineris primitias in ſpecimen aliorum librorum, qui ſubinde, favente Deo, ſubſequentur. Quid in hoc primo volumine contineatur, ſubjectus index aſſignabit. In aliis collectio ſacrorum rituum eccleſiæ Romanæ, variæ Patrum, veterumque auctorum ſcriptiones, clarorum virorum epiſtolæ, atque id genus alia, quatuor aut quinque voluminum materiam ſuppeditabunt. Titulum operi imponimus, MUSEUM ITALICUM, aliis fere omnibus jam occupatis. Hujuſce inſcriptionis cauſas, quando ſatis per ſe ipſæ patent, exponere otioſum fuerit.

II. Primum hunc librum tribuimus in partes duas. Priorem obtinet Itineris noſtri deſcriptio, quam aliquanto fuſiorem, ſuadentibus amicis, fecimus: poſteriorem minutiora opuſcula, cum prolixiora in tam brevi ſpatio congerere non liceret. In Itinere deſcribendo ea quæ ad litteras, cum ſacras, tum profanas pertinent, præcipue conſectamur: aliis mores populorum, res civiles ac politicas, deſcriptiones regionum atque urbium permittimus. Nobis vero bibliothecæ,

vetera monumenta & cimelia, inſcriptiones, viri doctrina & eruditione præſtantes, narrationis argumentum ſubminiſtrabunt. Aliquando etiam ſignis, ſtatuiſque contemplandis tantiſper immorabimur: quorum illa inanibus gentilium diis; hæ præclaris illuſtribuſque viris proprie conveniunt. Picturis etiam & tabellis nonnumquam locus erit. Habent enim res hujuſmodi non parum momenti ad rem litterariam. Bibliothecas diligentius perſcrutamur, quarum vel rudem notitiam exhibere, vel quamdam memoriam conſervare juvat. Sunt enim ſua fata etiam bibliothecis. Jam ex iis quas aliquando perluſtravimus, duas non ſine magno rei litterariæ detrimento igni corruptas accepimus, nempe Gemblacenſem in Belgio ante aliquot annos; & apud Venetias ſancti Antonii in Caſtello Canonicorum regularium ſancti Salvatoris, poſt noſtrum ex illa urbe diſceſſum. Harum bibliothecarum ne unum quidem folium ſupereſſe, cum utraque vetuſtis atque optimæ notæ codicibus abundaret, magnopere dolemus.

III. De viris litteratis, quos in Italia novimus, audire non ingratum erit iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum: nec iiſdem diſplicebunt epitaphia mortuorum illuſtrium, nondum vulgata, quæ identidem referimus. Unum eſt Stephani Platynæ, (ita enim ſcribere nomen ſuum amat cum y græco, quemadmodum Johannes exarchus, cognomento *Platyn* in vita Sergii papæ primi appellatur.) Prædictum epitaphium Platyna ejus frater, celebris ſcriptor, compoſuit, ac ſibi etiam commune eſſe voluit, Baptiſta paſſim, Bartholomæus Trithemio aliiſque appellatus. Quod idcirco hoc loco retractamus, ne qua errandi occaſio ex Pag. 66. iis, quæ in Itinere noſtro diximus, incautis pateat. Porro

ut veteres inſcriptiones non raro adduceremus, auctores nobis fuerunt magni viri, qui vel ex illis integra volumina condiderunt, vel de earum uſu atque utilitate ſcripſerunt. Hos inter Antonius Auguſtinus, Hiſpanorum decus, nonum dialogum hoc de argumento conſtituit ex illis undecim, quos de Nummis veterum compoſuit.

IV. Quod attinet ad tabellas & picturas, obſervatione dignæ ſunt picturæ illæ de Baptiſmo, quas ex tumulo quodam Neapolitano exhibemus. Ex his probatur Pag. 73.
Baptiſmi ritus per immerſionem ſimul ac ſuperfuſionem: ita ut merſo in aquam ad collum uſque corpore, aqua ex urceo in caput effunderetur. Huic tamen ritui obſtat quod Luciferianus apud Hieronymum *per traditionem in eccleſiis* obſervatum ait, *in lavacro ter caput mergitare.* Verum fortaſſe non ubique, aut non ſemper receptum: ſed aliquando indultum majoris facilitatis cauſa, ut ſuper capita baptizandorum aqua ſuperfunderetur. Sed hæc peculiarem tractationem exigunt, quam in aliud tempus magis opportunum reſervamus. De ſacra Chriſti effigie, quæ Veronicæ vulgo tribuitur, nonnulla item in noſtro Itinere obſervantur: ubi teſtimo- Pag. 88.
niis veterum oſtendimus, ipſam effigiem *Veronicam* ab antiquis ſolitam appellari: quibus adde Matthæum Pariſium initio vitæ Henrici tertii. De hac effigie egit Gretſerus in Syntagmate de Imaginibus non manu-factis cap. XVII. ubi ſcite advertit, hanc effigiem ab Anaſtaſio Bibliothecario *acheropitam* ſeu ἀχειροποίητον dici in vita Stephani tertii, id eſt non manu-factam. Hanc imaginem cum aliis ex ſuæ ſectæ præjudicio recens impugnavit Johannes Reiskius in Exercitationibus hiſtoricis, quæ Jenæ ante biennium in lucem prodierunt.

V. In altera hujuſce voluminis parte primas tenent Homiliæ duodecim ineditæ ſancti Maximi epiſcopi Taurinatis. Has homilias ipſi vindicat Præfatio, quam iiſdem homiliis ſuo loco præmiſimus. In homilia octava, quæ eſt de Natali Domini, reperitur totidem verbis fragmentum illud, quod Auguſtini ſermoni undecimo de eodem feſto inſertum fuiſſe in nova editione obſervatum eſt. Exſtat Ambroſii conſimilis locus apud Caſſianum relatus in libro VII de Incarnatione Domini capite XXV. ſed cum hoc tamen diſcrimine, quod Ezechielis verſus de *porta ſemper clauſa*, neque in noſtra editione, neque in fragmento Auguſtiniano reperitur.

VI. Non eſt quod multum ceteris recenſendis immoremur, quando ſingula opuſcula vel monumenta præfixæ Admonitiones, aut ſubjunctæ Obſervationes ſatis illuſtrant. Nonnulla tamen, quæ nobis exciderunt ſuis
Pag. 38. locis, hic paucis indicare juvat. In vita Hadriani papæ primi nihil deeſt ad hæc verba, ubi is Romanus dicitur, *ex regione via Lata.* Nam viam Latam etiam regioni ſuæ, (quæ nunc alio nomine *Trevii* appellatur) vocabulum dediſſe conſtat, cum ex ipſius Hadriani actis apud Anaſtaſium, tum ex actis Valentini & Stephani ſexti, qui *ex regione via Lata* oriundi perhibentur. De Hadriani loco ſepulturæ non conſentit auctor noſter cum Anaſtaſio, qui Pontificem *in baſilica beati Petri apoſtoli* ſepultum fuiſſe ſcribit: cum noſter eumdem in Nonantulano monaſterio tumulum habuiſſe commemoret.

Pag. 57. VII. Narratio contentionis de cella ſanctæ Mariæ in Minione, quæ inter Farfenſes monachos & cœnobitas ſanctorum Coſmæ & Damiani in Mica-aurea inter-

ceſſit, multa continet de moribus illius ætatis, ſcitu non indigna. Cœnobium ſancti Coſmæ Romæ ſitum erat in vico-aureo trans Tiberim, ſancto Franciſco Aſſiſinati traditum à monachis noſtris ſancti Pauli in Urbe, in quorum manus devenerat; nunc domus Clariſſarum, vulgo dicta *S. Coſmate in Traſtevere.* quam notitiam ab illuſtriſſimo Ciampino nuper accepimus.

VIII. In epiſtola Gauderici Veliterni epiſcopi legitur, *Pag.* 78. eccleſiam beati Clementis titulo apud Veliternum tunc exſtitiſſe; & Johanni Diacono, qui vitam Gregorii M. quatuor libris abſolvit, cognomentum fuiſſe HYMONIDEM. quod utrumque Anaſtaſii Bibliothecarii teſtimonio comprobari poſſe poſtea deprehendimus. Is enim de Leonis tertii rebus geſtis agens ait, eum dono dediſſe ſacram veſtem *in eccleſia beati Clementis, quæ ponitur in Velitris.* Idem in Hadriano ſecundo teſtatur, *Epiſcopum Veltrienſem*, nempe prædictum Gaudentium, *& Stephanum Nepeſinum, ſed &* JOHANNEM *cognomento* HYMMONIDEM, quos Ludovicus Auguſtus, eo nomine ſecundus, ex falſa criminatione proſcripſerat, ejuſdem Hadriani rogatu ab exſilio fuiſſe revocatos.

IX. Poſtremo loco, ut cetera omittamus, habetur SACRAMENTARIUM GALLICANUM, ſeu vetus Liturgia Gallicana, quam nobis ſuppeditavit codex Bobienſis, ante annos mille exaratus. Deſunt in eo Miſſarum Canones illi quotidiani, quales in Miſſali Gothico exhibuimus, nempe in libro de Liturgia Gallicana. Unus hic pro omnibus eſt Canon Romanus, qui ante admiſſum Romanum Miſſæ Ordinem a Gallis receptus fuit. Atque adeo in hoc Sacramentario deſiderantur illa teſtimonia, quæ pro vera ac reali Chriſti corporis & ſanguinis in Sacramento præſentia retuli-

mus in Præfatione ad Liturgiam Gallicanam. Non deſunt tamen hic alia ad eamdem veritatem confirmandam, ut in Conteſtatione ſecundæ Miſſæ quadrageſimalis. *Hunc Panem, Domine, nobis miniſtrare non deſinas, quem ut ſitiamus indeſinenter hortaris: cujus* CARNE *a te ipſo ſanctificata dum paſcimur, roboramur; &* SANGUINE *dum potamur, abluimur.* Item in Conteſtatione Miſſæ in Symboli traditione: *Per iſtum immolatum Panem & Sanguinem nos repara.* ubi *Panis* nomine caro Chriſti intelligitur, ut patet ex ſubjuncta *Sanguinis* mentione. Sed illud in primis probat veterum Gallorum de Euchariſtia perſuaſionem, quod, ſi quando hæc caſu in terram vel in quemlibet extra altare & vaſa ſacra locum cecidiſſet; id tanta cautione & religione (ut in Pænitentiali, quod Sacramentario noſtro adjunctum eſt, advertere licet) expiabant, ut fungos fuiſſe neceſſe ſit homines illos, qui id agebant, niſi aliquid aliud in Euchariſtia præter vacuam inanemque figuram crediderint. Porro ex eodem Sacramentario, aliiſque Gallicanis Liturgiis alias a nobis editis, probatur etiam Miſſæ Sacrificium, invocatio Sanctorum, ſacrarum reliquiarum veneratio, preces & ſuffragia pro defunctis. Inſignis eſt locus de ſuffragiis Sanctorum in Conteſtatione Miſſæ de uno Confeſſore. *Cui* INSPIRA, *miſericors Deus, intercedere tibi pro nobis: ut quem feciſti de ſua felicitate ſecurum, facias pro noſtra liberatione ſollicitum.* Atque adeo inſpirantis eſt gratiæ divinæ, ut Sancti in cælo pro nobis ſolliciti ſint. qui locus catholicam ſententiam mire illuſtrat. Poſtremo ex eodem Sacramentario perantiquo, aliiſque ſimilibus probatur linguæ Latinæ uſus in rebus ſacris, in quibus nulla uſquam alia primis illis temporibus recepta fuit apud Latinos. Unde mi-

Pag. 394. & 395.

Pag. 348.

rum eſt, heterodoxos, qui nos ad veterem Eccleſiam provocare ſolent, linguæ vulgaris uſum in ſacra noſtra velle inducere. *Sed quid dicam, Fratres? Non eis iraſcamur: ſed pro eis oremus, ut det eis Dominus intellectum, quia forte hoc nati ſunt. Quid eſt, hoc nati ſunt? Hoc acceperunt a parentibus ſuis quod tenent. Præponunt genus veritati. Fiant quod non ſunt, ut poſſint ſervare quod ſunt, hoc eſt,* FIANT CATHOLICI, *ut poſſint ſervare quod homines ſunt. Ut non in illis pereat Dei creatura, accedat Dei gratia.* Quod quidem totis votis & animis optamus.

Auguſtin. ſerm. 139. ad popul. num. 5.

X. Quod ſi forte minus hæc alienæ communionis hominibus profecerint; ſaltem, Deo juvante, ſperamus, opus noſtrum ceſſurum in uſus catholicæ Eccleſiæ, cui nos laboreſque noſtros jam dudum conſecravimus.

INDEX CONTENTORUM
IN DUPLICI HUJUS TOMI PARTE.

IN PARTE I.

ITER ITALICUM LITTERARIUM. pag. 1.
Taurinum, Vercellæ, Novaria, 7
Mediolanum, 11
Brixia, Verona, Vicentia, 22
Patavium, 26
Venetiæ, 30
Ravenna, &c. 38
Roma, 47
Neapolis, &c. 99
Monaſterium Cavenſe, 116
Caſinenſe & Sublacenſe, 119
Roma ſecundo, 130
Senæ, 158
Florentia, &c. 160
Bononia, 195
Patavium, & Venetiæ ſecundo, 203
Mantua, Parma, Placentia, 207
Mediolanum ſecundo, 210
Ticinum, & Bobium, 215
Dertona, Genua, Taurinum, &c. 223

IN PARTE II.

IN *S. Maximi epiſcopi Taurinenſis homilias Præfatio,* pag. 1
Homilia I *De Barbaris non timendis,* 9
II *Ejuſdem argumenti,* 11
III *Item ejuſdem,* 14
IV *De Ninivitis,* 16
V *De Kalendis Ianuariis,* 17
VI *De defectu lunæ,* 19
VII *Dictum ante Natale Domini,* 21
VIII *De Natali Domini,* 23
IX *Poſt Natale Domini,* 25
X *De hæreticis peccata vendentibus,* 27
XI *Quod non debent clerici negotia ri,*
XII *De corpore Domini,* 30
Libri Diurni Romanorum Pontificum ſupplementum, 32
Hadriani Papæ vita, auctore anonymo monacho Nonantulenſi, 38
Capitularia quædam, 44
Præceptum Luponis Ducis Spoletani, 50
Placitum ejuſdem, 52
Adalhardi abbatis, Miſſi Dominici in Italia, Placitum, 54
Contentio de Cella S. Mariæ in Minione, 57
Index Ducum Spoletanorum, & Abbatum Farfenſium, 63
Iohannis Diaconi epiſtola ad Senarium virum illuſt. 69
Gauderici epiſcopi Veliterni epiſtola,

tola, 78
Anaſtaſii Bibliothecarii variæ epiſtolæ, 80
Concilium Romanum in cauſa Formoſi, 86
Gezonis abbatis epiſtola de corpore & ſanguine Domini, 89
Pauli & Gebehardi Canonicorum Ratiſponenſium epiſtolæ tres de ritu Ambroſiano, 95
Martini Theſaurarii Ambroſiani de eodem argumento, 98
Obſervationes ejuſdem argumenti, 99
Index vetuſtiſſimus Epiſcoporum Mediolanenſium, 109
Manaſſæ archiepiſcopi Remenſis Apologia, 117
Noviomenſium clericorum epiſtola de filiis clericorum, 128
Hiſtoria belli ſacri ſub Vrbano II *auctore anonymo æquali*, 130
Stephani Comitis Carnotenſis epiſtola ejuſdem argumenti, 237
Epiſtolæ formatæ, 240
Synodus Verulanenſis ſub Paſchale II, 242
Græcorum confeſſio de Euchariſtia, edita in Concilio Florentino, 243
Acta ſanctorum martyrum Nicandri & Marciani, 247
Fabiani Bencii vita, auctore Auguſtino Patricio epiſcopo Pientino, 251
Deſcriptio adventus Friderici III *in Vrbem, ex eodem auctore*, 256

SACRAMENTARIUM GALLICANUM.

Præfatio in Sacramentarium Gallicanum, 273
Lectiones cottidianæ, 278
Miſſa Romenſis cottidiana, 279
Lectiones & Miſſæ de Adventu Domini, 283
Miſſa in vigilia Natalis Domini, 289
Miſſa in Natali Domini, 290
Miſſa in feſto ſancti Stephani, 291
Miſſa de ſanctis Innocentibus, ibid.
Miſſa de ſanctis apoſtolis Iohanne & Iacobo, 293
Miſſa in Circumciſione, 294
De Epiphania, 295
In Cathedra S. Petri, 297
In Miſſa ſanctæ Mariæ, 298
In aſſumptione ſanctæ Mariæ, 300
Initio Quadrageſimæ, 301
Aliæ Miſſæ in Quadrageſima, 303 & ſeqq.
In Symbolum ad aurium apertionem, 310
Miſſa in traditione Symboli, 313
In Cæna Domini, 315
Legenda in Paraſceve, 317
Officium Sabbati ſancti, 319
Benedictio cerei, 321
Ordo Baptiſmi, 322
Miſſa in vigiliis Paſchæ, 325
Die ſancto Paſchæ, 327
Aliæ Miſſæ Paſchales, 329

& ſeqq.
Miſſa in Inventione ſanctæ Crucis, 332
In Letaniis, 334
In Aſcenſione, 336
In Quinquageſimo ſeu Pentecoſte, 337
Miſſa ſancti Iohannis, 339, 341.
Poſt Miſſam ſancti Iohannis, 340
In ejuſdem Paſsione, 341
In natali apoſtolorum Petri & Pauli, 342
Miſſa Sigiſmundi regis, 344
Miſſa de communi ſanctorum Martyrum, 345
De communi unius Martyris, 346
De uno Confeſſore, 347
In depoſitione ſancti Martini, 348
De una Virgine, 350
In dedicatione eccleſiæ, 351 & ſeq.
Miſſa pro infirmis, 351
Miſſa in honore ſancti Michaëlis 356
Pro iter agentibus, ibid.
Miſſa Sacerdotis pro ſe ipſo, 357
Miſſa omnimoda, 359
Miſſæ votivæ, 360 & ſeqq.
Miſſa pro vivis & defunctis, 363
Miſſæ Dominicales, 364 & ſeq.
Miſſa pro Principe, 378
Aliæ Miſſæ Dominicales, 379 & ſeqq.
Miſſa in depoſitione Sacerdotis, 384
Item Miſſa pro defunctis, 385
Exorciſmum ad ſalis ſparſum faciendum. 386
Oratio in domo 387
Oratio ad conſecrandas monachas, ibid.
Ad velandum Virginem, 388
Benedictio Abbatiſſæ, ibid.
Benedictio ſuper viduam veſte mutandam ibid.
Oratio thalami ſuper nubentes, ibid.
Oratio ſuper eos qui ſecundo nubunt, 389
Benedictio de omni quod in eccleſia offertur, ibid.
Benedictio calicis, patenæ, & turris, ibid.
Benedictio ſuper eum qui in ecſia primitus tondetur, ibid.
Benedictio ſuper puteum, ibid.
Benedictio ſuper vas immundum, 390
Benedictio palmæ & olivæ, ibid.
Benedictio agni in Paſcha, ibid.
Benedictio pomorum, ibid.
Benedictio ad menſam & poſt menſam, 391
Orationes veſpertinæ & matutinæ, ibid.
Exorciſmum & benedictio olei, 392
Liber Pænitentialis eccleſiæ Gallicanæ, ibid.
Ratio inſtitutionis divinorum officiorum, 395
Symbolum Apoſtolorum, 396
Canon librorum ſacrorum, ibid.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE : A nos amés & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de nôtre Hôtel, grand Conſeil, Baillifs, Senéchaux, Prevoſts & leurs Lieutenans, & à tous autres Juſticiers & Officiers qu'il appartiendra, SALUT. Nôtre cher & bien amé Dom JEAN MABILLON Religieux Benedictin de la Congregation de ſaint Maur, Nous a fait repreſenter que dans le voyage qu'il vient de faire en Italie où il a eſté par nôtre Ordre, pour rechercher dans les anciennes bibliotheques de ce pays-là, ce qu'il pourroit y découvrir d'utile pour l'Egliſe & curieux pour l'hiſtoire : Il auroit trouvé une tres grande quantité de pieces rares non encore imprimées, & dont la publication ſeroit tres avantageuſe au public, leſquelles il feroit volontiers imprimer s'il Nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de permiſſion pour ce neceſſaires. A CES CAUSES voulant favorablement traitter ledit Expoſant, en conſideration deſdites pieces & des autres ouvrages qu'il a deja mis en lumiere, qui ont eſté bien receus du Public ; Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes de faire imprimer le recuëil des diverſes pieces qu'il a apportées d'Italie, ſous le titre de *Muſeum Italicum, ſeu collectio veterum ſcriptorum ex bibliothecis Italicis*, par tel Libraire & Imprimeur qu'il luy plaira choiſir, en tels volumes, marges & caracteres, en autant de volumes & tout autant de fois que bon luy ſemblera, pendant le temps & eſpace de quinze années, à compter du jour que chacun deſdits volumes aura eſté achevé d'imprimer pour la premiere fois, pendant lequel temps Nous avons fait & faiſons tres-expreſſes inhibitions & deffenſes à tous Libraires & Imprimeurs de noſtre Royaume, pays, terres & ſeigneuries de noſtre obeïſſance, & à toutes autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles puiſſent eſtre, d'imprimer ou faire imprimer vendre ny debiter leſdits volumes ſans le conſentement exprez de l'Expoſant, ou de celuy ou ceux qui auront droit de luy, ſous pretexte de changement de titre, augmentation, impreſſion eſtrangere, nottes, additions marginalles, ny autrement, en quelque ſorte & maniere que ce puiſſe eſtre, ſur peine de dix mil livres d'amande, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'hôpital general de Paris, & l'autre tiers à l'Expoſant, où à celuy ou ceux qui auront droit de luy, de confiſcation des exemplaires qui ſe trouveront contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts, à la charge neanmoins de mettre deux exemplaires de chacun deſdits volumes, en nôtre cabinet du château du Louvre, & un autre dans celle de nôtre tres-cher & feal le Sieur Boucherat, Chevalier Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, & à condition auſſi de faire imprimer ledit Livre en beau caractere & ſur de bon papier conformement à nos reglemens; & faire regiſtrer ces preſentes és regiſtres de la Communauté des marchands Libraires de nôtre ville de Paris, à peine de nullité des preſentes : du contenu deſquelles Nous vous mandons & enjoignons de faire joüir & uſer plai-

nement & paiſiblement l'Expoſant, & celuy ou ceux qui auront droit de luy, ceſſant & faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement où à la fin deſdits volumes copie ou extrait des preſentes, elles ſoient tenuës pour duëment ſignifiées, & que foy y ſoit ajoûtée, & aux copies d'icelles collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers Secretaires, comme à l'original. Commandons au premier nôtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis de faire pour l'execution des preſentes tous exploits, ſignifications, deffenſes, ſaiſies, & autres actes requis & neceſſaires ſans pour ce demander autre permiſſion, nonobſtant clameur de Haro, charte Normande, Edits, Declarations, Arreſts, Reglemens, Statuts & confirmation d'iceux, oppoſitions ou appellations quelconques, dont ſi aucuns interviennent & contraventions à ces preſentes, nous reſervons la connoiſſance à Nous & à nôtre Conſeil, & l'interdiſons à tous autres Juges, CAR tel eſt nôtre plaiſir. DONNE' à Verſailles le neuviéme Janvier l'an de grace mil ſix cens quatre-vingt ſept, & de nôtre regne le quarante-quatriéme. Par le Roy en ſon Conſeil, GALLOYS.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 17 Janvier 1687 ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8 Avril 1653 & celuy du Conſeil privé du Roy du 27 Février 1665.

Signé, C. ANGOT *Syndic.*

Ledit R. P. Mabillon a cedé ſon droit audit Privilege au ſieur BOUDOT, ſuivant l'accord fait entr'eux, en date du 3. Avril 1687.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois en vertu des Preſentes le 23. Juillet 1687.

MONITUM.

ITineris Italici pag. 231. de duabus illis figuris, quæ extremæ ſunt in muſivo ſancti Theodori ſuſpendendum eſt judicium, dum ampliorem de his notitiam habuerimus. Incertum quippe eſt, num potius Regem ac Reginam exhibeant, quam Pontificem ac Regem: nec lilia in veſte apparent ſecundæ imaginis, nec corona radiata, ut ex amicis accepimus, qui rogatu noſtro hanc picturam examinarunt.

ITER

ITER
ITALICUM
LITTERARIUM

Annis M DC LXXXV & M DC LXXXVI.

ITER ITALICUM LITTERARIUM.

DE rebus Italiæ nec ſilere officii ratio; nec fere novā ſcribere, nobile quidem, ſed tritum ac vulgare argumentum nos ſinit. Quid enim de Italia dicturi ſumus, quod ſexcenti ante nos auctores, tam antiqui, quam recentiores, non retulerint: aut quod itinerum ſcriptores, ipſique adeo peregrini non decantent? Nulla Italiæ, non dico regio vel civitas; ſed nec ulla villa tantiſper inſignis ſine ſuo ſcriptore aut præcone; immo nullus fere lapis ſine interprete reperiri poteſt. Quod ſi de bibliothecis agitur, Italicas omnes, aut prope omnes, inſpexerunt, excuſſerunt, & tantum non expilarunt viri omnium gentium eruditiſſimi & curioſiſſimi: ita ut nihil ab eis relictum videri poſſit, niſi quod aut conſulto prætermiſſum, aut reſervatum in aliud tempus, aut denique a poſſeſſoribus impetratum non fuit. Dabunt itaque veniam, ſi nota quandoque ac vulgata ſcribimus, qui nos ad ſcribendum impellunt, litterarum amatores: quibus prorſus indignum videtur, præſentes ac poſteros fraudare commemoratione beneficii, quod publica res litteraria, ſi non per nos, certe in nobis ab itineris noſtri auctore accepit.

Prima hujuſce itineris cogitatio incidit in mentem illuſtriſſimi Remorum Antiſtitis CAROLI MAURICII TELLERII, cui jucundiſſimum fuit publicum hoc dare teſtimonium ſui in litteras amoris, quem multis jam argumentis teſtatus erat. Is aliquando REGI cum ſuggeſſiſſet, ſe, ſiquidem ſuæ Majeſtati placeret, indu-

xiſſe animum, ut quemadmodum in Germaniam ante biennium ab illuſtriſſimo Colberto litterarum cauſa regiis impenſis directi fueramus; ita etiam in Italiam ad luſtrandas illarum partium bibliothecas nos ipſe iiſdem impenſis mitteret; laudato ejus conſilio, Rex libenter id præſtare ſe velle dixit, non modo ut Italiæ luſtrarentur bibliothecæ, ſed etiam ut in regiæ ſupplementum libri novi ex illis regionibus compararentur. Sic nihil Ludovici Magni providentiæ ſubducitur: qui ita ſumma & maxima curat, ut nec minora dedignetur.

Tanti Principis juſſis pro modulo incunctanter ac ſedulo paruimus. Italiæ bibliothecas, veteres ac novas, perluſtravimus, ipſaſque adeo librariorum officinas: ex quibus Bibliotheca regia non mediocrem acceſſionem cepit. Nunc vero de toto noſtro itinere à nobis reddenda ratio eſt, & proferenda in lucem, quæcumque tum ex publicis monumentis, tum ex privatis ſcriniis exprimere potuimus. In hac autem narratione ſi quædam ab aliis jam dicta repetere ipſa cogit itineris ſeries; in ceteris tamen conabimur aliam inire viam: dabimuſque operam, ut rebus edendis delectus & utilitas pretium, aut novitas gratiam addat & varietas. Porro is præcipuus hujuſce narrationis ſcopus ac fructus erit, ut Italicarum notitiam bibliothecarum exteris hominibus, qui litteras amant, præbeamus. quæ res ab eis, qui Italica itinera ſcripſerunt, leviter delibata, & quaſi integra relicta eſt. Faciemus etiam, quoad in nobis erit, ut viri litterati, quos quidem in Italia novimus, in noſtrorum cognitionem veniant: quo non ſolum ex mortuorum ſcriptis & recordatione, ſed etiam ex vivorum notitia narratio noſtra evadat, uti certe optamus, jucundior ac fructuoſior.

Ann. 1685. Aprili.

I. IGitur in Italiam profecturi, ego ſcilicet ac noſter Michael Germanus, prima die Aprilis anni M DC LXXXV. quæ dies Quadrageſimæ Dominica quarta erat, Lugdunum verſus iter inſtituimus, perfecimuſque intra quinque dies, partim celeri rheda, partim Araris ſecundo flumine: in exſcenſu è navicula excepti, atque in ædes Aniſſonianas adducti ab humaniſſimo viro Johanne Aniſſonio, cive ac bibliopola Lugdunenſi, qui nobis fratrem ſuum Jacobum itineris comitem, ut in conquirendis comparandiſque libris adjutor eſſet, ex illuſtriſſimi Remorum Archiepiſcopi voluntate adjunxit. Poſt triduum, quod parandis rebus itineri neceſſariis inſumtum eſt, conductis

in ſex dies equis Auguſtam Taurinorum contendimus. Ann. 1685. Aprili.

IX. Et primo quidem * Saxiacum prætergreſſi, ſub veſperum in opido, quod * Turris-pinus appellatur, ægre hoſpitium impetrare potuimus, propter adventum Ducis Genuenſis: qui, obſequium imperatum Reipublicæ ſuæ nomine Regi perſoluturus, tum in Galliam accedens, ipſo die cum ſuo comitatu ibidem pernoctavit.

* *Seſſieux.*
* *La Tour du Pin.*

X. A Ponte * Belli-vicini, ſito ad fluviolum Guiam, qui Delphinates à Sabaudis dirimit, per quatriduum nos immerſimus in altiſſimas, & perpetuis nivibus opertas Alpes: & pertranſito vico, quem Scalarum vocant, penetravimus in ſectam rupem, vulgo *la Grotte*, quam permeabilem fecit ſereniſſimus quondam Princeps Carolus Emmanuel Sabaudiæ Dux, eo nomine ſecundus. Is *publica felicitate parta, ſingulorum commodis intentus*, ut præfert inſcriptio ibidem lapidi inciſa, auctore Emmanuele Theſauro, *breviorem, ſecurioremque viam regiam, à natura occluſam, Romanis intentatam, dejectis ſcopulorum repagulis, æquata montium iniquitate, qui cervicibus imminebant, præcipitia pedibus ſubſternens, æternis populorum commerciis patefecit anno MDCLXX.* Hæc via ducit * Cameriacum, Allobrogum caput. Ibi arx Principis viſitur cum ſacra æde, quam Amedeus Dux piiſſimus una cum ſua conjuge Yolanda ſtirpis Francicæ conſtruxit, & duodecim Canonicis, præter Decanum & Archidiaconum, regendam conceſſit. Illic ſancti Joſephi baculum oſtendunt; ibidemque ſudarium, quod Chriſti Domini eſſe credunt, olim aſſervatum, inde poſtmodum Taurinum tranſlatum eſt: quod antea in collegiata beatæ Mariæ de Lira, Trecenſis diœceſis, eccleſia repoſitum fuiſſe Johannes Jacobus Chiffletius probat.

* *Pont de Beauvoiſin.*
* *Chambery.*

Chifflet de ſacris linteis cap. 17.

XI. * Montis Meliani arcem munitiſſimam poſtridie mane adequitantibus nobis, facta eſt frequens bellicarum machinarum diſploſio ob diem natalem ſereniſſimæ Principis Mariæ Johannæ Baptiſtæ à Sabaudia, regnantis Ducis almæ parentis. Ab * Aquis-bellis * Cameram ipſo die pervenimus, vicum ad amnem Arcam, qui poſtea in * Iſeram devolvitur. Ubique videas inter concava rupium querulos rivos, ſummiſque de montibus magno cum ſonitu cadentes aquas, maxime per æſtatem, qua nives ex ſolis ardore colliqueſcunt. Indigenæ paſſim gutturoſi fiunt ex ejuſmodi aquarum potu, quem valde inſalubrem eſſe Muretus ſcite obſervat ex antiquis.

* *Mont-Melian.*
* *Aigues-belles.*
* *la Chambre.*
* *l'Iſere.*

Muret. var. lect. lib. 2. cap. 2.

XII. Apud urbem ſancti Johannis Mauriennam ſollemnes &

An. 1685. Aprili. frequentiſſimæ pro loco nundinæ erant feria quinta ante Dominicam Palmarum, cum eo acceſſimus. In eccleſia cathedrali ſancti Johannis Baptiſtæ duodecim exſtant Canonici, veſte violacea, ut in pleriſque Italiæ majoribus eccleſiis, utentes. Illinc ad vicum ſancti Michaelis, deinde * Bramentum profecti; ſequenti die pervenimns Laneburgum, qui vicus ſitus eſt ad radices * Ciniſii montis majoris. Hujus montis aſſcenſum difficilem reddunt ejus altitudo, nives fere perpetuæ, quibus is, uti & omnes alii circumſtantes, tegitur; denique venti, qui ibidem plerumque vehementiſſimi & frigidiſſimi graſſantur. Ciniſio monti conſcendendo adhibentur à Laneburgo in aſſcenſu, & in ſumma montis planitie Marones vel muli; in deſcenſu ad Novaliciam Marones, quos *camelos humanos* lepide vocat in ſuis epiſtolis Bentivolius Cardinalis. Incolæ ſunt illarum partium, qui incredibili velocitate & pernicitate viatores humeris ſublatos in ſella ex vimine geſtatoria portant. Mirum ſane ſpectaculum! homines impediti & onuſti arduum aſſcenſum tanta celeritate ſuperant, ut potius volare, quam progredi videantur: in deſcenſu vero per abrupta præcipitia, per lubrica & declivia ſaxa immania tam firmis paſſibus deſiliunt, ut eorum pedes atque greſſus non magis titubent aut vacillent, quam ſi in æquabili planitie procederent. Traharum uſus eſt in deſcenſu montis, cum ejus terga nivibus operta ſunt. In ſummo lacus eſt ſatis amplus, tum caſæ aliquot cum xenodochio ac cœmeterio in gratiam peregrinorum, qui quandoque frigore & inedia illic enecti deficiunt ac pereunt. In medio verſus Taurinum deſcenſu occurrit Ferraria vicus; ad radicem montis * Novalicia opidum: à quo non longe diſtat celebre quondam ejuſdem nominis monaſterium, in declivi montis ſitum, quod in reditu ex Italia obiter vidimus.

* *Bramant.*

* *le Mont Cenis.*

* *la Novaleze.*

XIII. Quinque millibus paſſuum a Novalicia occurrit * Seguſium, urbs nobilis, quondam Taurinatium colonia, uti Jonas monachus, ejuſdem urbis alumnus, ſcribit in actis Attalæ Bobienſis abbatis. Illius urbis eccleſia major, ſancto Juſto dicata, Canonicorum eſt regularium, in qua corpus ejuſdem ſancti Martyris, itemque ſancti Mauri abbatis aſſervari dicitur. Quid de illis Juſti reliquiis Glaber Rodulfus, quid Baronius ſentiant, non eſt hujus loci enarrare. Ibi arcum in Auguſti Cæſaris honorem erexit S. P. Q. R. *quod ejus ductu auſpiciiſque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant*, ſub imperium populi Romani ſunt redactæ.

* *Suſe.*

Baron. ad ann. 1027.

Exarata eſt inſcriptio in lamina ærea: ſed vix dimidia nunc legi poteſt. Hanc integram Plinius refert, & ex eo Albertus; dimidiatam Emmanuel Theſaurus in Theatro Sabaudiæ. AN 1685. APRILI.

TAURINUM, VERCELLÆ, NOVARIA.

XIV. Opidum Boſſolenum ad Doriam, itemque vici ſancti Ambroſii & ſancti Georgii, quem *Joarium* corrupte appellant, tum Saltus-Odæ, Velianum, & Rivoltum Principis ædibus inſigne, viam nobis * Auguſtam Taurinorum præbuerunt: ubi Jacobum Aniſſonium, ex Italia in occurſum noſtri reverſum, offendimus.

* *Turin*

XV. Dominica Palmarum Princeps in frequenti aulicorum conſeſſu ſupplicationi & ſacris interfuit in metropolitana ſancti Johannis Baptiſtæ eccleſia, ubi ſanctum Chriſti Domini ſudarium (ut præmiſimus) aſſervant, nempe in teſtudineo ſacello, quod Emmanuel II. elegantiſſime ex marmore concinnari curavit, operi præſidente in primis Patre Guarino Theatino: qui etiam ſuppeditavit ideam eccleſiæ ſui Ordinis, ſub titulo ſancti Laurentii in octanguli formam exſtructæ, quæ palatio adhæret, ſicut eccleſia metropolitana. Hæc nec multum ampla, nec valde magnifica, excepto præclaro illo ſacello, ſub quo Principum conditorium eſt. Novum palatium inter præcipua Europæ cenſeri poſſet, ſi ſuprema operi manus eſſet impoſita. Victoris Amedei equeſtris ex ære ſtatua in ſcala, qua in magnum excelſumque atrium aſſcenditur, ſpectabilis eſt, cum ſubjecto Ducis brevi elogio, auctore Emmanuele Theſauro.

DIVI VICTORIS AMEDEI BELLICAM FORTITUDINEM
ET INFLEXUM JUSTITIÆ RIGOREM
METALLO EXPRESSUM VIDES.
TOTUM ANIMUM VIDERES,
SI EJUS VELOX INGENIUM FLEXIBILEMQUE CLEMENTIAM
EXPRIMERE METALLUM POSSET.

In porticu, ædi ſancti Johannis proxima, exquiſitæ picturæ. Urbis novæ ambitus, ad Padum uſque protenſus, ampliſſima & inſignia palatia habet. Ingreſſus in urbem magnificus, cum aperto & jucundiſſimo proſpectu à porta nova uſque ad palatium Principis, cujus curia elegantiam & majeſtatem Gallicanam æmulatur. Montes intermedio Pado proximi, eccleſia Capucinorum, quæ cathedralis loco eſſe poteſt, vinetis &

An. 1685. Aprili. præclaris ædibus innumeris ornati, gratiſſimum urbi ſpectaculum præbent.

Bibliotheca palatii multis referta eſt codicibus variarum linguarum, ſed qui in acervum cum editis congeſti ſunt ob nuperum incendium, quod multos libros corrupit. Inter eos quos ſub auſpiciis illuſtriſſimi Abbatis Gualterii nobis videre licuit, unum eſt opus inſigne *Pyrrhi Ligorii* Romani, Patricii Neapolitani, viginti ſex voluminibus conſtans: quorum inprimis exprimuntur, atque italice explicantur numiſmata latina & græca; tum variæ inſcriptiones, ſtatuæ, aliaque id genus repræſentantur, una cum Dictionario in ſex volumina diſtributo, in quo vocabula geographica, exotica, ac cetera explicantur. Vivebat auctor initio hujus ſæculi, tempore Caroli Emmanuelis I. Sabaudiæ Ducis, qui hoc opus autographum octodecim millibus ducatorum comparavit. Ejuſdem operis pleraque volumina Romæ habentur in bibliotheca Chriſtinæ Reginæ. Inter alios Taurinenſis, de qua loquimur, bibliothecæ codices, vidimus etiam e latinis *Hegeſippi libros V.* de excidio Jeroſolymitano, ſcriptos ante annos ſeptingentos; *Tertulliani Apologeticum* annorum ſexcentorum: e Græcis *Menologium* duobus tomis, qui annos ſexcentos ſuperare videntur. Tabula Iſiaca, in qua Iſidis profana ſacra exhibentur, in Principis muſeo aſſervatur.

Altera quam Taurinum acceſſimus die inviſimus excellentiſſimum Regis Oratorem Abbatem de Strada, à quo humaniſſime non ſemel accepti ſumus.

XVIII. Savilianenſe Ordinis noſtri monaſterium, quod Taurino diſtat decem leucarum intervallo, adivimus. Conditores Abellonius, & Ameltruda ejus conjux exſtitere ſub Conrado I. rege, cujus anno ſecundo cœnobii fundamenta jacta ſunt ſub titulo ſancti Petri. Nullæ ibi veterum codicum reliquiæ.

XIX. Reverſi Taurinum, ibidem ſacros exegimus dies. Sub noctem feriæ ſextæ, in qua Chriſti Domini Paſſio celebrari ſolet, variæ Pœnitentium ſodalitates in eccleſiam cathedralem convenerunt ad percurrendas urbis ſtationes. Flagellationibus tota res peracta. Incœptum a majore eccleſia, ubi dum Princeps exſpectatur, lentis ictibus humeros flagellabant pœnitentes. Mora vix fuit minor, quam dimidiæ horæ. Adveniente Principe, ictuum grandine in humeros jam laceros denuo

denuo ſævitum. Ita ex eccleſia proceſſum eſt. Pia inſtitutio, ſi publicæ pœnitentiæ animo ex ſincero dolore, & non ad ſpectaculum fieret. AN. 1685. APRILI.

XXIII. Poſtridie Paſchæ Taurino diſceſſimus in cimba uſque Caſalium, firmiſſimum Montisferrati præſidium. Montes ad dexteram Padi fluminis ripam, floreſcentibus arboribus onuſti, gratum præbebant, ut in Vere aſpectum. Sed remiſit hæc voluptas accedendo Caſalium: cujus urbis portas ſub noctem occluſas cum offendiſſemus, in navicula militari cum excubiis exterioribus noctem egimus incænati. Sic nobis nauticum hoſpitium cubile fuit; fames & tabaci fœtor pro cæna, pro ſomno muſica militaris. Proximo die mane in cathedrali ſancti Evaſii epiſcopi & martyris eccleſia Miſſam celebravimus, ubi antiquiſſima Chriſti Domini crucifixi imago ex argento cum quatuor clavis & oblongo ſemicinctio viſitur. Sed cum nihil aliud ibidem nos remoraretur, ipſa die Vercellas adivimus.

XXV. Vercellis, quæ urbs ad Seriam fluvium ſita eſt, inſigniores ſunt eccleſiæ, epiſcopalis ſancti Euſebii, primitus Theoneſti; ſancti Andreæ canonicorum regularium congregationis Lateranenſis; & beatæ Mariæ Majoris, cujus pavimentum ex opere muſivo hiſtoriam Judithæ & Holophernis repræſentat. Apſis eccleſiæ cathedralis nova eſt, ſed antiquiſſima navis cum duobus hinc inde marmorearum columnarum ordinibus, quæ in ſumma omnes ſunt quadraginta. Ingreſſis ad lævam ſe ſe offert vetus baptiſterium ex marmore, duo habens altrinſecus ſedilia, an pro epiſcopo & patrino. In ſacrario ejuſdem eccleſiæ aſſervatur veterrimus codex membranaceus, Evangelia ſancti Matthæi & ſancti Marci continens: qui a ſancto Euſebio epiſcopo & martyre illo generoſiſſimo, quem tantopere vexarunt Arriani, ſcriptus, atque huic eccleſiæ conceſſus creditur. Certe membrana ſitu fere corrupta eſt, characteres pæne fugientes ac ſemideleti, tantiſper à Romana ſcriptura degenerant. Littera A ad modum græcæ Λ, M littera ſuperne clauſa a ſemicirculo incipit: aliæ litteræ Romanis fere ſimiles. Codicis operculum ex argento, a Berengario Imperatore ab annis fere octingentis inſtauratum, ex una parte Salvatoris effigiem; ex alia ſanctum Euſebium exhibet: ad cujus caput hi verſus adſcripti leguntur.

Præſul hic Euſebius ſcripſit, ſolvitque vetuſtas:
Rex Berengarius ſed reparavit idem.

An. 1685. Aprili.

In infima verò parte ad pedes Euſebii :

Argentum poſtquam fulvo decompſit & auro,
Eccleſiæ Præſul obtulit ipſe ſuæ.

Carolus Bartholomæus Theobaldus Canonicus una cum ejuſdem eccleſiæ Capellano ſacrarium nobis commonſtrari curavit; atque aliquot libellos dedit. Archivum eccleſiæ cathedralis luſtrare magnopere avebamus, tum propter Attonis epiſcopi opera, quæ a noſtro Acherio ex imperfecto codice vulgata ſunt; tum propter alia, ſi qua reſtarent, vetera monumenta: ſed nihil impetrare potuimus. Ceterum in illa eccleſia (neque enim id nobis præterire licet) *primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe Euſebius ſanctæ memoriæ* (uti Ambroſius loquitur) *conjunxit: ut in civitate poſitus inſtituta monachorum teneret*, & *eccleſiam regeret jejunii ſobrietate.* Unde idem Ambroſius infert. *Quod ſi in aliis eccleſiis tanta ſuppetit ordinandi ſacerdotis conſideratio: quanta cura expetitur in Vercellenſi eccleſia? ubi duo pariter exigi videntur ab epiſcopo, monaſterii continentia, & diſciplina eccleſiæ.* Sed iter perſequamur.

Ambroſ. ep. 25. ad Vercell.

Eodem die, poſt meridiem Novariam tendimus, cujus loci epiſcopus fuit Benedictus Odeſcalcus, qui nunc Eccleſiæ univerſæ ſanctiſſime præeſt: ſucceſſoremque habuit germanum ſuum Julium Mariam Odeſcalcum ex noſtro Ordine, virum pientiſſimum, cujus vita & mors cælitum albo dignæ ſunt. Eccleſia Novarienſis primaria in honorem beatiſſimæ Virginis dedicata, ſeparatum habet inſigne baptiſterium ſancti Johannis Baptiſtæ, uti Romæ, Florentiæ, Piſis, Parmæ, Patavii, aliiſque in locis nonnullis: ubi, præterquam Romæ, in ſolis eccleſiæ cathedralis baptiſteriis infantes ſacris aquis intingui ſolent. Sane olim Baptiſma nonniſi ex mandato Epiſcopi celebratum, teſte Ignatio in epiſtola ad Smyrnenſes. Unde in eccleſia ſolum, qua Epiſcopus ſedebat, erat baptiſterium. Attamen Romæ primitus in omnibus fere baſilicis baptiſterium erat, ut ad ſanctum Petrum, ad ſanctum Paulum, ad ſanctum Laurentium in Damaſo, ad ſanctam Agnetem, ad ſanctum Pancratium, & in aliis paſſim celebrioribus urbis eccleſiis. Novariæ in exteriori parte vaſis rotundi, quod ſacras aquas continet, exſtat profana Umbrenæ Pollæ memoria, quam refert Carolus ejus loci epiſcopus, hiſtoriæ Novarienſis diligens ſcriptor. Alia eſt inſignis ſancti Gaudentii collegiata eccleſia, ejus tumulo illuſtris, eodem ſita in loco, ubi is ſanctus Epiſcopus eam

inchoavit, perfecitque Agapius ejus ſucceſſor. An. 1685. Aprili.

MEDIOLANUM.

XXVI. Mediolanum non ita curſim prætereundum fuit, non tam propter urbis frequentiam & magnitudinem, quam propter templa & res ſacras ex ritus Ambroſiani præſcripto, & propter veterum librorum copiam, quos urbs illa abunde ſuppeditat. Quindecim dies vix nobis ad hæc ſuffecerunt. Incœpimus a bibliotheca Ambroſiana, quæ omnes Italicas longe ſuperat, ſi Vaticanam excipias, ſive ædificii elegantiam, ſive librorum multitudinem, aliaque ornamenta ſpectes; ſive facilem acceſſum. Nam ſingulis diebus mane & veſpere quibuſvis patet. Hanc probante Clemente VIII. a fundamentis erexit Federicus Borromæus, ſancti Caroli ex fratre nepos, eamque elegantiſſimis ædificiis, libris omnigenis, picturis, tabellis, ſignis ſeu ſtatuis inſtruxit, legibus communivit: eidemque nobile collegium ſexdecim Doctorum, qui litteras & pietatem colerent, adjunxit. Nec eum ſpes fefellit. Nam ex illo collegio jam prodierunt multi viri doctiſſimi, Joſephus Ripamontius, Franciſcus Bernardinus Ferrarius, Franciſcus Collius, Joſephus Vicecomes, Petrus Puricellus, omnes libris editis clari, & Petrus Paulus Boſcha, qui de hac bibliotheca libros V. ſcripſit. Alios recentiores mittimus. Hoc monumentum in gentis Borromææ perenne decus erigere videbatur Federicus: ſed alio mentem vertit innata illi genti HUMILITAS, in antiquis ædificiis ubique impreſſa: quæ id effecit, ut totum iſtius inſtitutionis honorem ad Ambroſium Mediolanenſis civitatis patronum referret, atque ab ejus nomine Ambroſianam Bibliothecam, Ambroſianumque Collegium appellaret: quem titulum fronti bibliothecæ imprimendum curavit. Sita eſt in urbis fere meditullio, prope eccleſiam ſancti Sepulcri. Poſt veſtibulum ſe ſe offert vas ampliſſimum, in latum cubitos ſexdecim, in longum quadraginta, in altum quinos vicenos habens: quod in laquear pictura variegatum deſinit, ad duodequadraginta millia voluminibus refertum, ſimul computatis codicibus manu-ſcriptis, qui in adjuncto muſeo reconditi ſunt, interjecto periſtylio. In hoc muſeo cernuntur clarorum virorum ſelectæ imagines. Succedit hortulus, & poſt hortulum aula ſtatuariæ artis a dextris; & exquiſitarum picturarum altera a ſiniſtris: quæ exercitationis materiam utriuſque artis profeſſoribus, ſin-

An. 1685. Aprili. gulis ſeptimanis præbent. Ad hanc bibliothecam locupletandam nullis pepercit ſumtibus Federicus: ſed miſſis quaquaverſum viris litteratis, libros & veteres codices undequaque conquiſivit, nempe ex Italia per diverſos, ex Græcia & toto Oriente per Gratium civem Senenſem; ex Gallia, Germania & Belgio per Olgiatum. Omnes certatim Federici generoſis conſiliis obſecundabant. Bobienſes noſtri vetuſtiores codices latinos ſuppeditarunt; Ambroſiani Ciſtercienſes pretioſiſſimum inter alia volumen ex charta Ægyptiaca ſeu phyllira, ſed mutilum, continens aliquot libros Flavii Joſephi de antiquitatibus Judaicis, Rufino interprete. Scriptus eſt codex, ſi Boſchæ credimus, ab annis mille trecentis; ſi quid in his ſapimus, ante annos mille & centum, haud multo poſt Rufini ætatem. Scriptura codicis non quadrata, ſed minutior eſt, qualis ævo Juſtiniani obtinebat, formæ fere ſimilis ei, quam ex charta Ravennenſi retulimus in lib. V. de re Diplomatica, ſed lectu facilior. Codex in parvo folio nullas habet membranas inſertas: in principio & in fine mutilus, ab imperito novo compactore male habitus eſt, confuſo ordine librorum. Primo enim occurrit fragmentum ex libro VII. Joſephi de antiquitatibus Judaicis: deinde quædam ex libro VIII. tum ex libro VI. rurſus ex VII. denique ex IX. & X. Liber ſeptimus, ut titulus præfert, *continet tempus annorum quadraginta:* octavus *tempus annorum centum ſexaginta trium:* decimus *tempus annorum centum octoginta duorum, menſium ſex, dierum decem.* Quod quam ob rem obſervemus, norunt eruditi, quibus compertum eſt hos numeros in antiquis codicibus & in editis variare. Hæc de codice venerandæ antiquitatis notare viſum eſt: quem utique cum edita Rufini verſione libenter contuliſſemus, ſi eam Mediolani recuperare nobis licuiſſet.

Exſtat in eadem bibliotheca aliud opus ingentis molis & pretii, ſed recentioris ætatis, italico idiomate, continens in voluminibus duodecim autographum Leonardi Vincii, civis Mediolanenſis ac pictoris excellentiſſimi: quem tanti fecit Franciſcus primus rex Galliarum, ut brachiis morientem amplexus ſit. Operis pretium illud arguit, quod Jacobus I. Angliæ rex unum ex his voluminibus, quod bellicas machinas veterum complectitur, ingenti pretio a Galeatio Archonato operis poſſeſſore redimere voluit: ſed hic generoſe id detrectavit, maluitque illum codicem cum aliis ejuſdem auctoris voluminibus bibliothecæ

Ambroſianæ conſignare, præferentem aureis litteris titulum operis, ac nomen Pompeii Leonii, qui diſperſas ac diſſipatas Vincianæ manus paginas eo volumine concluſerat, uti ſequens inſcriptio docet, majoribus litteris in pariete expreſſa. An. 1685. Aprili.

LEONARDO. VINCI
MANU. ET. INGENIO. CELEBERRIMI
LUCUBRATIONUM. VOLUMINA. XII.
HABES. O. CIVIS
GALEAZ. ARCHONATUS
INTER. OPTIMATES. TUOS
BONARUM. ARTIUM. CULTOR. OPTIMUS
REPUDIATIS. REGIO. ANIMO.
QUOS. ANGLIÆ REX. PRO UNO OFFEREBAT
AUREIS. TER. MILLE. HISPANICIS
NE. TIBI. TANTI. VIRI. DEESSET. ORNAMENTUM
BIBLIOTHECÆ. AMBROSIANÆ. CONSECRAVIT
NE. TANTI. LARGITORIS. DEESSET. MEMORIA
QUEM. SANGUIS. QUEM. MORES
MAGNO. FEDERICO. FUNDATORI
ADSTRINGUNT
BIBLIOTHECÆ. CONSERVATORES
POSUERE
ANNO. M. DC. XXXVII.

Multi ſunt alii codices reverendæ antiquitatis. Ex græcis *Gregorii Nazianzeni*, ſeu ut veteres ſcribunt, Nazanzeni opera cum figuris, ante annos mille exarata: *Chryſoſtomi homiliæ in Geneſim: Acta Martyrum* bonæ notæ; *Menologium* antiquum ex Chio advectum. Ex latinis *Concilium Chalcedonenſe* mutilum, á mille annis ſcriptum in cœnobio Bobienſi: *Homiliaria duo* ex eodem loco, antiquiſſima: quorum unum, alicubi lacerum, homilias octoginta octo continebat, nomine ſancti Severiani inſcriptas. Has inter una eſt de natali ſeu ordinatione Grati epiſcopi, in qua hæc verba leguntur. *Grata vobis & votiva ſollemnitas ad veſtrum me conventum invitat... Læta dies & ſerena temperies, ornatior eccleſiæ facies, ſimulque beatiſſimi Papæ gratus aſpectus. Quis enim tam ferus eſt, aut religioni ingratus, ut Gratum pontificem non requirat? in quem gratia nomen contulit, & meritum ſignanter expreſſit.* Notiſſimus eſt Gratus epiſcopus Carthaginienſis, qui Concilio Serdicenſi interfuit: ſed an de eo interpretanda ſit hæc homilia, alii judicent. In alio codice exſtat

An. 1685. Aprili. *Boni*ʒ*onis* Sutrini Epiſcopi *liber de Sacramentis* ad Galterium Leonenſis monaſterii abbatem : quo in libro auctor meminit alterius opuſculi ſui contra Ugonem ſchiſmaticum. Leve eſt, ſed tamen haud reticendum, quod liber de ritibus eccleſiaſticis, qui *Gemma animæ* inſcribitur, auctore Honorio Auguſtodunenſi, nomen *Honorii ſolitarii* præfert in Ambroſiano codice annorum quingentorum.

Unum addere juvat de vulgatis quinque Hegeſippi libris ex veterrimo codice, qui in eadem bibliotheca aſſervatur. Primus liber, initio mutilus, in fine hanc clauſulam habet : Egesippi liber primus explicit. tum, Incipit secundus. *Ambroſius epiſcopus de Græco tranſtulit in Latinum.* Tres ſequentes ſine titulo: ſed in multis foliis libri quinti is apponitur in capite paginarum, Josepi liber quintus. Fuerit ergo hic Hegeſippus (ſi non fallit codex antiquiſſimus, litteris partim Langobardicis, partim Romanis majuſculis ſcriptus) alter ab Hegeſippo, qui temporibus Apoſtolorum floruit, qui ex Joſepho forſan opus ſuum, maxime librum quintum compilarit, & quidem græce, ſi Ambroſius ſecundum e græco latine reddidit. Quidquid ſit, auctorem aut compilatorem vixiſſe, non poſt Nicephorum Phocam Imperatorem, id eſt poſt ſæculum decimum, ut Miræus & Voſſius putant; ſed ante ſæculum ſeptimum; ex Ambroſiani, itemque ex Taurinenſis codicis antiquitate facile demonſtrari poteſt. Recentiora ſunt, ſed tamen ob auctoris gravitatem non omittenda ſcripta quædam *Johannis Petri Puricelli*, *Hiſtoria Berengarii* hæretici: *Sententia Ruperti* Abbatis de Euchariſtia expoſita & vindicata: *de Ambroſianæ baſilicæ Decumanis*, & alia ejuſdem auctoris, quæ inferius pro nata occaſione commemoranda erunt.

Hæc de bibliotheca Ambroſiana, cujus primus præfectus fuit Antonius Olgiatus; ſecundus Franciſcus Bernardinus Ferrarius; tertius Petrus Paulus Boſcha, nunc archipreſbyter apud * Modoëtiam; quartus Nicolaus Rubinus; quintus modo Andreas Puſterla, vir humaniſſimus & doctus, uti & duo ejus collegæ nobis amiciſſimi.

* *Monza.*

XXVIII. Convenimus in muſeum illuſtriſſimi Franciſci Septalæ, eccleſiæ ſancti Nazarii canonici, plurimis rebus curioſis refertum, atque a Manfredo Septala ejus patruo inſtructum. Inter alia viſitur ſpeculum quod ignem concipit ex ſola radiorum ſolis, non refractione, ſed reflexione. Ibi indicem

reliquiarum, quæ Romæ tempore Gregorii M. exſtabant, in charta Ægyptiaca exaratum legimus, & deſcripſimus. De hoc muſeo liber ſingularis Dertonæ vulgatus eſt.

XXIX. Dominica in Albis, ſollemni Miſſæ Ambroſiano more cum muſica & organis celebratæ interfuimus in eccleſia majori (Domum vocant) in honorem Virginis Deiparæ & ſanctæ Teclæ dedicata, quæ tota ex marmore, gothico opere, a Johanne Galeatio Duce conſtructa eſt, nulli poſt Vaticanam & forte Florentinam magnitudine inferior. Ex innumeris intus atque extus ſtatuis, quas ad quatuor millia numerant, alias omnes antecellit ſtatua ſancti Bartholomæi, cutem detractam geſtantis. In Miſſa poſt hymnum angelicum dictum eſt *Kyrie eleiſon* ter, lectio duplex pro epiſtola; concio poſt Evangelium per unum Olivetanum; Oblatio panis & vini facta per duos ſeniores ſeu Vetulones, totidemque Vetuloniſſas, qui ex canone eccleſiæ pie & caſte vivunt; Symbolum poſt oblationem; lotio manuum proxime ante conſecrationem: cetera fere more noſtro. Altera concio, quæ *Lectio* dicitur, ad Veſperas ſingulis diebus Dominicis & feſtis itidem fieri ſolet, in qua aliquis Scripturæ locus exponitur ſecundum triplicem ſenſum.

A meridie illuſtriſſimus Comes Mezabarba, cujus honeſta in nos officia, quamdiu Mediolani verſati ſumus, aſſidua fuere, ambos in ſua rheda deduxit in baſilicam Ambroſianam ad portam Vercellenſem, quæ baſilica ſancti Ambroſii Majoris appellatur. Ambroſianam vocant, non ſolum Auguſtinus & Paulinus, ſed etiam ex recepto jam uſu Ambroſius ipſe, qui eam in honorem ſancti Laurentii condidit, eodemque corpora ſanctorum Gervaſii & Protaſii tranſtulit ex baſilica Fauſtæ, quæ poſtea vocabulo ſanctorum Vitalis & Agricolæ inſignita eſt. Ambroſianam olim monachi noſtri poſſidebant: nunc vero canonici, & monachi Ciſtercienſes divina viciſſim in ea officia peragunt. Conventus pridie ab illuſtriſſimo Comite archiviſta Ciſtercienſium, penes quos veterum ejus loci inſtrumentorum poteſtas eſt, operam ſuam pollicitus erat: ſed re ad ſuos delata, cum id eis non placere intellexiſſet, domo ſe ſubduxerat. Comes factum indigne tulit: ſed hoc in reditu reſarcivimus. Interim eccleſiam luſtramus, vota noſtra Deo facturi ad tumulum ſancti Ambroſii, cujus corpus in crypta ſubterranea ſub altari majori latere creditur. Ibidem ſepulta eſt ejus ſoror Marcellina virgo

An. 1685. Aprili. Grut. pag. M LV. n. 6. in tumulo prominente, cujus vetus epitaphium à Grutero eſt relatum. nam id quod nunc gypſeo ſepulcro appoſitum legitur, recentius eſt. Altare majus auro decoratum ab Angilberto Archiepiſcopo; ciborium (tribunam vocant) a Gaudentio abbate ab annis fere nongentis ornatum eſt, a Puricello æri inciſum in Hiſtoria baſilicæ Ambroſianæ. In parte anteriori Chriſtus Dominus Petro ad ſiniſtram claves, Paulo ad dextram librum tradit: poſterior ſanctum Benedictum in Diaconi (ut videtur) habitu cum Gaudentio in dextra tribunam offerente; & altero monacho in ſiniſtra, utroque cucullato: ad lævam ſanctus Ambroſius cum tiara in capite, medius inter duos homines coronatos: ad dexteram ſancta Scholaſtica, ſuper cujus caput columba inſidet, cum duabus hinc inde ſanctimonialibus. Scio hæc aliter a Puricello explicari: ſed hæ ſunt noſtræ conjecturæ, quas aliorum judicio permittimus. In baſilicæ navi ſuper columnam erectus eſt ſerpens ex ære, quem Moſis eſſe ferunt, quod alii rident. Sed illud magis ridendum ac improbandum, quod ad hunc ſerpentem Mediolanenſes matronæ, teſte Ughello, feria ſecunda Paſchæ ſolent infantes ſuos ſiſtere morbo laborantes. In horto monaſterii Ambroſiani exſtat ſacellum ſub titulo ſancti Remigii, eo (ut credunt) in loco, ubi Auguſtinus hoc oraculum audivit, *Tolle & lege.* Ad auſtralem baſilicæ partem haud longe ab eadem eccleſia aliud exſtat ſacellum, in quo Auguſtinum a ſancto Ambroſio baptiſmum accepiſſe tradunt.

In Capitolio (ut vocant) id eſt in veteri Capitulo monachorum, cujus exigua tantum pars ſupereſt, tumulatus eſt Bernardus Italiæ Rex, Pippini filius, cum epitaphio, quod alii retulerunt. Ibidem etiam legitur metricum Petri abbatis epitaphium, qui obiit anno Inc. DCCCC. prid. Id. Octob. Ind. III. poſt regiminis annos XLI. Ad dextram portæ aquilonaris, qua ſæculares baſilicam adeunt, viſitur M. Antonii Majoragii ſepulcrum & epitaphium, hominis ſuo tempore latinis græciſque litteris perpoliti, quas etiam publice docuit. Jacet in veſtibulo ejuſdem baſilicæ bonus ille ſenex Petrarchæ amicus, quem cum triduo ante mortem ſolito triſtior conveniſſet; cauſamque rogatus: Hodie, inquit, quintum atque octogeſimum annum expleo. Quantulum putas vitæ ſupereſt? Quinque forſan & viginti annos ad vivendum habeo. Breve tempus! Ad hæc ſubridens Petrarcha: Ne dubita, infit, triginta complebis.

Petrarc. lib. 11. *ep.* 12.

His

His lætior ſenex ; Bene habet, inquit, ſatis eſt. AN. 1685. APRILI.

Prope hanc ſancti Ambroſii baſilicam inſigne & ampliſſimum eſt Olivetanorum cœnobium ſub titulo ſancti Victoris, tria periſtylia, totidemque monachorum ædificia habens, elegantiæ non vulgaris, ſicut Ambroſianum. Sancti Victoris baſilica, ævo Ambroſii extramurana, a conditore *Portiana* vocabatur : quam ſibi Arriani, Auxentio incentore, & Juſtina duce, vindicare tanto molimine conati ſunt.

Duæ ſunt in eadem urbe noſtri Ordinis abbatiæ, ſancti Simpliciani, & ſancti Petri de Glaciate : cujus hiſtoriam compoſuit Placidus Puccinellus decanus Caſinenſis, antiquitatis ſtudioſus indagator. Mirum quantum eo in loco vigeat devotio in ſanctum Maurum abbatem, uti Parmæ & Florentiæ. De hac pietate in ſanctum Maurum, quæ in eccleſia Glaciatenſis monaſterii celebratur, libellum edidit idem Puccinellus, quem mox laudato Julio Mariæ Odeſcalco, tunc Priori Parmenſi, nuncupavit : ubi eum non tantum ob generis claritatem, ſed maxime ob morum probitatem laudat. In ipſo monaſterio Glaciatenſi Ambroſius Cruceus abbas humaniſſimus nobis oſtendit præclariſſimum volumen, Virgilii opera omnia continens, ſcriptum elegantiſſime ante annos ducentos juſſu & impenſis cujuſdam e gente Roſpilioſorum, cujus gentilitium ſymbolum in acathe nativis coloribus feliciter inſculptum eſt. In eccleſia jus ſepulturæ habet gens Borromæorum.

I. Ad ſanctum Ambroſium ſacra fecimus : & poſt meridiem oſtenſum eſt nobis archivum eccleſiæ metropolitanæ, quod eſt penes illuſtriſſimum ac reverendiſſimum Antonium Reynam Cancellarium, ejuſque collegam Andream Raudium ejuſdem eccleſiæ canonicos. In eo multi codices repeRiuntur ritus Ambroſiani, Miſſales, libri Pſalmorum, & alii ejuſdem generis : quales etiam in bibliotheca Ambroſiana nonnulli aſſervantur. MAIO.

II. Feria IV. ſancto Athanaſio ſacra, Miſſam ad corpus ſancti Caroli celebravimus, in crypta ſubterranea, quæ jacet ſub gradibus, quibus ad preſbyterium majoris altaris aſſcenditur. Ex ſuperiore navis parte proſpectus in ſubjectum ſancti Caroli ſacellum per cratem ferream patet. Theca altari impoſita, in qua ſacrum ejus corpus reconditum eſt, conſtat ex auro & argento, atque perlucidiſſima cryſtallo : ſacelli parietes argenteis laminis veſtiti. Corporis facies aperta media cry-

An. 1685. Maio. ſtallo videtur: cutis deſiccata oſſibus inhærens, naſi acumen exeſum, dentes integri.

III. Feſto die Inventionis ſanctæ Crucis, clavus (ut creditur) unus ex iis, quibus Chriſtus cruci ſuffixus fuit, ſollemni pompa de more ex eccleſia metropolitana per urbem delatus eſt ab eminentiſſimo Cardinale & archiepiſcopo Vicecomite, præcedentibus pænitentium ſodalitiis ſupra triginta diverſis, religioſis, monachis & canonicis, id eſt univerſo clero civitatis, promiſcua vulgi multitudine infinita comitante.

Ipſa die adivimus collegium Patrum Soc. Jeſu, eo in loco inſtitutum, ubi olim verſabantur Humiliati: cujus Ordinis hiſtoria (ut id in tranſcurſu moneamus) exſtat manu deſcripta in bibliotheca Ambroſiana, auctore Puricello. Collegio magnifico necdum manus ſuprema impoſita eſt. R. P. Monelia, qui ante biduum nos inviſerat cum P. Cardano, litteras nobis dedit ad Patres Aronenſes: ut nobis copiam facerent exemplaris librorum de Imitatione Chriſti, qui ſub nomine Johannis Gerſenis abbatis antiqua manu ſcripti ſunt.

VI. Dominica frequentes per urbem ſupplicationes factæ, tam virorum, quam mulierum, diſcreto ſexu ad ſeptem urbis ſtationes, qui omnes alta voce roſarium, pſalmos atque hymnos recitabant Hæ ſupplicationes ex inſtituto ſancti Caroli ſingulis Dominicis fiunt, ſed frequentiores prima cujuſque menſis Dominica. Septem illæ ſtationes ſunt in eccleſiis metropolitana, ſancti Ambroſii, ſancti Simpliciani, ſancti Victoris, ſancti Nazarii, ſancti Laurentii, & ſancti Stephani. Eodem die vidimus pretioſa cimelia muſei illuſtriſſimi Comitis Mezabarbæ, qui nobis librum ſuum de Numiſmatibus liberaliter dedit. Inter infimi æris numiſmata unum eſt Zachariæ Papæ quadratum, ex una parte nomen ZACHARIÆ, ex altera PAPÆ titulum exhibens. Alterum item Caroli VIII. de Piſanorum liberatione: cujus ex una parte ſymbolum gallicum trium liliorum cum hac inſcriptione, CAROLUS REX PISANORUM LIBERTAS: ex alia imago beatiſſimæ Virginis cum his verbis in circuitu, PROTEGE VIRGO PISANOS.

VIII. Hieronymum Joſephum Semenzium, virum doctum & probum ex Ordine Somaſcorum, qui nos pridie convenerat, ſalutavimus, virum inquam litteris cum latinis, tum græcis expolitum, in matheſi verſatum, Theologiæ in Univerſitate Ticinenſi lectorem.

Poſt meridiem Mezabarba (ſic virum illuſtriſſimum appellare liceat compendii cauſa) nos deduxit ad Ciſtercienſium monaſterium, quod *Caravallis* dicitur, quarto milliari ab urbe diſparatum extra portam Romanam. Mendoſe paſſim vocatur *Claravallis*, quod mendum irrepſit in Bernardi epiſtolas, quarum una eſt *ad Novitios Claræ vallenſes de Mediolano.* At legendum eſſe *Caravallenſes*, argumento ſunt primaria quæque loci inſtrumenta, itemque inſcriptio vetus clauſtri parieti inſculpta in hunc modum: *Anno gratiæ M. C. XXXV. XI. Kal. Febr. conſtructum eſt hoc monaſterium à beato Bernardo Claræ vallenſi. M. CC. XXI. conſecrata eccleſia iſta a domino Henrico Mediolanenſi archiepiſcopo VI. Non. Maii in honore ſanctæ Mariæ* CARÆVALLIS. Eccleſiæ ſubſellia, miro artificio ſculpta, totam ſancti Bernardi vitam repræſentant. In cœmeterio monachorum quidam ſunt nobilium tumuli ſuper quatuor lapides erecti, atque in his unus erat Guillelmæ ſeu Guillelminæ Boëmæ, impudentiſſimæ præſtigiatricis: quæ cum ante annos quadringentos ſpecie ſanctitatis toto vitæ ſuæ tempore multos ludificaſſet, atque poſt obitum, qui anno M. CC. LXXXI. contigit, ut ſancta per aliquot annos apud vulgus habita fuiſſet; tandem compertis ipſius præſtigiis, cadaver exhumatum, atque in favillas redactum eſt anno M. CCC. Tumulus disjectus, ſed vacuus adhuc arcus in pariete cœmeterii, quem in locum poſt ſex a morte menſes hæc tranſlata fuerat ex primo loco ſuæ ſepulturæ, nempe ex cœmeterio ſancti Petri ad Hortum intra civitatem. De hac Guillelmina ejuſque ſecta & aſſeclis Johannes Petrus Puricellus, vir doctus & accuratus, longam diſſertationem ſcripſit: contenditque contra Donatum Boſſium atque ejus ſequaces, Guillelminæ ſectam non fuiſſe ſpurcitiis, uti Donatus ante omnes vulgavit, infamem: ſed impiis deliramentis, quæ mentem tantum, non etiam corpus afficerent, ac inficerent: idque probat Puricellus ex publico inſtrumento, quod Inquiſitores anno M. CCC. confecerunt, rei geſtæ ſummam continente. Ex hoc inſtrumento patet, Guillelminam, aut certe ejus aſſeclas primarios, (nam id ipſa ex ficta modeſtia pernegare viſa eſt.) Andream Saramitam & Mayfredam Pirovanam, deprædicaſſe, Quod ipſa Guillelma eſſet Spiritus-ſanctus in ſexu femineo incarnatus e Conſtantia Boëmiæ Regis uxore: Quod ipſa eſſet mortua tantum ſecundum carnem, ſed reſurrectura ante univerſalem reſurrectionem, & diſcipulis AN. 1685. MAIO.

An. 1685. Maio. videntibus aſſcenſura in cælum: Quod ſibi reliquiſſet in terris vicariam Mayfredam Ordinis Humiliatorum monacham, quæ Miſſam celebratura eſſet ad tumulum Guillelminæ; & demum Romæ occupatura Sedem apoſtolicam, indeque ejectura Cardinales; habitura etiam quatuor ſapientes, qui Evangelia nova ſcriberent. Hæc nefanda & auditu exſecranda ſcelera prolixo commentario exponit Puricellus: cujus cum liber non ſit editus, nec fortaſſe edendus, viſum eſt hac digreſſione rudem ejus notitiam prælibare. Porro Guillelminæ tria feſta ad ipſius tumulum celebrabant quotannis ejuſdem ſectarii: unum in feſto ſancti Bartholomæi, quo die ipſa obierat: alterum in menſe Octobri, cum ejus corpus Caramvallem tranſlatum eſt: tertium in die Pentecoſtes. ſed tandem nefandæ huic ſuperſtitioni poſt annos à Guillelmæ obitu novemdecim finis impoſitus eſt. Non multum diſſimilia de Spiritu-ſancto quidam Dulcinius Vercellenſis jactitaſſe memoratur in continuatione Chronici Nangiani ad annum M. CCC VI.

IX. Ex Caravalle Mediolanum reverſi, ad Lazaretum, portæ urbis orientali ſuburbanum, cum humaniſſimo abbate Serta nos contulimus. Locus eſt ampliſſimus quadrati operis pro peſte affectis, aquis irriguus, habens domunculas numero CCLXVIII cum ſuo quamque camino; atque more Cartuſienſi clauſtrum, quo cingitur pratum ingens cum ſacello medio, in quod proſpectus eſt ex omnibus cellis, ut facile ſacerdos ad altare ab omnibus videri poſſit. Aliud in urbe xenodochium, in quadri formam itidem conſtructum, cum duplici porticu, ſuperiori & inferiori, quam ſuſtinent elegantiſſimæ columnæ: ut potius ampliſſimi palatii, quam xenodochii ſpeciem præferat. Non longe ab hoc xenodochio abeſt collegiata ſancti Nazarii, quæ & Apoſtolorum vocatur, perantiqua baſilica, cujus pavimentum Serena, Stiliconis Comitis uxor, libycis marmoribus ſtravit, ut vetus inſcriptio docet. In atrio eccleſiæ ſublimes viſuntur loculi Trivultiorum, quorum corpora in ſubjectam humum ſanctus Carolus religionis cauſa infodi juſſit: ratus hunc modum, nempe ut in ſublimi conſiſtant, ſolis beatorum reliquiis competere. Quamquam in Italia ſublimibus viris id non raro tribui ſolet. De Johanne Jacobo Trivultio, Franciæ quondam Mareſcallo, in illo atrio legitur: *Qui numquam quievit, quieſcit: tace.*

X. Aronam partim navigio, ſcilicet per canalem Navilium

a Francis productum: partim pedeſtri itinere contendimus: quam urbem a Sexto opido dirimit Verbanus lacus, quem recentiores Majorem appellant. E regione Aronæ, quæ in declivi montis ſita eſt, intermedio lacu viſuntur Borromæorum ædes, quas deſcribit Bartholomæus Scala in libello de Vitaliano Borromæo. Is Aronam ex parvo quondam vico ad eam, quæ nunc eſt, ædificiorum magnitudinem perduxit. Aronæ olim conditum eſt monaſterium noſtri Ordinis ſub titulo ſanctorum Gratiniani & Felini, quod ſanctus Carolus, tum loci abbas, Patribus Soc. Jeſu attribuit. Ex eo tempore iſtic aſſervatur celebris ille codex Aronenſis, eo delatus a Patre Roſſignolio, cum ſocietati nomen daturus eſſet, id eſt anno M D LXXIX. Cum Aronam veniſſemus, Patres recreationis cauſa domo aberant, excepto Rectore, qui tum Mediolanum abiturus erat, nihilque ſe de illo codice reſcire ſignificavit. Reverſis Patribus, idem aſſeruit alius Pater, ad quem litteras ex Monelia habebamus, qui nobis hoſpitium in proximam noctem humaniter obtulit. Verum dum re infecta egreſſi ad portum cimbam opperimur, accurrunt duo Patres, Gibellinus & Leoninus, qui repertum codicem afferunt, obteſtanturque ut apud ſe nocte proxima ſubſiſteremus: majorem fore commoditatem propius inſpiciendi codicis. Non poterat honeſtior offerri conditio, nec honeſtiori modo. Eam tamen in aliud tempus differre conſultius nobis viſum eſt, contentis in ipſo articulo codicem inſpicere, de cujus titulo & antiquitate tantummodo controverſia eſſe poteſt. In eo vero omnia deprehendimus, quæ de ejus antiquitate & inſcriptione, quinquies ſub nomine *Johannis Gerſen abbatis* repetita, noſtri obſervaverant. In reditu Mediolanum ejus copia nobis ex mandato R. P. Provincialis facta eſt, ejus Secretario & R. Patre Monelia faventibus. AN. 1685. MAIO.

XIII. Mediolano diſceſſimus, muniti litteris commendatitiis, quas non ſolum Comes Mezabarba, ſed etiam eminentiſſimus Cardinalis Caſanata, atque illuſtriſſimus Magliabecus, audito noſtro in Italiam itinere, ad ſuos amicos ſcripſerant. Canonica opidum, ad fluvium Adam, in prandium occurrit; ad veſperum Bergomum civitas, in edito colle ſita ad Alpes, quæ Rætiam ab Italia diſterminant. Ibi R. P. Benvenutum, Auguſtinianorum vices gerentem, convenimus, Magliabeci amicum, qui nos multa comitate ad hoſpitandum apud ſe invitavit. Vidimus Ambroſii Calepini, qui ibi religioſus fuit, auto-

An. 1685. Maio. graphum, & alia nonnulla, quantum temporis anguſtia tulit. Quippe nox imminens, & hoſpitii ſitus extra urbem, nos pridie ſummo mane diſceſſuros diutius illic morari non ſinebant.

BRIXIA, VERONA, VICENTIA,

XIV. Brixia itidem ad Alpes, ſed in ſolo æquabili ſita, nobis hoſpitium præbuit. Conventus a nobis illuſtriſſimus Julius Antonius Averoldus cum litteris Mezabarbæ, vir in litteris humanioribus & in numiſmatum ſcientia maxime verſatus: is, qua humanitate eſt, nos ad eos omnes deduxit, penes quos aliquid litterarum eſſe noverat. Per hunc vidimus bibliothecam illuſtriſſimi epiſcopi Brixienſis, Hermetem Lontanam, nobilem Brixienſem ac litteratum; & Fortunatum Vinaceſium, mercatorem quidem, ſed qui multas linguas & libros callet. Eccleſia cathedralis beatiſſimæ Deiparæ antiquiſſima eſt, in terram depreſſa, cujus loco nova modo ædificatur. Duo in urbe Ordinis noſtri cœnobia, alterum ſanctæ Euphemiæ, alterum ſanctorum Fauſtini & Jovitæ. Huc profecti ſub veſperum, cum matutinos eo tempore (nam is fere in Italia recentior mos eſt) Patres recitarent; vocatus e choro Prior adeſſe non potuit, quod e divinis officiis quemquam exire Abbas non pateretur. Id longe magis probabile eſt, quam præpoſtera illa nocturni officii ſub ipſius ſolis oculis recitatio. Nihil in monaſterio repertum pro ſtudiis noſtris. Ad portam majorem eccleſiæ duæ ſunt Romanæ inſcriptiones, ſed inverſæ, litteris ſupine converſis ab architecto recentiore. Una eſt VALERIAE VARIANAE. Altera M. AURELII PISONIS & VITALIAE SILVIAE. In urbis compitis fontes amœniſſimi e canalibus fluunt.

XV. Gardam lacum ampliſſimum, & Piſcheriam opidum valde munitum, quod a Scaligeris Veronæ tunc Principibus conditum tradunt, prætergreſſi, Veronam acceſſimus. Suburbanum ſancti Zenonis monaſterium noſtri Ordinis antiquum eſt, antiqua item eccleſia a Pippino Italiæ Rege, ut creditur, exſtructa: qui Pippinus in adhærente ſancti Proculi cœmeterio ſepultus eſt in crypta, in quam tredecim gradibus fit deſcenſus. Sub tuguriolo quatuor columnis innixo exſtat tumulus cum operculo ex rudi lapide: aqua ex ſuperioribus ſtillans in loculum, infirmis non raro propinatur. Adjunctum eſt aliud cujuſdam magnatis ſepulcrum ad ſoli æqualitatem, ſed mar-

moreum. Portæ eccleſiæ ſancti Zenonis ex ære cum figuris: fornix in apſide eccleſiæ, alibi tabulatum. Sub majori altari eſt crypta ſubterranea, in qua corpus ſancti Zenonis pone altare in lapide marmoreo conditum eſt. Ad portam eccleſiæ ingens conſpicitur labrum porphyreticum, habens in orbem pedes viginti ſex, quod ad ſancti Zenonis tempora referunt. In archivo monaſterii vidimus authenticum diploma Henrici I. Imperatoris cum plumbea bulla, *datum anno M. XIV, imperii ejus primo.* Nihil librorum ſupereſt in bibliotheca, quam ſacrorum voluminum copia refertam Ambroſius Camaldulenſis aliquando viderat. Monaſterium olim Teutonicis conceſſum eſt ab Imperatoribus Germaniæ: nunc loca monachorum Venetis plerumque a ſæculari abbate non ſine præmio conceduntur. Monaſterium aliud ſancti Nazarii Caſinenſium eſt. Eccleſia cathedralis Deiparæ Virginis titulo inſignita: cujus Canonici quatuor & viginti a ditione epiſcopi ſoluti, Patriarchæ Aquileienſi proxime ſubjecti ſunt. Duplex in illa eccleſia eſt ordo ſubſelliorum: unus apſidem coronat: alter continuus eſt uſque ad cancellos ferreos, qui navim à choro dirimunt. Sacerdos ſacra faciens converſam habet faciem ad populum, renes apſidi obverſos. Olim in illa eccleſia celeberrima bibliotheca erat, id eſt *plurima volumina miræ vetuſtatis*, teſtante Ambroſio Camaldulenſi: qui tamen nihil ſingulare in illis invenit. Et quidem antiquiſſimum Cypriani exemplar quondam ibidem aſſervabatur, cujus contenta Romæ apud Patres Oratorii vidimus: ſed nullos in illa eccleſia libros modo ſupereſſe nobis aſſertum eſt. Poſtmodum iſtum codicem, majuſculis litteris ante annos mille perſcriptum, a canonicis Veronenſibus Carolo Borromæo dono datum fuiſſe, ex Aldi Ortographia didicimus, verbo *culcita*. A.N. 1685. Maio.

In quodam codice Chriſtinæ reginæ Suecorum ſtatutum legitur Veronæ editum, quod hoc loco referri non ab re erit ad patriæ noſtræ hiſtoriæ illuſtrationem. *In urbe Veronenſi ab Urbano Papa tertio, de communi fratrum ſuorum conſilio inſtitutum fuit & ſancitum, ut in hac eccleſia & univerſis totius regni Franciæ eccleſiis, XIII. Kal. Octob. veſpere & mane pulſatis campanis,* LUDOVICI, *piæ recordationis quondam illuſtris Francorum regis, anniverſarium annis ſingulis ſollemniter & devote celebretur. Actum anno ab Incarnatione Domini M C LXXXVI, regnante Philippo victorioſo ejus filio, regni ſui anno VIII.* Hactenus vetus codex.

An. 1685. Maio.

XVI. Litteras a Mezabarba detulimus ad illuſtriſſimum Comitem Franciſcum Moſcardum, qui nobis locupletiſſimum ſuum muſeum oſtendit, multis vetuſtis monumentis & inſcriptionibus refertum, ut liber hac de re vulgatus partim docet. Quicquid ad profana veterum ſacrificia pertinet, ibidem invenitur. Inter res ſacras, unum eſt vas ex marmore albo, quod vetus baptiſterium eſſe putant ad uſum Græcorum; alii vas aquæ luſtralis. Figuræ eſt orbicularis in anguſtius collum deſinens, quam ut pro baptizandis uſui eſſe potuerit, & in ſumma etiam minus quam par eſſet. Habet altitudinis ternos pedes cum duobus pollicibus; in orbem, ubi major eſt capacitas, unicum pedem & pollices novem. Inſcriptio græca, quæ uſum ejus ſacrum fuiſſe indicat, hujuſmodi eſt: Αντλήσατε ὕδωρ μετὰ εὐφροσυνης, ὅτὶ φώνη κυρίου ἐπὶ τῶν ὑδατῶν. Id eſt, *Haurite aquam cum gaudio, quia vox Domini ſuper aquas.* Deſcripſimus ex eodem muſeo vetuſtiſſimum omnium, quod quidem umquam viderimus, authenticum inſtrumentum, *conſulatu Theodoſii junioris & Albini*, id eſt anno CCCC XLIV confectum in gratiam Siſinnii, cui res a Tranquillo extortæ fuerant, ſed per Pyrrhum tribunum juſſu Imperatoris reſtitutæ. Optandum eſſet, ut tria hac de re Imperatoris commonitoria, quæ in charta Ægyptiaca ſcripta ſunt, integra eſſent. Ex variis ejuſdem muſei inſcriptionibus duas tantum proferemus.

X. VALIIRIUS. SII. X. P.
SIBI. IIT. SIICUNDAII
VALERIAII. M. P.
UXORI.

Hæc inſcriptio confirmat Alciati obſervationem, qui veteres loco vocalis E duo II ſcribere ſolitos fuiſſe annotavit. Altera inſcriptio mentionem facit de victis Cimbris a Gaio Mario.

D. F.
G. M. TRUCIDATIS
CIMBRIS. IN. F. ITA. A. V.
R. R. OB. INSIGNEM. EJUS
MEMORIAM.
S. P. Q. R.

Idem Moſcardus nos in academiam muſicorum (Philarmonicos appellant) deduxit, ubi multæ item veteres inſcriptiones ſ-

tum

Iter. Ital. ad pag. 24.



tum in amphitheatrum, quod tempore Auguſti a Veronenſibus conſtructum eſt. Quadraginta quatuor in orbem ſubſelliorum ordines continet, in quibus ſex ſupra viginti hominum millia in arenam commode proſpicere poterant. Opus inſigne ac fere integrum a Veronenſibus magna diligentia ſervatum. Utinam Romanum, cui nullum in orbe par eſt, eodem ſtudio curatum fuiſſet, non tam profanum, quam ſacrum opus, Martyrum & Confeſſorum ſudore elaboratum. An. 1685. Maio.

XVII. Adeundo Vicentiam per amœnum ejus agrum, nobis obvium in ſuburbio fuit ſancti Felicis Ordinis noſtri monaſterium, cujus eccleſiam & regulares officinas in tranſcurſu luſtravimus. Omnia non multis abhinc annis inſtaurata, emundata, exornata, magnum ubique nitorem præferunt. In crypta ſubterranea corpora ſanctorum Felicis & Fortunati intra arcam marmoream aſſervantur. Ad ſingulas eccleſiæ aras (qui ritus in omnibus Italiæ baſilicis paſſim obſervatur) ſingulæ appenſæ ſunt lampades. In clauſtro nonnullæ veteres exſtant inſcriptiones. Nulla illic præter hæc vetera monumenta.

In urbe illuſtriſſimus Comes Carolus Æmilius Gonzata, ad quem litteras ex Mezabarba habebamus, nullum humanitatis in nos officium prætermiſit, & tantum non coëgit, ut apud ſe hoſpitaremur. Ab eo per urbem deducti, primum quidem in majorem beatiſſimæ Virginis eccleſiam, cujus chorus elegantiſſimus eſt, navis latiſſima ſub fornice humiliori: deinde in palatium prætorianum, ubi decem magiſtratus jus dicunt. Prætorii aula ampliſſima diverſa habet tribunalia, in quibus unum eſt Equi (ſic vocant) pro mercatorum cauſis. Tribunal Poteſtatis omnibus ſuperius. In porticu ſiniſtra parieti inſertus eſt lapis antiquus cum inſcriptione in honorem Gordiani Cæſaris *ex liberalitate Matidiarum*, quæ inſcriptio apud Gruterum legitur. Grut. pag. CCLXXII. Hunc lapidem prope forum frumentarium humo defoſſum X viri reip. Vicentinæ eo in loco conſpicuo poni curarunt anno M D LXXXVI. Dum in prætorio verſaremur, nobis adjuncti multi viri nobiles, ad alia loca ſe ſe nobis comites præbuerunt, nempe ad vetus amphitheatrum, cujus unicus fornix ſupereſt ex lapidibus coctis; & ad novum, auctore Andrea Palladio Vicentino, nobili in primis architecto, qui prætoriani palatii, aliorumque duorum formam delineavit.

Non longe a Vicentia Theobaldus ex Comitibus Campa-

An. 1685. Maio. niæ aliquando ſolitariam vitam duxit, in loco cui *Sallaniga* nomen indidit antiquitas: ſepultus poſtea in monaſterio Vicentiæ proximo, *Vangadicia* dicto, quod olim noſtri Ordinis, nunc Camaldulenſium eſt. Hæc idcirco notamus, quod apud Vicentinos nulla Theobaldi ſuperſit notitia, ſaltem apud viros doctos, quos de illo percontati ſumus. quo minus mirandum eſt, antiquarum rerum notitias ex hominum memoria jam evanuiſſe. His antiquitatibus, quæ quidem ad Vicentiam pertinent, revocandis atque colligendis incumbit vir antiquitatis ſtudioſiſſimus Johannes Martius Cerchiarius, a quo cum nonnulla petiiſſemus, hoc reſponſum accepimus.

Voraciſſima temporis injuria Vicentina monumenta adeo attrita ſunt, ut nunc priſci decoris perexigua ſuperſit notitia. Irrita ſane mortalium vota, quæ præclare geſta marmoreis faſtis conſignant, quaſi ruderum mole non tumulentur ſepulcra, quaſi fatorum atrocitate immunes non moriantur & lapides. Operæ itaque pretium me facturum duxi, ſi in unum colligerem ea, quæ ſparſim agris disjecta, ſuiſque Manibus revulſa vagabantur: ut iterum hoc novo, licet inſulſo, opere, venerabunda patriæ refloreſcat antiquitas. Ad vos igitur, Patres religioſiſſimi, qui litterario bono præſidetis, inſcriptionem a me quæſitam tranſmitto. Credite etiam in marmore mei pignus obſequii perennabit, & ſi Deus annuerit, ut patriæ monumenta in unum opus congeram, meam erga vos obſervantiam facundius eloquentur.

Inſcriptionem illam, de qua loquitur vir doctus, hoc loco prætermittimus, quod ſit vulgata apud Gruterum.

PATAVIUM.

* *Padouë*

XVIII. * Patavium, urbs magna, ſed parum culta pro ſitus amœnitate, academiam habet celeberrimam, cujus ſcholares, plerique exteri, magna licentia fruuntur. Epiſcopus loci eminentiſſimus Cardinalis Barbadicus, ad quem litteras ex Cardinale Caſanata habebamus, tunc extra urbem verſabatur. In reditu magnam ejus in nos dignationem, quanta major eſſe nequit, experti ſumus. Eccleſiæ cathedralis bibliothecam interim vidimus. Hanc Jacobus Zenus epiſcopus Patavinus compluribus codicibus, & manu conſcriptis, & a primordio typographicæ artis impreſſis, confertiſſimam ſibi comparavit, apoplexia ſubito exſtinctus nulli reliquit inteſtatus. Petrus Foſcarus Cardinalis ejus ſucceſſor, eamdem ob

tumultuoſum funus diſtractam, direptamque, vigilanti ſollicitudine conquiſitam & redemtam, Patavinæ eccleſiæ Canonicis dono dedit anno M CCCC LXXXI. Johannes Baptiſta Verus canonicus locum ornavit paucis abhinc annis. In illa bibliotheca exſtant *Sexti Frontini ſtratagematum* libri tres: item codex unus, varia continens *acta Caroli de Malateſtis* in Concilio Piſano cum ejuſdem Concilii hiſtoria: alius *Roberti VValturii* libros XII. de re militari *ad Sigiſmundum Pandulfum Malateſtam, Ariminenſem Regem ac Imperatorem*, egregie ſcriptos. Hi libri non ſemel excuſi ſunt: ſed memoratu dignum eſt id quod in libro X. refertur de invento cujuſdam machinæ bellicæ ad ignitarum * glandium ſimilitudinem, quod inventum Sigiſmundo tribuit VValturius. Sed hæc bellica mittimus, ut aliquid breviter obſervemus de alio ejuſdem bibliothecæ codice, nempe de hiſtoria a fratre Ptolomæo de Luca, Ordinis Prædicatorum, ſcripta ad Guillelmum de Baïona, tituli ſanctæ Cæciliæ preſbyterum cardinalem, qui auctor libri XVI. cap. VIII. hæc habet de Leone IV. cui Johannam Papiſſam nonnulli ſucceſſiſſe fabulantur. *Omnes quos legi, præter Martinum, tradunt poſt Leonem* IV *fuiſſe Benedictum* III. *Martinus autem Polonus ponit Johannem Anglicum* VIII. Hinc patet, quod ab aliis jam probatum, Martinum Polonum, qui Nicolai III Pœnitentiarius, dein Gneſnenſis in Polonia archiepiſcopus, obiit anno M CC LXXVIII. primum eſſe hujuſce fabulæ, ſi non auctorem, ſaltem narratorem. Certe in ſinceris Mariani Scoti & Sigeberti exemplaribus de illa mentio nulla eſt. Ejus occaſione in mentem venit alia fabula, cujus meminit Herchempertus, ſomnium videlicet Arechiſi principis Beneventani, cui noctu a dæmone revelatum fuerit, Patriarcham, qui Conſtantinopoli nuper electus fuerat, feminam eſſe, ſexum Conſtantinopoli maſculinum ſub clerici veſte mentitam. Quocirca expergefactum Arechiſum ſuos nuntios Conſtantinopolim miſiſſe, per quos factum ſcribit auctor, ut tam turpi & pernicioſo errore ſublato, feminaque a patriarchali ſede dejecta, peſtis etiam, quam tanto ſceleri expiando Deus in eam urbem immiſerat, ſedata ſit. Huc fortaſſe ſpectavit Leo Papa IX in epiſtola ad Michaëlem Cerularium CP. epiſcopum, ſcribens, id fama conſtante ad ſe perlatum, multos eunuchos in eo patriarchatu ſediſſe, immo etiam unam feminam. quod poſtea Græci etiam in Romanos regeſſerint. De pſeudopa-

AN. 1685. MAIO.

* *bombes*

An. 1685. Maio. piſſa Johanna plura inferius.

XIX. Sabbato ſanctæ Juſtinæ inſigne Ordinis noſtri cœnobium vidimus, cui vix par alterum in tota Italia reperias. Inde inſtauratio religionis ante annos ferme trecentos per totam non ſolum Italiam, ſed Europam propagata. Eccleſia ampliſſima, novi, ſed eximii operis, octo habet teſtudines ſeu rotundas turres. Interiora ſacellorum ornamenta nondum penitus abſoluta. In uno jacet corpus beati Arnaldi Abbatis; ſanctæ Juſtinæ in crypta ſubterranea. Arnaldi epitaphium, quod in veteri codice legimus, inter alia ſic canit.

Hic aderam Paſtor, me perfidus ille tyrannus
Miſit captivum fallax Ecelinus Aſylum,
Et longus carcer vita ſpoliavit ibidem.

Aſylum opidum eſt in pago Tarviſino. Aliud ejuſdem Arnaldi epitaphium habet, Arnaldum ex vico *Limina,* qui ſeptem millibus paſſuum ab urbe diſtat, ortum fuiſſe. Bernardinus Scardeonius ejuſdem obitum ad annum M CC LIIII refert. In illo cœnobio triplex periſtylium ſive clauſtrum, & triplex ſuper unumquodque ordo cellarum. Bibliothecæ codices antiqui ad ſexaginta, partim græci, partim latini. Ex græcis *Baſilii homiliæ in Pſalmos*, itemque aliæ homiliæ *de Barlaamo martyre* & aliis. *Commentarius in Evangelium Johannis*, *Philoſtratus &c.* Ex latinis *Salvianus de providentia*, & codex librorum quatuor *de Imitatione*, ſcriptus anno M CCCC XXXVI. cujus codicis titulum veterem nonnemo vitiavit, & nomen *Gerſon*, *alias Thomæ de Campis* appoſuit. Ludovici de Venetiis abbatis ſanctæ Juſtinæ epiſtolas Mediolani vidimus in bibliotheca Ambroſiana.

Aliæ ſunt bibliothecæ Patavinæ, apud Canonicos regulares monaſterii ſancti Johannis in Viridario, apud Auguſtinianos, & Minoritas ad ſanctum Antonium, quem abſolute *Sanctum* appellant. Hujus eccleſia magnifice conſtructa & ornata eſt: ubi viſitur mauſoleum Octavii Ferrarii ex marmore albo exquiſito. In ſummo Famæ effigies: ſubtus Ferrarius dimidiato corpore; a dextris Pallas, a ſiniſtris Mercurius: ſub icone urna Ferrarii oſſa comprehendens cum hoc epitaphio.

OCTAVIO FERRARIO MEDIOLANENSI,
In quo ornando & extollendo magni Reges ac Principes certarunt. Veneta Reſp. præter alia decoramenta bis mille

florenorum honorario auxit. LUDOVICUS MAGNUS *Francorum Rex ſponte annuorum quingentorum congiarium diu indulſit : Chriſtina Auguſta equeſtri inſigni extulit. Ille Regum opes ac munera animo æquans , facundia , fide & conſilio , invidiam aut vicit , aut gloriæ incitamentum habuit. Septem & quadraginta annos cum admiratione auditus eſt : quinto & ſeptuageſimo obticuit , quamdiu litteris honor conſtabit , ſcriptis apud poſteros locuturus.* AN. 1685. MAIO.

JULIUS FERRARIUS P. M. M. P. ANNO M. DC. LXXXIV.

Nullus hactenus tanti viri cathedram , quæ de politiori litteratura eſt , occupat , ut ejus deſiderium & meritum inde augeatur. Eamdem academiam ſcriptis & doctrina ſua illuſtrat eruditus e noſtratibus Carolus Patinus , Equitis titulo a Rep. donatus : qui nobis pretioſa ſua cimelia oſtendit , librumque dono dedit ab ſe editum in inſcriptionem græcam Smyrno allatam , cujus prototypon vidimus. Non procul ab urbe , in villa Arqua tumulus eſt Franciſci Petrarchæ , qui politiores litteras ſuo tempore , uti omnes norunt , excitavit. Ea de re ſibi ipſe gratulatur in epiſtola ad Johannem Olmutienſem epiſcopum , qui cum inepto blanditiarum modo , ut hodie quoque nonnulli faciunt , Petrarcham plurali numero compellaſſet , reſpondet Petrarcha , ſe non mediocri ſtupore affectum , ob inſolitum ejus ſtilum ; *modernorum blanditias & meras ineptias exſecrari ;* gloriari vero , quod *ſtilum illum patrum , hac in parte femineum & enervem,* unus ipſe , ſeu primus per Italiam immutaſſe videatur. *Petrarc. lib. 12. ep. 14.*

An vero prætermittemus Titum Livium , magnum illud Patavii ornamentum ? cujus ſcripta præclara ſi tanta cautione , atque ejus cineres ſervaſſent concives , hodie quoque omnes ejus decades integras haberemus. Sed antiquior eſt illa jactura , quam ut modo reſarciri poſſit , quidquid nugivenduli neſcio qui jactitent. Hanc quippe jacturam jam ſuo tempore deplorabat mox laudatus Petrarcha , qui ita Livium alloquitur. *Te in libris tuis video , non equidem totum , ſed quatenus nondum ſæculi noſtri deſidia periiſti. Centum quadraginta duos rerum humanarum libros edidiſſe te novimus : heu quanto ſtudio , quantis* *idem lib. ult. epiſt. 4.*

An. 1685. Maio. *laboribus vix triginta ex omnibus ſuperſunt.* Ita Petrarcha: qui addit ſe tum Patavii, *in veſtibulo Juſtinæ virginis, ante ipſum* Liviani *ſepulcri lapidem* habitaſſe, VIII. Kal. Martias anno a Chriſti ortu M CCC L. Huic vitio vertit Mapheus Vegius in libro tertio de educatione puerorum, quod laureandorum poëtarum morem invexit primus. Ad Livium ut redeat oratio, dimidia ejus ſtatua erecta cernitur in majori civitatis aula prætoriana, qua vix ulla magis ampla reperiri poteſt. Habet quippe longitudinis pedes CC LVI. latitudinis abſque pilis LXXXVI. cum tabulato affabre elaborato, & tecto ex laminis plumbeis. Ad hanc aulam quatuor ſcalis magnificis aſſcenditur.

XX. Dominica die itum ad monaſterium beatæ Mariæ de Pratalea Ordinis noſtri, ſitum in collibus Euganeis ad ſextum milliare extra mœnia. Ibi ad triginta monachi: eccleſia elegans in aggere ſita: dormitorii cellæ ſolo eccleſiæ æquatæ: triplex clauſtrum: bibliotheca nitidiſſima, libris antiquo ritu diſpoſitis referta, atque picturis ornata eſt.

XXI. Patavio iter eſt Venetias viginti quinque millium ſecundum Brentam fluvium ejuſque canalem. Ex utraque ripa continuæ villæ & magnifica palatia nobilium Venetorum. Medio itinere apud Miram hæc inſcriptio legitur in ædibus Contarenianis.

HENRICUS VALESIUS REX, CUM E POLONIÆ REGNO, QUOD EJUS SUMMÆ VIRTUTI MERITO FUERAT DELATUM, IN GALLIAM, CAROLO FRATRE IX REGE VITA FUNCTO, AD PATRIUM ET AVITUM IRET, HAC ITER FACIENS, ULTRO AD HAS ÆDES DIVERTIT, TOTA FERE ITALIA COMITANTE, ANNO SALUTIS M D LXXIV. VI. KAL. SEXTILES.

TANTÆ HUMANITATIS MEMOR FEDERICUS CONTARENUS * D. M. P. FUNDI DOMINUS M. P.

* *D. Marci Procurator.*

VENETIÆ.

Foſſinæ vicus eſt ad oram lacus, unde Venetias per quatuor aut quinque millia naviculis itur. Urbem hanc toto orbe celeberrimam & maxime ſingularem reddunt ejus ſitus, ædium

forma & elegantia, frequentia civium & advenarum, copia omnium rerum, libertas moduſque vivendi, qualis nuſquam locorum invenitur. Sita eſt in mediis aquis, quæ ad marini æſtus acceſſum & receſſum creſcunt ac decreſcunt, nec admittendis magnis navibus ſatis idoneæ, nec inutiles ad convehendas merces. Illic in mediis aquis videas ſurgere innumeras ædes & permulta palatia, quorum elegantia & magnificentia certant ex æquo. Hæc fundamentum habent in mobili & paludoſo ſolo, quod mille mæandris aqua ita interſecat, ut tota civitas per ſolidas vias adiri & circumiri; atque per liquidas ſeu canales itidem tota enavigari poſſit ope & ſubſidio ſcapharum roſtratarum, *gondollas* vocant, quæ ad quatuordecim millia ea in urbe huic officio inſerviunt, ea celeritate & facilitate, ut in locis, quantumvis anguſtis & intricatis, adverſarum cymbarum occurſu & concurſu nequaquam impediantur. Infiniti per urbem pontes, ſed inſignior qui ſuper majorem canalem conditus eſt, a Rivo-alto vulgo *Realte* nuncupatus: cujus unicus ex marmore arcus ambas ripas conjungit, longus pedes C XX. cum duplici ordine officinarum. In eam urbem nocte ac die facilis ingreſſus & ex ea egreſſus, nullis portis murorumve præſidiis, nullis portoriorum exactoribus, nullis excubiis: & nihilo minus plena ſecuritas, maxima item libertas, ſed ad licentiam uſque, modo ne quid contra Rempubl. Nulla, excepto habitu, diſtantia inter nobilem & plebeium: omnes abſque famulorum ſatellitio publice procedunt. AN. 1685 MAIO.

Plurima templa præclara ſunt in illa urbe, ſed præ ceteris ſancti Marci. Ejus ſtructura eſt græcanici operis ab anno M LXXI. non ita excelſa, quam magnifica & ornata. Conſtat quinque teſtudinibus diſpoſitis in formam crucis, & plumbo tectis. Parietes marmore exquiſito intus & foris incruſtati, portæ ex ære, quinque in facie primaria. His ſupereminent quatuor miræ venuſtatis equi ex ære cyprio deaurati, qui a Conſtantino Roma (forte ex tumulo Hadriani Auguſti) Conſtantinopolim, indeque Venetias per Remp. anno M CC VI. tranſlati ſunt. Supra hos equos Leonis deaurati effigies pro ſymbolo Reip. Ad principem portam exſtant, præter alias multas, (ad quingentas numerant, tum porphyreticas, tum marmoreas) columnæ quatuor ex ophite ſeu lapide ſerpentino, quibus templum Salomonis olim ornatum fuiſſe ferunt. Ante eamdem portam, inter atrii oſtia, lapidi magno rubeo quadrato infixa eſt lamina,

An. 1685. Maio. in qua Alexander tertius, qui apud Venetias aſylum invenit, Frederici Ænobarbi collo pedem impoſuiſſe dicitur, his litteris inciſis, *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis.* Pavimentum variis marmoris & pretioſorum lapidum ſegmentis teſſellatum: fornix eodem modo picturis emblematiſque diſtinctus eſt. In pavimento, quod a Joachimo abbate illo fatidico delineatum aiunt, varia ſymbola exprimuntur: in his duo galli gallinacei vulpem excutientes. quod de Carolo VIII & Ludovico XII Francorum regibus interpretantur, qui Ludovicum Sfortiam Ducatu Mediolanenſi injuſte occupato ſpoliarunt. Altare majus ornant tabula inferior ſeu antipendium ex argento; tum *pallium (ut vocant) ſeu tabula ſuperior, Sacerdotis oculis objecta ex auro ſolido & gemmis pretioſiſſimis; atque ciborium, quod baldachinum appellant, innixum quatuor columnis ex vario marmore affabre ſculptis. Pone majus altare ædicula eſt, in qua reconditum aſſervatur ſanctiſſimum Sacramentum, cum umbella ſuper aram inſtar ciborii, quam quatuor columnæ ex alabaſtrite inſtar vitri pellucidæ ſuſtinent. Eccleſia in gyrum habet pedes DCCCCL. in longum CCXX. Sacrarium multa continet exquiſita & pretioſiſſima, ſupellectilem Conſtantini, ut ferunt, ex achate & cryſtallo; diſcum ex uno ſmaragdo, tres ex achate, unum ex topazio, coronas ſex gemmis ornatas, ducalem aliam cum adamante immenſi pretii; alterum item adamantem ex dono Henrici tertii Francorum regis. His omnibus longe præferendum eſſet Evangelium ſancti Marci, ſi (ut ipſi aſſerunt) propria ejus manu eſſet exaratum. Alterum oſtendunt librum Evangeliorum, quod ſancto Johanni Chryſoſtomo tribuunt, ſed ne de rei veritate periculum fiat, hi libri ſigillis obſignati ſunt, nec cuiquam aperiuntur. De corpore ſancti Marci illuc tranſlato teſtis eſt in Itinerario ſuo a nobis edito Bernardus monachus Francus ante annos octingentos. Alia eſt Patriarchalis eccleſia ad ſanctum Petrum, beati Laurentii Juſtiniani tumulo & corpore inſignis: hæc vero ſancti Marci Ducalis & collegiata, cujus primam dignitatem obtinet Primicerius, pontificiis inſignibus gaudens. Baptiſterium ex ære pulcre elaboratum in ſacello ad portam, qua aditus eſt in contiguum palatium Ducis. Ante eccleſiam magna platea cernitur, elegantiſſimis ædibus circumdata: ante palatium alia non minor, ubi nobiles de rebus maximis diſcurrendo loqui, & deliberare ſolent. *Brolium* ſeu peribolium appellant, quo in

* *Pala*

loco

loco nullus plebeius iis ſe adjungere audet. Palatium Ducis dextro eccleſiæ ſancti Marci lateri adhæret, perquam magnificum, æreis tegulis opertum, tabulis inſigniorum pictorum decoratum. Variæ per unam porticum anguſtis cuniculis patent arculæ, in quas delatores quique ſchedulas ſuas conjiciunt, aliæ pro ſeditioſis, aliæ pro impiis, pro diverſis criminum generibus diverſæ, maxime in eos, qui in remp. peccant. Proximum eſt palatio minus armamentarium pro quatuor millibus armatorum: aliud maximum in angulo civitatis. An 1685. Maio,

E regione ducalis palatii viſitur bibliotheca ſancti Marci, multis codicibus, tam græcis, quam latinis referta: quos pleroſque, magno ſtudio, magniſque impenſis conquiſitos, Beſſarion Cardinalis Reip. dono dedit, ac baſilicæ ſancti Marci dicavit anno M CCCC LXIX. Hujuſce doni rationes ipſe commemorat in epiſtola ad Principem Venetorum Chriſtophorum Morum, & ad inclitum Senatum. Primo quod nullum locum tutiorem inveniſſet. Deinde quod nullum commodiorem, ac ſuis hominibus, ſcilicet Græcis, aptiorem, qui Venetias appulſi, tamquam apud alterum Byzantium degere ſoliti ſint. Denique quod nullus ſibi occurriſſet alius locus, ubi honeſtius collocari poſſet, quam apud eos homines, quibus eſſet multis obſtrictus beneficiis; & in ea civitate, quam ſibi, ſubjugata Græcia, elegiſſet, & in quam a Venetis accitus, atque honorificentiſſime receptus fuiſſet. Hæc epiſtola inter philologicas a Goldaſto vulgata reperitur. In veſtibulo iſtius bibliothecæ multa egregia ſigna ſeu ſtatuæ & imagines: vas ipſum ædificii præclarum cum egregiis picturis; ſed cui multum librorum editorum deeſt ad abſolutam bibliothecæ perfectionem. Ejus curator eſt humaniſſimus abbas Gualterius, nobilis Scotus. Indicem a Thomaſino vulgatum quivis conſulere poteſt. Præcipui ſunt græci: quos inter *Photii bibliotheca, libri Auguſtini de Trinitate* græce & latine, *Themiſtii orationes:* e latinis *commentarius in Pauli epiſtolas ex libris Auguſtini*, Petro Tripolitano adſcriptus, quod non facile aſſeruerim: *Sophiani liber de machinis bellicis* ad ipſum Beſſarionem Cardinalem. In vacuo folio cujuſdam veterrimi codicis exſtat inſcriptio de Lappæo Cretæ oppido, cum hoc titulo: *Apud Cretam inſulam.*

ΛΑΜΠΠΑΙΩΝ. Η. ΠΟΛΙΣ. ΜΑΡΚΟΝ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ.
ΚΛΗΣΙΠΠΟΝ. ΤΕΙΜΗΣ. ΚΑΙ. ΜΝΗΜΗΣ. ΧΑΡ.

An. 1685. Maio. Hujus inſcriptionis duo tantum priora vocabula leguntur apud Gruterum, & apud eruditum Harduinum in ΛΑΠΠΑΙΩΝ.

Grut. pag. M XCI.

XXII. In adverſa inſula palatio & plateæ ducali reſpondet inſigne monaſterium ſancti Georgii noſtri Ordinis, Majoris appellatum: quod præ omnibus Italiæ cœnobiis apte & concinne ædificatum nobis viſum eſt. Eccleſia ejus minor, quam ſanctæ Juſtinæ Patavinæ, Palladium auctorem habet. Subſellia vitam ſancti Benedicti eximie inſculptam repræſentant. In aditu e clauſtro ad chorum ſepultus eſt anno M C X Petrus Venetus monachus, qui corpus ſancti Stephani protomartyris Byzantio illuc advexiſſe dicitur. Regulares monaſterii ædes elegantia nullis cedunt. Clauſtrum duplex, bibliotheca bene inſtructa, maxime concinna & ornata. In refectorio pictura exquiſitiſſima Pauli Veronenſis, cænam Canæ repræſentans. Tanta apud nos elegantia magnificentiave non quærenda: ſed optandum eſſet, ut majori ſtudio nitor & mundities, præſertim in templis noſtris, curaretur: ubi ſordido pulvere parietes, & feneſtrarum anguli telis aranearum inquinati eſſe ſolent. Hanc ſane incuriam nobis merito exprobrant non ſolum Itali, ſed etiam Germani & Belgæ, apud quos nihil inquinatum & oculis indignum in eccleſiis toleratur. Georgiani monaſterii hiſtoriam italice ac latine ſcripſit Fortunatus Ulmus, ſed ineditam. Alia eſt apud Venetos ſancti Georgii Græcorum eccleſia, ubi monachi Baſiliani ſchiſmatici degunt: alia item ſancti Georgii in Alga, de qua alias. Prope ſanctum Georgium Majorem alia eſt inſula, vocabulo Judæca, ubi in eccleſia ſanctæ Crucis, quæ eſt Ordinis noſtri ſanctimonialium, magni Athanaſii corpus aſſervari creditur. Ibidem egregia viſitur Capucinorum eccleſia, ex voto reip. Salvatori conſecrata ob peſtem exſtinctam. In ea voces repercuſſæ gratiſſimum quaſi concentum reddunt. Capucinorum domus nihilo minus ab inſtituta ſimplicitate degenerat.

XXIII. Ad ſancti Nicolai monaſterium e noſtris, in Litore dictum, ſacra fecimus. Situm eſt extra urbem in continente. In eccleſiam loci tranſlatum dicitur corpus ſancti Nicolai epiſcopi Myrenſis anno M. C. id eſt anno vigeſimo ſexto a monaſterii conditione. Ibi viſitur picta effigies Nicolai Juſtiniani ejuſdem loci monachi, cui prænobilis Juſtiniana familia alteram ſui debet originem: itemque effigies Annæ ejus conjugis, Vitalis ſecundi Ducis filiæ. Ille poſt emiſſam vitæ monaſticæ pro-

feſſionem, tempore Alexandri III. cum proles maſcula ex ſua gente defeciſſet, Pontificis permiſſu Annam duxit uxorem: ex qua poſtquam aliquot liberos ſuſcepiſſet, in monaſterium ſuum reverſus eſt: Anna vero item monacharum cœnobium ingreſſa. In eccleſia ſancti Nicolai Dux cum Patriarcha & toto ſuo comitatu die feſto Aſſcenſionis, poſt ſollemnem maris deſponſationem, ſacris a loci abbate celebrandis intereſt. Apud Franciſcanos conventuales magnificum eſt in primis mauſoleum Johannis Piſauri Ducis Veneti. In eccleſia ſancti Rochi, ubi ejus corpus aſſervatur, & in adjuncta conſodalium aula, quam *Scholam* vocant, multæ ſunt tabellæ egregie depictæ a Tintoreto: multæ item inſignes ex ligno ſculptæ per Franciſcum Plantam figuræ. AN. 1685. MAIO.

XXV. In menſam ſuam nos admiſit excellentiſſimus Orator dominus *de la Haye*, & poſt aliquot dies in armamentarium Venetæ reip. ſecum duxit. Illuſtriſſimum abbatem Bellonium nobilem Venetum convenimus, & clariſſimum Jacobum Brachium Doctorem medicum, viros doctos: ex quibus hic nobis libellum phyſicomedicum largitus eſt, italico ſermone ab ſe editum de animantibus morientibus ex defectu aëris naturalis aut facticii.

XXVII. Die Dominica apud ſanctum Zachariam facta eſt a Patriarcha ſex nobilium Benedictinarum conſecratio, quæ aliquot a profeſſione annis fieri ſolet cum magna pompa & multo apparatu. Poſt lectam Miſſæ epiſtolam Patriarcha ad chorum virginum accedit; & peracto conſecrationis ritu, omnes qui in conſecratarum virginitatem aliquid tentare auſi fuerint, diris vovet. Factum bene, ſi mores & habitus ab illa conſecratione non diſcordent.

Poſt meridiem excellentiſſimus Procurator Johannes Bapt. Cornelius nos in ſuas ædes invitavit. Is pater eſt illius clariſſimæ noſtri ſæculi heroinæ, Helenæ Corneliæ Biſcopiæ, quæ menſe Julio anni ſuperioris e vivis exceſſerat, annos nata XXXVIII, apud Patavium, ubi & Doctoris in Philoſophia titulum meruerat: ſepulta in monaſterio ſanctæ Juſtinæ inter monachos, uti ipſa moriens optaverat. Omnia ejus ſcripta multigenæ eruditionis (nam ipſa linguas minimum quinque præter maternam callebat) & alia id genus permulta nobis oſtendit amantiſſimus pater: ſed (quod nobis in primis jucundum fuit) teſtimonium authenticum, quo in numerum Oblatarum a Pa-

An. 1685. Maio. tribus noſtris, ſancti Georgii ſcilicet abbate & monachis, inſcio patre ſuſcepta eſt anno M DC LXV. Cum enim ſimplex caſtitatis votum ab ea factum litteris pontificiis pater, qui eam nuptum dare volebat, reſcindi curaſſet: hæc ad ſanctum Georgium profecta, & ſub Oblatæ nomine profeſſa caſtitatem, numquam ab ea retinenda deterreri potuit, quantumvis ſplendidis conditionibus ad matrimonium alliceretur. Ejus epitaphium, plumbeæ laminæ intra cupreſſinam arcam inſcriptum, ſic habet.

HELENA LUCRETIA CORNELIA BISCOPIA, *nobilis Veneta, maximi nominis virgo, & D. Benedicto ſponte dicata, Hebraici, Latini, Græcique ſermonis attici & neoterici, ſupra Hiſpanicum, Gallicum & Italicum peritiſſima, quos cantus ſuavitate mire exornabat; in ſcientiis omnibus præcellens, Doctorali laurea Patavii anno* M DC LXXVIII. XXV *Junii publice donatur, & Doctrix in cathedrali eccleſia declaratur. Cujus fama & ſcriptis permoti Summus Pontifex* INNOCENTIUS XI *&* JOANNES III. *Poloniæ Rex, litteris apoſtolicis* VI *Maii, & regiis* XIV *Junii* M DC LXXXIV *eamdem viſitarunt: atque Romanorum Imperator* LEOPOLDUS, *ſed &* CAROLUS III. *Lotharingiæ Dux mirifice commendarunt, aliique Principes ſummis honoribus cumularunt. At mortalem hanc gloriam eodem anno, die* XXVI *Julii, hora* XVIII. *in immortalem commutavit, ut duplicem Virg. & Doct. laureolam ſuſciperet in cælis, ætatis ſuæ* XXXVIII. *mæſtiſſimo parente* JOANNE BAPT. D. MARCI PROCURATORE SUPERSTITE.

Præclarum illuſtri filiæ mauſoleum nunc pater adornari curat ex marmore. Habet & aliam filiam nuptam, præclaris itidem dotibus ornatam, quæ multas etiam linguas recte callet.

XXIX. & ſubſequentibus aliquot diebus revolvimus codices bibliothecæ ſancti Antonii in caſtello, Canonicorum regularium ſancti Salvatoris, deducente nos humaniſſimo Patre

Calorio Somaſcho, cui Pater Semenzius ejuſdem inſtituti e Mediolano nos commendaverat. In ea bibliotheca multi ſunt codices græci & hebraici præter latinos: quos inter exſtat *breviarium operum ſancti Auguſtini* per Henricum abbatem Pompoſianum, qui opus ſuum Raynaldo Archiepiſcopo Ravennenſi nuncupavit. quod opus ipſo jubente ſuſcepit apud Argentam opidum agri Ravennenſis, dum Ferraria civitas bellicis motibus agitaretur. In eadem bibliotheca habetur *Paſſionale* antiquiſſimum bonæ notæ: & *verſio Ptolemæi Coſmographiæ* per Jacobum Angelum. Eccleſia beatæ Mariæ de Salute, quæ Somaſchorum eſt, fabricæ elegantis ac ſingularis, Reip. voto & magnificentiæ optime reſpondet; nec ulla apud Venetias comtior, & ornatior. An. 1685. Maio.

XXXI. Aſſcenſionis die feſto inſigne & toto orbe famoſum ſpectaculum exhibetur: quo die ſollemni pompa in mare Adriaticum e palatio Dux cum Senatu procedit, ludicram maris deſponſationem celebraturus. Vehitur deaurata navi, quam *Bucentaurum* appellant, adjunctis ſibi Senatoribus in veſte purpurea, & ipſe Ducis inſignibus & ornamentis inſtructus. Subſequitur in minori & humiliori cymba Patriarcha cum ſuo clero concinente, qui, ubi ad maris portum proceſſum eſt, comitante navicularum omnis generis & ſcapharum infinita multitudine, doliolum aqua plenum ad nuptialem Ducis lectum benedicit, tum aquam in mare projicit. Mox Dux novæ ſponſæ, injecto in mare anulo, ſponſaliorum arrham ſolvit his ſollemnibus verbis, *Sponſamus te, Mare noſtrum, in ſignum veri & perpetui dominii.* Deinde in eccleſiam ſancti Nicolai ad litus accedit cum Patriarcha & proceribus: ubi cum eiſdem intereſt feſtivis ſacris, quæ abbas cum monachis mox celebrat. Demum reverſos proceres Dux in palatio ſuo epulis recreat, quarum apparatus magnificus ſpectantium oculos prius recreaverat. De bucentauro, ut id obiter dicam, a Grammatico quodam interrogatus aliquando Mapheus Vegius Laudenſis, ſub Pio II quondam Datarius, unde hanc vocem formatam crederet; reſpondit a magnitudine boum, qui in Italia erant, conſuetudinem factam fuiſſe, ut præpoſita ſyllaba *bu*, magnum quiddam ſemper enuntiaretur. Inde dici *bulimiam* magnam famem, & *bupædas* grandes pueros. Simili ratione *bucentaurus*, quia Principes & magni viri ea vehi ſolent, quaſi *magna centaurus* appellata eſt. Centaurus namque ſignum erat, quod

An. 1685. Maio. magnæ navi imponebatur. Unde Virgilio, *Centauro invehitur magna.* Hæc Mapheus in libro ſecundo de educatione puerorum.

Antequam Venetiis diſcederemus, triſte ad nos perlatum eſt nuntium de obitu optimi ſenis noſtri Lucæ Acherii, de litteris bene meriti, quem patris loco ſemper ego ſuſpexeram. Cum Pariſiis egreſſi ſumus, lentus illum coquebat ardor, qui ſenſim in dies ingraveſcens, eum de medio ſuſtulit die XXIX Aprilis, cum natus eſſet annos fere LXXVII. Hæc interim de emerito ſene, dum alia ſe ſe offerat plura dicendi occaſio.

Junio. I. Romam verſus iter maturavimus, ut ante ſummos calores urbem attingeremus. Patavium, Mons-ſilicis, * Rodigium opidum, ubi inſignis eccleſia in honorem beatiſſimæ Virginis, multæ item inſcriptiones veteres penes Camillum Silveſtrum, nobis procedentibus primum pervia fuere.

* *Rovigo.*

III. Dominica Ferrariam ante meridiem acceſſimus. Magna quidem & præclara civitas, at civium multitudo longe impar. Eccleſia cathedralis beatiſſimæ Virginis ampliſſima, plumbo tecta, palatii potius formam, quam eccleſiæ exterius habet. Subſellia triplicis ordinis pone altare. Monaſterium ſancti Benedicti elegans & ornatum. In ſacrario duo baculi paſtorales ex ebore, qui olim fuerunt monaſterii Pomposiani, quod modo unitum illi Ferrarienſi. Hic ſepultus eſt Ludovicus Arioſtus poëta famoſus cum epitaphio, quod ab aliis vulgatum eſt.

RAVENNA.

IV. Refecti apud Argentam vetus opidum, ex quo duxit originem famoſus ille Guibertus antipapa; noctem duximus in opido Lugo. Die ſequenti Ravennam attigimus: cujus urbis paludoſas & ſordidas aquas Sidonius noſter multum abhorruit: quia *nuſquam vel aquæductuum liquor integer, vel ciſterna defæcabilis, vel fons irriguus, vel puteus illimis.* Verum ab hoc incommodo nos relevavit illuſtriſſimus ac reverendiſſimus archiepiſcopus Fabius Guiniſius, ex præclara Guiniſiorum apud Lucenſes gente, ad quem litteras ex eminentiſſimo Cardinale Caſanata habebamus. Is enim cum nos apud ſe remorari non potuiſſet; in hoſpitium reverſos vino Florentino, aliiſque eduliis recreavit, vir litteris, comitate, ac rebus geſtis non minus, quam dignitate conſpicuus. Idem ipſe nobis vetera, quæ ſuperſunt, eccleſiæ ſuæ authentica inſtrumenta, nonnulla in cor-

Sidon. lib. 1. epiſt. 5.

tice ſcripta, oſtendit, ex quibus quædam apud Rubeum edita correximus. Princeps eccleſia urbis elegans, ſed non multum ampla. Cingit chorus altare majus, in quo ſacerdos verſa facie ad populum ſacra facit. In capite eccleſiæ primi urbis epiſcopi in muſivo exhibentur. Navim ſuſtinent quatuor ordines columnarum. Baptiſterium antiqui operis extra eccleſiam. Bibliotheca nulla ibi ſupereſt. Ambroſius Camaldulenſis, aliquando eo profectus, vix quicquam digni memoria, ut ipſe ſcribit, præter unum *Cypriani volumen*, invenit, antiquis litteris ſcriptum, in quo plurima quam uſquam antea opuſcula notaverat; præterque codicem alterum, in membranis purpureis & litteris aureis exaratum, in quo *Nicæni Concilii Fides* contenta erat. Sed hos codices aut aliena manus abſtulit, aut temporum injuria.

AN. 1685. JUNIO.

Non alia apud Ravennates majoris eſt dignitatis baſilica, quam ſancti Vitalis, monaſterio Caſinenſium noſtrorum inſignis. Opus eſt ſive Juſtiniani Imperatoris, ut recentioribus placet, ſeu Juliani argentarii ex mandato Eccleſii Epiſcopi, quod ex vetuſta inſcriptione Rubeus probat, in octanguli formam conſtructa, & omni ornatus genere decorata. Ambitum cingunt ſectæ verſicoloris marmoris tabulæ: columnæque duplici ordine per gyrum altiſſimæ ex candido & vario marmore molem ſuſtinent. Inſigniores ſunt quatuor columnæ ſapphireæ, gemmeis teſſellis diſtinctæ, quæ preſbyterium hinc inde ornant. E regione majoris altaris, quod unum octogoni angulum occupat, viſitur ara ſancti Vitalis ex pellucido lapide alabaſtrite: ſubtus puteus, in quem præceps actus eſt ſanctus Martyr, aquis plenus, ſuper ipſius corpus (ut aiunt) ſcaturientibus. A dextris majoris altaris aliud eſt ſacellum dictum *Sancta Sanctorum*. Iſtuc mulieribus ingredi non licet. In medio areæ puteus, in quem projecti Martyres non pauci, ideo *ſanctorum Martyrum* appellatus. Subtus aram ex marmore jacet ECCLESIUS EPISCOPUS: a dextris VICTOR EPISCOPUS, a ſiniſtris VRSICINUS itidem EPISCOPUS. Nihil minus ubique in illa eccleſia, quam muſivum opus deſideratur. In horto ejuſdem monaſterii ſtat antiqua itidem & præclara ædicula, vermiculato opere pulcherrime exornata in honorem ſanctorum Nazarii & Celſi: quam pro conditorio exſtruxit Galla Placidia, Theodoſii Cæſaris filia, Arcadii & Honorii ſoror, Conſtantii conjux, & Valentiniani tertii mater. Quæ in ſacellum ingreſ-

An. 1685. Junio. ſis ſe ſe primo aſpectu offerunt ſepulcra duo, Valentiniani & Honorii nutricios ſine titulo continere dicuntur: ſubſequentia duo hinc inde Honorii a dextris, Valentiniani a ſiniſtris. Exiſtimant tamen quidam non ſine fundamento, Conſtantium Placidiæ maritum ibi jacere. In fronte conditorii pone aram, tumulus eſt ipſius Placidiæ, quam non more jacentis (ut fit) at ſedentis in ſella cupreſſina ibidem repoſitam fuiſſe teſtes oculati perhibent: ſed omnia quidam nebulones injecto per foramen igne feruntur diſſipaſſe. Eadem Placidia baſilicam ſancti Johannis Evangeliſtæ conſtruxit. Inſcriptionem teſtudini primitus appoſitam Gruterus refert *ſanctiſſimo ac beatiſſimo apoſtolo Johanni evangeliſtæ Galla Placidia Aug. cum ſuo filio Plac. Valentiniano Auguſto, & filia ſua Juſta Grata Honoria Aug. liberationis maris votum ſolvit.*

Grut. pag. M XLVIII.

Non minoris eſt antiquitatis eccleſia ſancti Apollinaris, a Minoribus, qui a Soccis nomen habent, modo occupata. Hæc Theodoricum Gothorum regem auctorem habet, marmoreis columnis Conſtantinopoli advectis ſuffulta. In pariete eccleſiæ hinc inde depictæ ſunt ex muſivo, a dextris quidem ſanctorum, a ſiniſtris ſanctarum effigies; in dextro infimæ navis pariete Juſtiniani Imperatoris imago item ex muſivo, qualis a Nicolao Alemanno in notis ad Procopii Anecdota expreſſa eſt. Parieti cœnobii exteriori inſertus eſt lapis porphyreticus longitudine octo pedum; in quo olim Theodorici Oſtrogothorum regis exuviæ repoſitæ fuerunt. Eo tranſlata eſt anno M D IX urna illa, cum obſeſſa a Gallis Ravenna, bombardæ ictu ex ſummo Theodorici mauſoleo dejecta fuit. Exſtat etiam nunc mauſoleum iſtud extra mœnia urbis, beatæ Mariæ rotundæ modo appellatum, opus Amalaſunthæ Theodorici filiæ, rude quidem, ſed pro illa ætate admirandum. Octanguli in formam conditum eſt cum duplici fornice. Primus in imo aquis nunc fere oppletus, ut merito cum Sidonio de Ravenna dicere poſſimus; quod illic *ſitiunt vivi, natant ſepulti.* Secundus mauſolei fornix, qui aram modo habet, tectus eſt ingentis molis marmore granito, quod in diametrum XXXI pedes, in orbem C XIV continet, denſitatis quatuor. In ſummo faſtigio poſitus erat lapis porphyreticus, de quo mox dicebamus, cum Theodorici exuviis, & in duodecim angulis ſtatuæ duodecim Apoſtolorum: quorum nomina disjectis ſtatuis reſtant, vetuſtis litteris gothicis inſculpta. Ad hæc inſignis eſt etiam, tametſi

Sidon. lib. 1. epiſt. 8.

in

in ſpeciem rudis eccleſia, quam Spiritus-ſancti appellant, modo Theatinorum, ubi primi Ravennenſium epiſcopi undecim indicio columbæ divinitus electi dicuntur. Ibi oſtenditur lapideus eorumdem ſuggeſtus: in quem nemo hodie aſſcendere audet concionandi cauſa: cui rei alia cathedra e regione erecta eſt. Denique in eadem urbe, præter alios viros illuſtres, exſtinctus ſepultuſque eſt apud Minoritas Dantes poëta, a patria ſua, ſcilicet Florentia, extorris. Oſſa demortui poſt longum temporis ſpatium Florentini in patriam revocare multa cum dignitate ſtuduerunt. quod tamen impetrare à Ravennatibus non potuere, qui honori ſibi merito ducunt, monumenta corporis ejus ſua in urbe manere, ut ſcribit Petrus Victorius in Rhetoricam Ariſtotelis libro ſecundo. AN. 1685. JUNIO.

VI. Ravenna digreſſi, perantiquum Claſſenſe monaſterium, tribus fere paſſuum millibus ab urbe diſſitum, in tranſcurſu non ſine gemitu vidimus, miſerati monaſterii ruinas & eccleſiæ ſolitudinem. Nam locus ab uno converſo Camaldulenſi adminiſtratur, monachis in urbem tranſlatis, qui unum e ſuis quotidie mittunt ad privatum ſacrum in Claſſenſi baſilica faciendum. Ad ejus ingreſſum ordinati ſunt hinc inde Ravennatum Pontificum tumuli. Ad dexteram viſitur antiquum mauſoleum, ex marmore albo eleganter factum; atque e proximo appoſita eſt parieti vetuſtiſſima inſcriptio, qua dicitur ſancti Apollinaris corpus eo in loco jacuiſſe, donec per Maximianum archiepiſcopum in eccleſiæ adyta tranſlatum eſt VII *Iduum Maïarum, Indict.* XII. *octies poſt Conſulatum Baſilii junioris*. Nunc ſubtus majus altare in crypta cernitur ſepulcrum ejuſdem ſancti ex marmore. Inde per piniciam ſilvam in Cerviam ſeu Phycuclam opidum epiſcopale; & per ſalinas in portum Cæſenaticum profecti ad Rubiconem amnem, Galliæ Ciſalpinæ limitem ævo Ciceronis; deinde Cæſenam deflexim us. *Furnum potius quam opidum* per ludibrium vocat Sidonius in epiſtola ad Candidianum, Cæſena oriundum. Eccleſia cathedralis ſancti Johannis Baptiſtæ memoriæ ſacra eſt. Aberat tunc loci epiſcopus eminentiſſimus Cardinalis Urſinus, quem poſtea Neapoli convenimus cum amicis litteris eruditi Natalis Alexandri. Inſignis eſt apud Cæſenates Minoritas conventuales bibliotheca, ex munificentia Malateſtæ Novelli, qui fratribus eccleſiam, regulares officinas conſtruxit, & bibliothecæ amplum ædificium, omnium diſciplinarum libris manuſcriptis pro tempore

Sidon. lib. 1. epiſt. 8.

An. 1685. Junio. inſtructum. Libri ſunt tum græci, tum latini. E græcis opera Gregorii Nazianzeni, Baſilii, Demoſthenis, Iſocratis, & aliorum: ex latinis multa Hieronymi, Auguſtini, & ceterorum. Bibliothecæ hujuſce indicem digeſſit Angelus Julianus Dominicanus, eumque Lucæ Turregiano antiſtiti Ravennati nuncupavit: quem quidem indicem Romæ in Alteriana bibliotheca vidimus ac deſcripſimus. In pavimento bibliothecæ hæc inſcriptio legitur non ſemel: MALATESTA NOVELLUS, PAMPHILI FILIUS, MALATESTÆ NEPOS, DEDIT. Jacet ſine mauſoleo in loco humili extra eccleſiam, ad parietem viæ publicæ adhærentem. Vivebat medio ſæculo XV. Exſtat prope eamdem urbem in edito colle monaſterium noſtrorum Caſinenſium, cujus loci eccleſia beatæ Mariæ frequenti fidelium concurſu celebratur. Ibidem lapidi marmoreo inſcriptio quondam appoſita fuit in honorem M. Lucretii hiſtorici & poëtæ: cui ob excellentiam ingenii ſtatua condonata eſt, ac civitati Cæſenæ, Romanæ coloniæ, in hoc ſacro monte dedicata, ut apud Aldum in Orthographia legitur.

VII. Ariminum, urbs antiqua, veteri fama & conciliabulo Ariminenſi celebratur. Eccleſia major patronam agnoſcit ſanctam Columbam virginem & martyrem Senonenſem, cujus caput habere ſe gloriantur, feſtumque recolunt Ariminenſes ultima die Decembris. Sacerdos converſus ad populum ſacris operatur, uti & Narniæ, & Ocricolis. Superſunt Arimini duo præſtantia antiquorum operum monumenta: nempe Ravennam verſus pons ſuper flumen Ariminum, quod urbem alluit; & porta vetuſtiſſima ex lapidibus quadratis, qua Piſaurum tenditur, in honorem Auguſti conſtructa, ut inſcriptionis reliquiæ docent. Pontis ſtructura permagnifica eſt, marmore undique decorata. Arcubus quinque fluvii ripas conjungit, ad ſuburbium continuatus, ea latitudine, ut præter marginem ex utraque parte, duæ quadrigæ adverſo curſu concitatæ ſe ſe non impediant. Hunc pontem (quod litteræ ab utraque ſponda inciſæ teſtantur) Auguſtus & Tiberius condidere. In ſuburbio non longe ab hoc ponte eſt monaſterium Ordinis, nuper ſancti Georgii in Alga, ſed exſtincto per Clementem IX Ordine, locus Patribus Caſinenſibus abſque cenſu conceſſus eſt. Ipſo die * Piſauri noctem egimus.

* *Peſaro.*

VIII. Fanum-fortunæ, ubi reliquiæ veteris arcus in honorem Auguſti; Senogallia, cujus loci eccleſia princeps ſancti

Paulini titulum habet; & Ancon ſeu Ancona, urbes epiſcopales, ſecundum oram maris nobis occurrerunt. Ad portum Anconis legitur inſcriptio in honorem Trajani, qui ex pecunia ſua portum tutiorem navigantibus reddidit. Eccleſia cathedralis in edito colle, ſancto Cyriaco nuncupata, multis ſanctorum reliquiis commendatur. AN. 1685. JUNIO.

IX. In perviligio Pentecoſtes, & ipſo die feſto in æde Lauretana ſacrum fecimus: quo innumera, uti ſemper mos eſt, peregrinantium turba confluxerat. De tam celebri ac religioſo templo Turſelinus & alii ſcripſerunt. Qua parte primum ſacra ædes ſpectari ab adventantibus poteſt, exſtat oratorium, ubi peregrini in terram procumbentes beatiſſimam Virginem ſalutant. Ædicula ſacra quadrangula ex lapidibus coctis, intra eccleſiam cathedralem ſæpto marmoreo incluſa eſt. Statuæ decem Prophetarum, & impreſſæ marmori cælaturæ, Sanſovini artem commendant. Tribus portis in ædiculam aditus patet. Ejus partem ſuperiorem ab inferiori dirimit crates ex ferro deaurato. In ſuperiori Deiparæ effigies ex cedro habetur: in inferiori unicum altare. Ibi decem lampades aureæ, totidem argenteæ; variaque dona pretii immenſi. In his excellit donum felicis memoriæ Annæ Auſtriacæ, Ludovici M. almæ parentis, Angeli ſcilicet ex argento ſtatua, puſionem ex auro ſolido gerentis & offerentis. In ſacrario alia dona infinita, quibus accenſetur caſtelli * Vicenarum argentea icon ex munere Henrici Borbonii Principis Condæi, in memoriam ſuæ ex illius caſtelli cuſtodia eductionis. Alia perſequi feſtinantibus non vacat.

* *Vincennes*

X. Poſt meridiem urbs Ricina, vulgo Recanatum, nobis hoſpitium præbuit, quæ ſedem epiſcopalem Laureto detulit honoris cauſa. Conditorem ſuum agnoſcit Septimium Severum, atteſtante inſcriptione, qua *Colonia Helvia Ricina conditori ſuo L. Septimio Severo* ſe gratam exhibet. Edita eſt apud Gruterum ex marmore apud Maceratam Piceni opidum reperto, & a Dionyſio Harduino communicata: ſed a quo primum inventa ſit, diſcimus ex membraneo codice Vaticano, in quo hæc inſcriptio habetur cum epiſtola ſequente Cyriaci Anconitani ad Johannem Ricinatem Raguſeæ pontificem.

An. 1685. Junio.

IMP. CAESARI. L. VERI. AUG. FIL. DIVI. PII NEP. DIVI. HADRIANI. PRON. DIVI. TRAJANI. PARTH. ABNEP. DIVI. NERVAE. ADNEPOTI. L. SEPTIMIO. SEVERO PIO. PERTINACI. AUGUSTO. ARABICO. ADIABENICO PARTHICO. MAXIMO. P. M. TRIBUNIC. POTEST. XIII IMP. XI. COSS. III. PP.

COLONIA. HELVIA. RICINA.
CONDITORI SUO.

*Epigramma hoc præclarum, ex me apud Maceretum exacta tempeſtate compertum, eam ob rem hodie venerationi tuæ hoc loco reponendum delegi, venerandiſſime Præſul, ut ex eo perfacile videas, inſignem illum pietate Principem Severum, tuarum decus & ſpecimen legum, antiquam illam in Piceno coloniam condidiſſe, quæ olim eadem in provincia egregiæ illi patriæ civitati tuæ, non longe ab ſe Oenotrio in colle, longo murorum ordine, noſtrum & prope Apennini montis promontorium, nomen & primævam originem dediſſe percipitur. Qua quidem in re ſane poteris intelligere, vir diligentiſſime, vos quoque præclaros novæ ejuſdem coloniæ cineres, non quemadmodum diu jam incerto nomine conſueſtis undique vocitare Racanatenſes, quin immo vos rectius Ricinates nuncupari debere. Ex quo patet aperte, digniſſime Pater, nos non modo abolita virorum inſignia quandoque ab inferis ſuſcitare, quin & civitatum utique nomina arte quippe noſtra ab orco in lucem revocari poſſe. O magnam vim artis noſtræ ac penitus divinam! Siquidem dum vivimus, quæ diu vivis viva & præclara fuere, & longi temporis labe, longaque ſemivivûm injuria obſtruſa penitus & defuncta jacebant, ex ea demum arte diva iterum vivos inter homines in lucem ab orco revocata vivent feliciſſima temporis reparatione. * T. H. inter Liguras nondum exacto biennio, apud Vercellas antiquam ad Apenninos montes & olim nobilem civitatem, & de qua Hieronymus ſenior ille noſter ſuis epiſtolis in ea de ſepties percuſſa virgine particula mentionem habet, dum vetuſtis in ſacris ædibus, noſtro de more, aliquid verendæ æternitatis indagare cœpiſſem, Sacerdoti cuidam ignavo, quænam mea ars eſſet interroganti, ex tempore equidem reſpondi: Mortuos quandoque ab inferis ſuſcitare Pythia illa inter vaticinia didici. Et hæc ubi dicta, quum ibidem vulgarem incertum obſtupeſcentemque reliquiſſem, artem vero meam haud relinquendam putavi. Vale.*

* *ſ. Tranſacta hieme.*

Patri in Chriſto venerandiſſimo D. J. Ricinati, Raguſeæ Metropolitanæ eccleſiæ Pontifici B. M. An. 1685. Junio.

Kyriacus Anconitanus devotus ſuus fel.

Hoc epiſtolium referre viſum eſt eodem modo, quo in codice Vaticano legitur. Inſcriptio non in fronte, ſed in calce epiſtolæ, ut hic, apponitur, qualis ſcilicet ſuper involutam epiſtolam apponi debebat. Hunc autem ritum obſervavimus in pleriſque Petrarchæ epiſtolis autographis, quæ in Medicea bibliotheca aſſervantur. Hunc Cyriacum Poggius Jacobo Foſcaro commendat, uti virum *doctum, & bonorum ſtudioſum*: ejuſdemque mentionem facit Ambroſius Generalis Camaldulenſis in Hodœporico ſuo ad annum M CCCC XXXIII. quo anno, cum Venetiis eſſet, *Adiit nos*, inquit, *inter ceteros & Cyriacus Anconitanus; multaque nobis oſtendit antiquitatis, cujus ſtudioſiſſimus indagator erat, monumenta, tum epigrammata vetuſta, tum ſignatos nummos argenteos & aureos, tum ſigna.* Atqui eo tempore nullus Johannes inter Raguſienſes archiepiſcopos legitur apud Jacobum de Petro Luccari in annalibus Raguſienſibus, ubi Raguſienſium Antiſtitum catalogus habetur. Ricinæ ſepultus eſt Gregorius XII.

XI. Tolento tranſmiſſo, ſequenti die apud * Fulginium ſacra fecimus in epiſcopali ſancti Feliciani epiſcopi & martyris eccleſia: ubi tunc ex mandato ſummi Pontificis Communio generalis fiebat. Iſidorus Clarius Brixienſis, Fulginas epiſcopus e noſtris, multis ſuæ doctrinæ & pietatis monumentis relictis, in eadem eccleſia ſepultus eſt, mortuus die XXVIII Maii anno M D LV. Sigiſmundus Fulginas hiſtoriam Italiæ ſui temporis ſcripſit, quæ hiſtoria reperitur Mediolani in bibliotheca Ambroſiana. Apud Minoritas corpora integra beatarum Angelæ & Angelinæ; apud Auguſtinianos beati Tomaſutii ex tertio ordine ſancti Franciſci. Antequam urbis mœnia ſubiremus, obvios habuimus infinitos ovium & pecudum greges, quos paſtores in ſummas montium planities deducebant, ubi pro more gentis per æſtivos calores pabularentur. Subſequebatur totus paſtorum apparatus, tentoria, lectiſternia, ollæ; in ſumma quicquid ad ruſticanam ſtationem neceſſarium erat. Fulginio poſt meridiem acceſſimus Spoletum: quo die feſtivi ignes ob novum Epiſcopum excitabantur. Eccleſia major antiqua & elegans, Deiparæ aſſumtæ titulo inſignis, Franciſci Barbarini Cardinalis impenſis ob memoriam Urbani VIII. qui

* Foligny

An. 1685. Junio. illic epiſcopus fuerat, decorata eſt. Ara major in ipſo baſilicæ centro erecta. Urbem cum vicino monte, in quo Franciſcani cum eremitis degunt, pons conjungit non ſine admiratione ſpectandus, quem ſuper profundam interjacentem vallem ſuſtinent pilæ altiſſimæ.

* Terny. XIII. Inde ſaxoſis viis ſuperatis, apud *Interamnem pranſi; poſtea obiter luſtravimus eccleſiam Narnienſem, cujus altare egregio baldachino quatuor columnis marmoreis innixo exornatum eſt. Ante faciem altaris, quæ navi reſpondet, duplici graduum ordine in cryptam ſubterraneam deſcenditur, vitrea feneſtra illuſtratam: ubi ſancti Juvenalis epiſcopi & martyris corpus aſſervatur. Eodem die venimus * Ocricolas, (* Otricoli) cujus primaria ſanctiſſimæ Deiparæ eccleſia ſex Canonicos habet. Ad ejus ingreſſum ſequens legitur inſcriptio lapidi inſculpta, qui olim ad aram ſancti Fulgentii poſitus erat.

PRO. SALUTE. ITUS. AC. REDITUS
D. N. SANCTISSIMI. TI. AUG. AEDICULAM
CONCILII. DEORUM DEARUMQUE.
AURELIUS. FAUSTUS. PROT. DIVINI
LATERIS. AUG. N. EX VISU DEAI
VALENTINAE. S. P. F. C.

Hæc eadem inſcriptio habetur apud Smetium & apud Gruterum, ſed mendoſe. nam loco *prot. divini Lateris*, habetur *prot. Divinitate*, quaſi legendum eſſet, *protegente Divinitate*: cum lectio genuina ſit, *protector divini Lateris*, ſcilicet Imperatoris: & pro *Valentinae* legitur *Valentiae*. Dum hanc inſcriptionem expiſcaremur, idem fere nobis accidit, quod Cyriacus Anconitanus ſibi contigiſſe narrat in ſuperiori epiſtola. Quidam enim clericulus accurate nos obſervans, petiit a nobis, quid iſtuc erat quod quæreremus. Audito reſponſo noſtro, ſcilicet nos veteres tantum haſce litteras rimari, ex loquela intellexit nos eſſe Gallos; moxque ſubjunxit morem eſſe Gallorum, ut defoſſos in Italia theſauros ſagarum more inveſtigent, atque in patriam aſportent. In via publica alia exſtat inſcriptio *Juliae Luciliae*, *Livii Juliani filiae*, cujus pater thermas *Ocriolanis* (ſic ſcribitur) a ſolo exſtruxerat. In ſubjecta valle, ubi pons ſupra Tiberim Flaminiam conjunxit, ſtetit olim urbs Ocrea, cujus rudera etiam nunc viſuntur. Benedictus medicus ſub Antonino Imperatore & Sebaſtiano præſide martyrium paſſus eſt

in civitate Ocriculana, VI *Kal. Julii*: cujus acta Romæ in Vallicellana bibliotheca ſervantur. AN. 1685. JUNIO.

XIV. Prandio ſumto apud civitatem Caſtellanam ad Cremeram, reliquum diei & totam noctem inſequentem incænati & inſomnes traduximus; Romam tandem appulſi diluculo feriæ ſextæ, quæ Junii dies XV erat, fruſtrato conſilio amicorum noſtrorum, qui ipſa die ſub veſperum nobis obviam venire conſtituerant.

ROMA.

Itaque Junii quinta-decima die, quæ feria ſexta erat, Urbem ingreſſi, divertimus ad hoſpitium duorum e noſtris, qui Romæ verſari ſolent, ad clivum Trinitatis, id eſt, in monte Pincio; ſuſceptique ab eis ſumus pleniſſimo caritatis & amoris officio, non ſolum communis patriæ cauſa & religionis, ſed peculiaris neceſſitudinis, quæ dudum inter nos invicem ratione ſtudiorum interceſſit. Unus ex illis Claudius Stephanotius, non ſemel a nobis alias laudatus; alter Johannes Durandus; ambo virtuti & litteris dediti, qui non tantum Congregationis noſtræ negotiis, quæ in Urbe ſane exigua ſunt, quantum ſtudiis noſtris juvandis & promovendis otii impendunt. Apud eos ſeptem ferme a nobis exacti ſunt menſes, quantum ſcilicet luſtrandis non ſolum bibliothecis impendere nobis licuit, ſed etiam videndis rebus ſacris, & vetuſtis Romanæ urbis monumentis: cujus magnitudinem & præſtantiam tum ex ruinis ipſis, tum ex novis ædificiis, majorem eſſe, quam fama vel auctorum ſcripta ferebant, intelleximus. Urbem dividebant veteres in ſex partes, id eſt templa, domos, vicos, inſulas, plateas, & angiportus. Inſulæ, qui inter vicos ſunt horti. Domus, publica ædificia, nempe theatra, amphitheatra, circi, balneæ ſeu thermæ, atque nymphæ, quo nomine formas & aquæductus intelligebant. Et in his omnibus quot & quanta olim admiranda Romæ? quot & quanta etiam nunc ſuperſunt poſt tot clades & ruinas? ut eam Muretus, poſt Athenæum, hodie quoque *Orbis epitomen* dici poſſe haud immerito cenſuerit. Hæc veluti communis omnium mortalium parens, *in qua unica totius mundi civitate*, ut Sidonii Galli verbis utar, *ſoli barbari & ſervi peregrinantur.*

Muret. Var. lect. lib. 17. *cap.* 12.

Sidon. lib. 1. *epiſt.* 6.

XVI. Poſtridie quam eo acceſſimus, votis noſtris ad ſancti Petri baſilicam perſolutis, obſequia noſtra, ut decebat, emi-

AN. 1685. JUNIO. nentiſſimo Cardinali Eſtræo, atque excellentiſſimo Regis Oratori Duci ejus germano exhibuimus, a quibus benigniſſime accepti ſumus: tum ab amico noſtro Franciſco Diroyſio Doctore Sorbonico deducti in villam Benedicti, ubi Cardinalis nos ſua menſa dignatus eſt. quod poſtea factum ſæpius ea comitate ac facilitate, ut hæreas quid amplius in eo ſuſpicias, dignitatis eminentiam cum excelſitate ingenii ac ſumma peritia rerum agendarum, an illam benignitatem, qua ſe ad aliorum modum tam humaniter inclinat. Idem in aliis rebus, quæ ad ſtudia noſtra pertinebant, ſua nobis auctoritate & amicorum officiis, quamdiu in Urbe morati ſumus, numquam defuit.

In reditu e villa Benedicti, eccleſiam ſancti Petri in Monteaureo, & aquam Paulinam, id eſt integrum lacum ſeu amnem, e tribus canalibus præcipiti, ſed tamen ad ſpectantium voluptatem compoſito lapſu decidentem vidimus. In hac ſancti Petri eccleſia inſigniſſima eſt Chriſti transfigurati pictura, auctore Raphaële Urbinate, qua nullam aliam in toto orbe inſigniorem picturam exiſtimant. Eo in loco ſanctum Petrum crucifixum tradunt; atque in rei argumentum in clauſtro oratorium, ubi crux defixa fuerit, oſtendunt. Romanus ſancti Petri Canonicus id factum ſcribit *juxta Terebinthum Neronis*, prope eccleſiam ſanctæ Mariæ in Tranſpadina ſeu Tranſpontina. Maffeus Veggius ex adverſo probat Gaii cujuſdam antiqui ſcriptoris teſtimonio apud Euſebium relato, ſancti Petri tropæa *via regali, quæ ad Vaticanum ducit*, defixa fuiſſe. qua in via Mons-aureus ſitus eſt, non ſancta Maria Tranſpadina. Quidquid ſit, Amedeus e Franciſcanis Hiſpanus, cujus novam Apocalypſin ad libros octo, multis ſomniis ſcatentem vidimus, ante annos centum & ſexaginta, Philippo Rege ſuppetias ferente, conventum Franciſcanorum eccleſiæ ſancti Petri in Monte-aureo adjunxit, hactenus a Franciſcanis obſervantioris diſciplinæ occupatum.

Eodem die ſalutavimus eminentiſſimum Cardinalem Caſanatam, cujus recenti apud Italos proceres commendationi, & veteri in nos benevolentiæ multum debemus; atque illuſtriſſimum Johannem Gualterium Sluſium a brevibus ſecretis, virum, in quo priſca fides morumque candor & integritas cum omnigena eruditione conveniunt.

XVII. Dominica Trinitatis capellæ (ut vocant) pontificiæ interfuimus, a qua Sanctiſſimus noſter, quem dudum, pro noſtra in tantum Pontificem veneratione conſpicere optabamus,

bamus, aberat. Nullus organorum muſicorum uſus in ejuſmodi ſacris, ſed ſola vocum muſica, eaque gravis, cum plano cantu admittitur. Eo die concionem latine habuit juvenis quidem, ſed bonis moribus dotibuſque præditus abbas Blanchinus, nobilis Veronenſis, quem de rebus mathematicis perite loquentem in ædibus illuſtriſſimi Johannis Ciampini, cujus poſtea frequens memoria fiet, alias auſcultavimus. Poſt meridiem eminentiſſimum Cardinalem Ottobonum inviſimus, a quo multum benevolentiæ & ſubſidii in rem litterariam nobis acceſſit. Senex eſt, ſed in eo viget animus annorum victor. Habitat in palatio ſancti Marci; cujus adjuncta eccleſia patriarchalis inſigne ciborium habet: ſub quo reliquiæ ſanctorum Abdon & Sennen. Thronus pontificius loco motus eſt. Hac die tribuſque ſequentibus frequentes ad nos fuerunt concurſus amicorum, non modo ex noſtratibus Gallis, ſed etiam ex Romanis, qui poſtea pro nata occaſione commemorandi erunt. Alios itidem tacemus, quibus obſequia noſtra exhibuimus. Illuſtriſſimos Prælatos & Abbates Gallos, Ervallum Rotæ Auditorem, & Gevreum, nobis etiam ſilentibus, Romani proceres prædicabunt.

XXI. Feria quinta ſollemnis ſanctiſſimi corporis Chriſti delatio ex Vaticana ſancti Petri baſilica in circuitu ampliſſimæ areæ, ex qua in baſilicam proſpectus patet, de more facta eſt. Procedebant poſt religioſos Ordines & rectores parochiarum Urbis varia ſodalitia: deinde Procuratores Ordinum generales; tum Epiſcopi cum mitris lineis: poſtremo Cardinales cum ſuis item ex tela argentea, abſente Pontifice. Tota, quanta quanta eſt, ſancti Petri baſilica rubeis atque auro ſegmentatis longiſſimis aulæis ornata erat: columnata duplex, Alexandri VII. opus magnificum, quæ aream baſilicæ objectam claudit, ac porticus pretioſiſſimis item periſtromatibus inſtructa. Unum ex his, quæ quondam Leonis X impenſis facta fuerant, cum a prædonibus quondam furto ablatum recuperaſſet Annas de Monte-maurentiaco, id Julio II. reſtituit anno M D LV. ut in ipſo periſtromate adſcriptum legitur. Mirum vero erat intueri tantam hominum frequentiam, tantamque procerum multitudinem confluentem ad ſacram illam, cunctiſque orbis miraculis præſtantiorem baſilicam: quæ, ſi centies conſideretur, toties ſui admirationem magis magiſque ac venerationem auget. Quippe nec magnitudine ſua enormis, nec partium inæquali proportione aut inelegantia inconcinna, nec totius fabricæ variæ

AN. 1685. JUNIO. diſpoſitione confuſa, nec ornamentorum convenientium expers, nec in tanta vaſtitate quidquam indecorum aut incultum patiens: ſed omnia & ſingula apta, magnifica, mirifice ornata, neſcio quid divinum ſpirant & inſpirant. Area ingens, quam porticus utrimque quadruplici columnarum ordine diſtincta in ſemicirculi formam cingit, ſpectabilem fabricam reddit. Quadraginta columnæ in unoquoque ordine, omnes CCCXX. In medio ſpatium ad duos currus capiendos. In intermedia area ſtat obeliſcus ex ophite, cujus altitudo pedum CLXX præter baſim, quæ continet XXXVII, auctoritate & impenſis Sixti V, induſtria vero Dominici Fontanæ architecti Comenſis denuo erectus. Duo hinc inde præclariſſimi ſalientium aquarum fontes ſpectantium oculos recreant. Duobus graduum ordinibus ad baſilicæ veſtibulum, quod egregii templi loco eſſe poteſt, aſſcenditur. Habet hoc atrium longitudinis pedes CC XVI. latitudinis XL. Hæc ſacra limina Apoſtolorum: quibus affuſi majores noſtri tantum honoris ac reverentiæ, ob ſacras apoſtolorum Petri & Pauli reliquias (quarum-pars apud ſanctum Paulum etiam aſſervatur, capita in eccleſia Lateranenſi) impenderunt. Urbem hoc nomine ſignificatam fuiſſe, ea loquendi figura, qua ex toto pars intelligitur, vetus Decretalium interpres ſcribit. Eodem ſenſu etiam appellata eſt Apoſtolorum eccleſia. At ſtrictiori modo hæc *limina* ſunt gradus ad baſilicam, vel ad eam quam vocant Confeſſionem. Mos erat Chriſtianis etiam Prudentii ævo, ut *Apoſtolorum & Martyrum exoſcularentur limina*, uti ipſe in ſancto Romano ſcribit. Unde Pippinus Francorum Rex, ut de aliis ſileamus, cum Romam aliquando adiiſſet, *omnes gradus ſingillatim ejuſdem ſacratiſſimæ beati Petri eccleſiæ*, teſte Anaſtaſio, *deoſculatus eſt.* Nec deſunt etiam nunc qui eadem religione ducantur. Vidimus quippe haud raro mulieres reptando in genua, non ſolum ad Scalam ſanctam, ad quam vix umquam alio modo aſſcenditur, verum etiam ad ſanctam Mariam-majorem ex vicinis domibus progredi. quod antiquæ pietatis veſtigium eſt. Idem in baſilica, quæ Ara-cæli appellatur, uſuvenit. Sed hæc extra viam. A veſtibulo per quinque portas in ſancti Petri baſilicam fit ingreſſus. Sex alii numerant, forſan computata collaterali. Media a laminis argenteis quibus eam totam cooperuit Honorius Papa I, *Argentea* olim dicta: proxima ad introeuntium ſiniſtram *Ravenniana*; ſequens *porta Judicii*, quod per

eam mortui in baſilicam inferrentur : ad dexteram *Romana*, quæ mulierum Romanarum quondam erat : & *Guidonea* per quam peregrini vexilla ſeu guidones geſtantes intrabant : ac demum porta *Sancta*, quæ recentior eſt, nec niſi tempore Jubilei patet. Portam virorum, quæ mulieribus communis non erat, ad ſiniſtram fuiſſe intelligitur, tum ex Romani Canonici Vaticani veteri libro, tum ex inſcriptione, quæ olim in Vaticana eccleſia inſculpta erat ad deſignandam ſepulturam Lucilli & Januariæ ejus conjugis, qui jacebant ad *ſanctum Petrum apoſtolum ante regiam in porticu, columna ſecunda, quomodo intramus ſiniſtra parte virorum*. Nunc etiam viris & mulieribus in eccleſiis diſtinctæ ſedes, maxime in concionibus ſacris. Ad baſilicæ Vaticanæ veſtibulum ſubſiſtimus : neque audemus tam divinæ fabricæ majeſtatem rudi calamo violare. Sunt enim nonnulla, quæ nullo melius modo, quam ſtupore & ſilentio laudantur. Veterem baſilicam a Conſtantino ædificatam, quia ruinæ proxima erat, diruere cœpit Julius II. ad novæ fabricæ delineationem Bramante Lazzario architecto celeberrimo uſus. Primam ideam Paulus III per Michaëlem Angelum Bonarotium correxit. Suam quiſque operam adjecerunt ſubſequentes Pontifices ad Paulum V. qui ſupremam fabricæ manum impoſuit. Urbanus VIII. ornavit, atque altare ſancti Petri pretioſiſſimo mirandæ artis baldachino (ut vocant) decoravit. Ante altare duobus hinc inde gradibus deſcenſus eſt in Confeſſionem, quam lampades centum die noctuque illuſtrant. Lignea ſancti Petrii ſedes ab Alexandro VII. in fronte baſilicæ magnifico opere inter quatuor Eccleſiæ Doctorum, quorum duo latini, totidemque græci, manus erecta eſt. Capella, ut loquuntur, pontificia ad altare majus celebratur : cœtus Canonicorum ſancti Petri in ſacello, quod ob præclaram Deiparæ ex marmore effigiem auctore Michaële Bona-rota, ſanctæ Mariæ de Pietate appellant, divina officia celebrat. E regione ſanctiſſimum Sacramentum cum congruo apparatu aſſervatur in alio ſacello, in quo Sixtus IV ſepultus eſt. Pauli tertii & Urbani octavi ſuperba mauſolea ab utroque latere cathedræ ſancti Petri; Alexandri item ſeptimi monumentum ſuper collateralem portam præ aliis contemplanda veniunt. Longa eſt hæc baſilica pedes D LXX. Crux tranſverſa CCCC XXIV. Navis latitudinis habet octoginta pedes. Teſtudo ſeu tholus (cupolam vocant) opus immenſum Sixti V, qui illud intra duorum ac viginti menſium ſpatium, centum millibus aureorum ſingulo

An. 1685. Junio.

AN. 1685. JUNIO. quoque anno conſumtis, per operarios homines ad octingentos perfecit; tanta inquam moles, quatuor paraſtatis fulcita, a pavimento ad laternam quingentis palmis Romanis conſtat, latitudine vero diametrali ducentis: a laterna ad cacumen uſque pilæ ſeu globi, cui crux infixa eſt, palmis centum. Pila ipſa ex ære inaurato in diametrum habet duodecim palmos: denique crux ſupereremineus, ænea item & aurata, palmos quinque ac viginti. Tota quanta quanta eſt fabricæ ad globum uſque altitudo pedum CCCLII. Prope ſcalam, quæ commodiſſimum ac facilem ad faſtigium aſſcenſum præbet, pænitentes quidam publici, & qui matrimonii cum affinibus contrahendi, quam pecunia non valent, licentiam opere pœnali redimere volunt, lapidibus conterendis & ad calcem comminuendis occupantur.

Exſtat hujus admirandæ baſilicæ deſcriptio tabulis æneis triginta explicata per Johannem Baptiſtam Coſtagutum. Antiquam baſilicam deſcripſerunt Petrus Mallius, ac Romanus ejuſdem baſilicæ canonici; & poſt eos octo libris Onufrius Panvinius. Solius Romani liber editus eſt: alios habemus manu deſcriptos. Innumeri ſancti Pontifices, Reges, & Principes in illa baſilica ſepulti. Urbanus IV vetuit ne quis citra permiſſum Pontificis (quod antiquitus cautum fuiſſe legimus) in ea tumularetur, ut nos docet ejus diploma Capitulo baſilicæ Vaticanæ directum, in quo conqueritur, quod *erga ſanctos, quorum glorioſa corpora in eadem baſilica requieſcunt, ſic indevote ſe gererent, quod etiam contra canonicas ſanctiones mortuorum corpora quaſi paſſim in ipſa, in qua vix paſſus pedis vacat ſepultura Sanctorum, præſumptione temeraria tumularent, cæcæ cupiditatis illecebris ſeducti potius, quam miſeratione pietatis inducti. Inde fieri, ut plerumque ſepulcra reverenda ſanctorum, quæ antiquorum Patrum ſancta devotio debita diligentia conſignavit, auſu ſacrilego violantes, cum piis impios, cum juſtis injuſtos, & cum ſanctis ſontes diſpari conſortio ac ſocietate damnabili impie ſociarent.* Duriora quidem verba, ſed tempori & occaſioni forſan neceſſaria. Verum diutius hic moramur ut in ſacratiſſimo loco, cujus videndi deſiderium & ſpes animos noſtros in via recreabat.

Non minus ardens ſtudium fuit adeundi baſilicam ſancti Pauli, quæ altero ab urbe milliario ad viam Oſtienſem ſita eſt: tum ut gentium Apoſtolum ſupplices veneraremur: tum ut reverendiſſimum patrem Abbatem, nobis amiciſſimum, & Caſi-

nates noſtros, qui locum incolunt, ſalutaremus. De horum in nos humanitate multa erit poſtea dicendi occaſio, ſed præcipue de reverendiſſimo patre Procuratore generali Andrea a Neapoli, cujus eximia in nos gratia & benevolentia fuit. Baſilica antiquiſſima & ampliſſima eſt, ſed abſque condigno ornatu, quem a ſola ſupremi Pontificis pietate impetrare poterit. Hæc veterum eccleſiarum formam retinet, qualem ſancti Hyppoliti eccleſiam deſcribit Prudentius: qui ſancti Pauli baſilicam itidem verſibus ſuis celebrat. *Regia pompa loci eſt*, inquit, *Princeps bonus has ſacravit ædes*. Sive hoc intelligat de Conſtantino, qui primæ baſilicæ fundamenta poſuiſſe memoratur; ſive potius de Theodoſio ſeniore & Honorio ejus filio, quos novam eccleſiam condidiſſe antiquiſſimum diſtichon probat, etiam apud Gruterum AN. 1685. JUNIO.

Theudoſius cœpit, perfecit Honorius aulam
Doctoris mundi ſacratam corpore Pauli

Addit Prudentius quaternum fuiſſe ordinem columnarum, quæ hodie quoque totam molem ſuſtinent, cum ſtriatæ, tum rotundæ: ut ſint in univerſum CXIV. Longitudo baſilicæ eſt pedum CCCC LXXVII. latitudo CC LVIII. Altare ſummum, in quo ſolus Pontifex celebrare ſolet, ciborium quatuor columnis porphyreticis ſubnixum ornat: apſidem inſigne muſivum ſtudio Honorii Papæ olim factum, quod Clemens VIII inſtauravit. Pavimentum refectum ex fragmentis veterum inſcriptionum, quas Cornelius Margarinus monachus Caſinas in unum volumen collegit. Portæ æneæ tres *anno milleſimo ſeptuageſimo ab Incarnatione Domini temporibus Alexandri Papæ* II *& Domini Ildebrandi venerabilis monachi & archidiaconi*, conſtructæ ſunt, *adjuvante Pantaleone Conſule, qui fieri juſſit*. Hildebrandus hic poſtea Gregorius VII evaſit. Ad poſterulam, quæ eſt ad viam Oſtienſem, exſtat in cœmeterio columna crucem habens ſuperpoſitam, olim facta pro cereo paſchali, ut verſus inſcripti docent, quos Margarinus refert. Cœmeterium Lucinæ proximum eſt baſilicæ Paulinæ. In archivo adjuncti monaſterii aſſervatur inſignis codex Bibliorum, in quo Caroli Francorum Regis effigies præmittitur, Magni an Calvi, non levis inter Romanos controverſia eſt, ſuo loco expendenda.

XXIII. In pervigilio ſancti Johannis Baptiſtæ, Chriſtinæ Reginæ bibliothecam luſtrare cœpimus, benigniſſime annuente Regina, quæ litteris ex perpetuo uſu, ſtudiiſque noſtris ex

An. 1685. Junio. gratia favet. Regiæ benignitati in communicandis bibliothecæ & muſei cimeliis nemo felicius reſpondere poterat, quam Petrus Bellorius, ſcriptis ſuis clarus; ſed morum honeſtate, bonitate, & modeſtia non minus commendandus. Bibliothecam hanc locupletant codices antiqui bis mille centum quadraginta quinque ex recenſione Lucæ Holſtenii, a Regina undequaque, maxime ex Petavio comparati. Vix ulla fuit in tota Italia bibliotheca, ad quam faciliorem habuerimus acceſſum; nec ſcio an Romæ ulla alia, ex qua magis profecerimus. In illa codicum multitudine exſtat unus annorum octingentorum rariſſimus, *Paciani Barcinonenſis* epiſcopi opuſcula continens: *Concilium Chalcedonenſe* optimæ notæ, item *Nicænum ſecundum* cum epiſtola prævia Anaſtaſii tralatoris ad Johannem VIII. Ad hæc *Concilium Troſleïanum* cum aliis: qui duo codices olim fuerunt Remigianæ apud Remos bibliothecæ. Nec omittendus eſt codex *epiſtolas Goffridi abbatis Vindocinenſis* complectens, has inter epiſtolam ad Robertum de Arbriſcello, cujus nomen ſola prima littera R. deſignatur. Scriptus eſt codex ipſius Goffridi ætate. Alterum item exemplar Florentiæ vidimus in bibliotheca ſanctæ Crucis. Alius codex vulgatam *ſancti* (ut præfertur) *VVillelmi Pictavorum Comitis vitam* exhibens, vix duo ſæcula ſuperat. *Auctore Theobaldo* recens additamentum eſt. Habet etiam Regina picturas maxime inſignes, & numiſmatum magnam cum delectu copiam.

XXIV. Dominica die, natali ſancti Johannis Baptiſtæ, ab erudito Laurentio de Zaccagnis, altero Vaticanæ bibliothecæ cuſtode græce docto, deducti ad villam illuſtriſſimi Gabrielii, Romanæ Curiæ Protonotarii, olim apud Pariſios nobis noti, ibidem humaniſſime ab eo excepti fuimus. Ipſo die convenimus in baſilicam Lateranenſem, quæ Salvatori nuncupata, adjunctum habet præclariſſimum baptiſterium ſub titulo ſancti Johannis Baptiſtæ, ex quo vocabulum etiam baſilicæ inditum eſt. Ibi *propriæ ſedes Apoſtolicorum*, ut Bernardus monachus Francus in ſuo Itinerario ante annos octingentos ſcripto teſtatur. Pontificii antiqui triclinii reliquiæ ſuperſunt in proximo conventu Patrum Minorum, qui peregrinorum confeſſiones ad Lateranum excipiunt. Muſivum ex illo triclinio in æs incidi curavit Nicolaus Alemannus in libro de parietinis Lateranenſibus, ubi Salvator ex una parte cum Silveſtro Papa & Conſtantino hinc inde; ex altera ſanctus Petrus cum Leone Papa III. & Carolo

M. repræſentantur. Eo in palatio Romanos Pontifices primis temporibus degere ſolitos fuiſſe colligimus ex nova ſancti Auguſtini epiſtola, quæ eſt in nova editione XXIX. in qua de abrogatis immodicis conviviis, quæ in Sanctorum natalitiis apud Africanos uſui erant, ad Alypium ſcribens, ſibi objicit eumdem morem in baſilica beati Petri Apoſtoli receptum. Reponit id ſæpe fuiſſe prohibitum: ſed quod REMOTUS *ſit locus ab Epiſcopi converſatione*, nondum compeſci ſedarique potuiſſe. Ciborium majoris altaris inſigne eſt, in cujus ſummo duo apoſtolorum Petri & Pauli capita in duabus ex argento thoracatis ſtatuis aſſervantur. Has thecas primum fabricari curavit Urbanus V. & ad earum ornamentum Carolus V Francorum rex pretioſa donaria, gemmas & alia id genus contulit, ac lilium in pectore utriuſque curavit apponi. Inde eſt quod in illo ciborio ſymbola gentilitia Urbani V ex una parte affixa ſunt; ex altera Francorum Regis, itemque hæc ad portam auſtralem baſilicæ, quæ Regem Chriſtianiſſimum protectorem agnoſcit. Præclara eſt intus, ſi qua alia Romæ, Lateranenſis baſilica, binas hinc inde porticus cum variis continuiſque ſecundum navim ſacellis. Laquear picturis & auro decoratum. Innocentius X hanc mirifice exornavit, & tantum-non inſtauravit. Baſilica in longitudinem habet pedes amplius trecentos: pars tranſverſa pedes ducentos viginti duos: navis latitudinis pedes amplius XLVIII. De hac baſilica ſermo iterum recurret inferius. AN. 1685. JUNIO.

XXVI. Illuſtriſſimum Angelum de Nuce, olim abbatem Caſinenſem, poſt Roſanenſem archiepiſcopum, convenimus in Cancellariæ ædibus, ubi hoſpitatur. Ille nobis ea latine loquendi, qua præditus eſt, facultate ſenectutis ſuæ infortunia expoſuit, rerum omnium penuriam in decrepita ætate (eſt enim fere octogenarius) & cetera quæ inde conſequuntur incommoda: ſe quaſi invitum e monaſterio protractum ad infulas Roſanenſes, poſtea Cardinalis amici voluntate dignitatem reſignaſſe cum annua penſione, quam mortui reſignatarii ſucceſſor ut ſolveret, nulla auctoritate hactenus adduci potuerat: mortuo Cardinale ſibi omnia deficere. Miſerati ſumus optimi ſenis ærumnas, qui ſane meliori fortuna dignus erat. Ab eo indicem veterum codicum bibliothecæ Caſinenſis accepimus, atque anonymi libellum de expeditione ſacra ſub Urbano ſecundo.

XXVII. In bibliothecam Alterianam juſſu eminentiſſimi

AN. 1685. JUNIO.

Cardinalis, qui & palatii & bibliothecæ auctor eſt, facilem ac liberum nobis aditum conceſſit vir eximiæ humanitatis Petrus Dominicus de Jarento, Abbas de Cabanis, Maſſilienſis, Cardinalis auditor & conclaviſta. Bibliothecæ elegantia palatii dignitati non impar. Eam in ordinem redegit Carolus Cartharius Urbevetanus, Advocatorum ſacri Conſiſtorii decanus & apoſtolici tabularii arcis ſancti Angeli præfectus. In præfatione ad triplicem bibliothecæ catalogum deſcribit palatium & bibliothecam. Utriuſque architectus Johannes Antonius de Rubeis. Longitudo palatii palmis octoginta ſex cum dimidio conſtat: latitudo palmis quinquaginta tribus cum dimidio: altitudo palmis triginta & amplius. Bibliotheca in ſummo ſita eſt, ad quam lux per feneſtras decem ab oriente & ſeptentrione ſe infundit, auſtralibus ventis, qui libris obnoxii ſunt, intercluſis. Duo ſunt pluteorum ordines, inferior ac ſuperior. Inferior viginti quinque pluteis diſtinguitur, quorum unumquodque in ſeptem loculamenta dividitur: ſuperior, ad quem per ſcalam ſecretiorem fit aſſcenſus, totidem plutea continet, ſed receptacula librorum tantummodo ſex, ad quæ pergula ductum præbet. Utriuſque ordinis plutea pilaſtidæ diſtinguunt, quibus volumina manu deſcripta & pretioſiores codices reconduntur. Inter alia illic aſſervatur inſtrumentum Johannis archiepiſcopi Ravennatis, ſcriptum in charta Ægyptiaca. Multa ex hac bibliotheca collegimus.

XXVIII. Vigilia ſancti Petri, quæ in feriam v. incidebat, Princeps Columna, Comes-ſtabuli regni Neapolitani, nomine Regis Catholici ſummo Pontifici clientelare obſequium pro regno Neapolitano more ſolito edidit, oblato equo albo cum ſeptem millibus ducatorum. In proceſſu ad montem Quirinalem, ubi tum Pontifex verſabatur, præcedebant Papæ excubitores, deinde nobiles Romani, extremo ordine miniſtri & ſatellites ante Principem. Sub noctem arx ſancti Angeli feſtivis ignibus, baſilica ſancti Petri, palatia, & tota fere civitas lampadibus accenſis illuſtrata eſt, uti & die ſequenti.

XXIX. Feſto ſancti Petri Miſſa ſollemnis in ara principe Vaticana a Cardinale Cibo celebrata eſt. Diploma conceſſæ facultatis per Pontificem, cui ſoli ſacra facere in hoc altari licet, affixum erat ad unam ex quatuor columnis, quæ baldachinum fulciunt. Duo vaſa argentea cum vino & aqua in menſula poſita erant, ex quibus infuſum eſt vinum, tum aqua in

minores

minores ampullas. Utrumque quidam familiaris Cardinalis celebrantis prægustavit. AN. 1685. JUNIO.

Eodem die veſperis apud ſanctum Bernardum ad Thermas interfuimus, ubi ad altare verſus chorum ſub humili lapide jacet piæ memoriæ Cardinalis Bona cum hoc, quod ſibi vivens ipſe condidit, epitaphio.

D. O. M.
JOANNES BONA PEDEMONTANUS,
CONG. S. BERNARDI MONACHUS,
HUJUS ECCLESIAE, TRANSLATO HUC TITULO
SALVATORIS IN LAURO, PRIMUS PRESBYTER CARD.
VIVENS SIBI POSUIT.
OBIIT AN. M DC LXXIV. DIE XXVIII MENSIS OCTOB.
AETATIS SUAE LXV.

Ibidem extra preſbyterii cancellos ſepultus eſt Johannes Barrerius, Congregationis Fulienſis auctor. Baſilica præclara & elegans ex uno aquarum, quæ ad thermas Diocletiani uſui erant, caſtello adornata eſt. Ex quo admirabilis illarum thermarum fabrica conjici poteſt.

Deinde luſtravimus eccleſiam Patrum Cartuſianorum ad Thermas Diocletiani: quæ præclariſſimas ſtupendi thermarum ædificii reliquias continet, maxime ingentes columnas octo ex marmore granito. In horto Patrum ſitus eſt monaſterii ſancti Cyriaci noſtri quondam Ordinis ſanctimonialium, quod penitus exciſum eſt. Hujuſce monaſterii Kalendarium ſeu Necrologium perantiquum habemus ex codice Vallicellano: in quo Aſſumtio ſanctiſſimæ Virginis his verbis in Januario notatur. XV *Kal. Febr. depoſitio ſanctæ Mariæ virginis matris domini noſtri Jeſu-Chriſti.* In eodem Kalendario triplex ſancti Benedicti fit commemoratio. Prima, V. *Idus Februarii ædificatio ſancti Benedicti abbatis.* quod de conſtructione ſeu inſtauratione monaſterii Caſinenſis, aut alterius ſancti Benedicti eccleſiæ interpretamur. Secunda, XII *Kal. Aprilis, Benevento, Caſino caſtro, beati Benedicti abbatis.* Tertia, V *Idus Julii, depoſitio ſancti Benedicti abbatis.* quo die tranſlatio ſancti Benedicti in Galliam, ſeu depoſitio ejus corporis apud Floriacum conſignari ſolet. Ad hæc IX Kal. Octob. *Romæ depoſitio ſancti Liberii epiſcopi.* Celebratur item X Kal. Junii *Domnus Johannes patricius.* an is, cui prima ſanctæ Mariæ Majoris conditio tribuitur? cujus ſepulcrum, an ceno-

AN. 1685. JUNIO. taphium ibidem, id eſt ad ſanctam Mariam Majorem, in inferiori navis parte ad lævam oſtenditur.

Apud ſanctum Petrum in Vinculis officii cauſa convenimus reverendiſſimum abbatem Cerrium, Canonicorum regularium Congregationis Salvatoris Procuratorem generalem, qui nos prius inviſerat. Vir eſt non mediocriter verſatus in doctrina Patrum, maxime ſancti Auguſtini; idemque ſingulari comitate præditus. De hac ſancti Petri baſilica plura inferius. Non longe abeſt ſancti Martini in Montibus vetus eccleſia, nunc Carmelitarum, a Philippino eorum generali præfecto eximie decorata. In profunda ejus eccleſiæ crypta reliquiæ ſunt veteris Veſpaſiani ac Titi amphitheatri, quod Sylveſter Papa I in oratorium convertit. Obſervatione dignæ ſunt illius cryptæ picturæ ex muſivo antiquiſſimæ: quas inter viſitur beatiſſimæ Virginis imago, ad quam Silveſter genibus flexis depingitur. Ibidem ejuſdem Pontificis thronus ſupereſt, in quo nonnullis Conciliis ibidem (ut tradunt) celebratis præſedit.

XXX. Petrum de Sanctis, arte pingendi & cælandi inſignem, adivimus cum D. Thuillerio Academiæ regiæ præfecto, ubi quicquid veterum picturarum in antiquis delubris & monumentis reperiri potuit, pictum aut cælatum vidimus: quale eſt Ovidii mauſoleum, æri ab eodem Petro inciſum in variis tabulis, notiſque & obſervationibus illuſtratum a Petro Bellorio, quicum tunc eramus. Idem Petrus veterum picturarum reliquias ex Romanis monumentis undequaque collegit, paratus ad eas æri incidendas, ſi quis laboranti opem ferat. quod a Regis magnificentia ſperare jubetur.

JULIO. I. Dominico die octava ſancti Johannis profecti ad Lateranenſem baſilicam, vidimus in clauſtro baſilicæ adjuncto tres ſedes, confuſe cum varia ſupellectile conjectas: unam ex marmore albo, olim in porticu baſilicæ poſitam, in qua novum Pontificem collocari mos erat, *Stercorariam* appellatam: alias duas porphyreticas, & quidem perforatas, quæ ante capellam ſancti Silveſtri quondam exſiſtebant: in quibus Pontifex recens conſecratus itidem ſedebat. Quocirca obſervare juverit, Pontificem novum eo ritu in Lateranenſis baſilicæ poſſeſſionem induci ſolitum, ut primo ad thronum pontificalem, qui in apſide baſilicæ exſtabat, *omnes Epiſcopos & Cardinales*, ut loquitur Cencius, *ad* oſculum admitteret: *deinde ad ſedem lapideam, quæ dicitur Stercoraria*, ſtantem in porticu baſilicæ collocaretur, *ut*

vere dicatur: SUSCITAT DE PULVERE EGENUM ET DE STERCORE ERIGIT PAUPEREM. poſtea ductus ad capellam ſancti Silveſtri prope Lateranenſe palatium, primo ſederet ad dextram in una ex illis ſedibus porphyreticis, ubi claves baſilicæ a Priore ſancti Laurentii acciperet in ſignum regiminis & correctionis: demum ad ſiniſtram in altera ſedens, eaſdem claves eidem Priori reſtitueret. Ex quo intelligitur, Stercorariam vocabulum traxiſſe, non ex forma (neque enim pertuſa eſt, ut aliæ duæ) ſed ex verſu pſalmi, qui Pontifice in ea ſedente canebatur, *& de ſtercore erigit pauperem*. Hæc *fœda loco*, non forma, nedum uſu, appellatur in libro ſecundo de coronatione Bonifacii VIII. auctore Jacobo Cardinale, apud Bollandianos tomo IV Maii, ubi totus hic ritus de tribus ſedibus metrice deſcribitur. *Fœda* inquam *loco*, nempe quod in porticu baſilicæ exteriori conſtituta eſſet, ut ex antecedentibus intelligitur. Quando primum harum ſedium uſus cœperit, non conſtat. De his nihil invenimus ante ſæculum duodecimum, quo tempore illarum fit mentio apud Cencium, uno ſæculo ante natam fabulam de pſeudopapiſſa Johanna, id eſt ante Martinum Polonum, qui primus eam fabulam vulgavit, ut ſuperius vidimus. Tandem ritus ille, qui ad altius inſinuandam novo Pontifici humilitatem primum inductus fuerat, poſt receptam apud nimium credulos de pſeudopapiſſa fabulam ita infamis evaſit, ut ob hoc commentum penitus abrogaretur. quod ſæculo ſuperiore poſt Leonem X factum putamus. Ceterum non alia de cauſa ſedes illas pertuſas fuiſſe veri ſimile eſt, quam quod in antiquis Romanorum thermis repertæ, ob materiæ pretium, non ob formam, aptæ judicatæ ſunt, quæ ad novi Pontificis ſeſſionem adhiberentur.

Bolland. tomo 4 Maii pag. 471.

De baptiſterio Lateranenſi id tantum obſervamus, in capella ſanctæ Mariæ ad Fontes ſupereſſe antiquiſſimam inter alias beatiſſimæ Virginis picturam ex muſivo, ſtantis brachiis expanſis cum cruce in medio pectore. Hæc pictura, aliæque proximæ diverſorum ſanctorum, factæ ſunt pontificatu Johannis IV. Operæ pretium fuiſſet ut Raſponus has picturas in æs incidi curaſſet in hiſtoria Lateranenſi: quod ab illuſtriſſimo Ciampino exſpectamus in opere ſuo de muſivis antiquis.

Exſtabat quondam apud Lateranum bibliotheca pontificia: ſed hæc in Vaticanum a Sixto IV tranſlata eſt. Præter eam erat & alia Capituli Lateranenſis, in qua modo ſuperſunt ali-

AN. 1685. JULIO. quot volumina, præcipue unum de actis ſanctorum, ex quo Mombritius non pauca deſcripſit, & tempore Sixti IV typis mandavit. cujus rei teſtem habemus Dominicum Mairum in Lexico, ad vocem *Birrus*. quem locum nobis illuſtriſſimus Ciampinus indicavit.

Eodem die in monaſterio ſanctæ Pudentianæ conventus a nobis eſt optimus ſenex Pater Julius, hebraicarum litterarum ſcientiſſimus & ſcriba Vaticanæ bibliothecæ emeritus, ob idque annuo ſtipendio donatus a Pontifice. In ea eccleſia ſane perantiqua viſitur altare ligneum omnino carioſum, in quo ſanctus Petrus Miſſam celebraſſe dicitur. Aliud eſt in ara principe Lateranenſi, cujus videndi copia non facile conceditur. In reditu e Laterano adivimus eccleſiam ſancti Clementis, priſco ritu conſtructam, ubi chorus duplex: unus ſacerdotum ſub apſide muſivo decorata, pone majus altare, ob id Preſbyterium appellatum: alter, ubi ſchola cantorum, ante faciem altaris, qui marmoreis ad hominis menſuram cancellis (*peribolum* veteres appellant) cinctus eſt. Tres ſunt in inferiori choro ambones, unus ex parte Evangelii, duo ex parte Epiſtolæ: quorum alter lectorium habet verſus altare pro lectionibus ad chorum Sacerdotum; alter pro epiſtola Miſſæ verſus populum. Ad illum ambonem, qui pro Evangelio erat, ſtat columna ad cereum infigendum. Duo hinc inde gradus ad ambonem, unus pro aſſcenſu, alter pro deſcenſu. Hanc baſilicam modo occupant Dominicani vitæ ſtrictioris.

Non minus antiqua eſt, baſilica ſanctorum Coſmæ & Damiani, modo Beguardorum ſeu tertii Ordinis ſancti Franciſci; vetus olim fanum: uti & ſancti Laurentii in Miranda, olim templum Antonino & Fauſtinæ (quod inſcriptio etiam nunc teſtatur) ſacrum. Recentiſſima vero eſt baſilica ſanctæ Martinæ, eximium certe opus Petri Cortonenſis, ad primarium exemplar novæ baſilicæ Vaticanæ ex idea Michaëlis Angeli a Bona-rota.

II. Publicæ de Theologia diputationes factæ ſunt a Caſinatibus noſtris ad ſanctum Calliſtum, ad quas per reverendiſſimum ſancti Pauli Abbatem fuimus invitati. Theologiæ prælector Alexander a Peruſio, amicus noſter, vir doctus & religioſus. Eædem diſputationes non ſine auditorum plauſu ſæpius repetitæ. In ejuſmodi publicis diſputationibus tres argumentari ſolent. Tum in medium procedens juvenis, quartæ argu-

mentationis materiam aperit: quam alius vir emeritus deſignatus perſequitur. ſic tota finitur actio. Diſputationes reſerat de more præloquium; carmina condiunt & abſolvunt. An. 1685. Julio.

Prope ſancti Calliſti baſilicam antiqua exſiſtit baſilica ſanctæ Mariæ trans Tiberim, cujus loci abbas fuit ante annos octingentos Anaſtaſius, quod ipſe teſtatum facit in Præfatione ad miracula Baſilii Magni: Urso *venerabili ſubdiacono S. R. E. ſeu medico & domeſtico domini noſtri ſacratiſſimi papæ Nicolai, Anaſtaſius exiguus abbas monaſterii ſanctæ Dei genitricis Mariæ virginis, ſiti trans Tiberim, ubi olim circa Domini nativitatem fons olei fluxit, in Domino ſalutem.* Porticus baſilicæ præclaro muſivo decorata eſt: interiora item decenter ornata. Ad lævam ingredientium ſequens epigramma pavimento inſcriptum erat, modo fere obliteratum.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
*Nec bonus * alumnus, nec malus ullus erat.*
Defunctis patribus ſucceſſit prava juventus,
Quorum conſilio præcipitata jaces.

III. Duplices fiunt Romæ de rebus, quæ ad hiſtoriam & doctrinam eccleſiaſticam pertinent, collationes, unæ Prælatorum & clericorum ſæcularium in collegio de propaganda Fide per ſingulas quindenas, vernaculo ſermone: alteræ Religioſorum ſingulis menſibus in eccleſia ſancti Coſmæ, latino. In hujuſmodi collationibus hic ritus obſervatur, ut tres ex academia delecti, orationem quiſque ſuam ex ſchedula recitent: quibus auditis adſtantes objiciunt ſi quid opponendum habuerint. Ad utraſque collationes idemtidem fuimus invitati, immo ad dicendum provocati, maxime per Johannem Paſtricium, præfectum collegii de propaganda Fide, qui nos ſæpius ſua viſitatione dignatus eſt. Is nobis aliquando narravit, Leonem Allatium, amicum ſuum, qui eumdem Paſtricium librorum ſuorum heredem ſub nomine Georgii Paſtricii teſtamento inſtituerat, ex quibus nonnullos ineditos habet, unico calamo uſum fuiſſe ad græce ſcribendum (quod expeditiſſime faciebat) per annos quadraginta: & eo tandem amiſſo tantum non lacrymaſſe. Eumdem ab Alexandro VII. interrogatum, cur ſacerdotium non ſuſciperet? feſtive reſpondiſſe, ut ſemper ad conjugem ducendam eſſet paratior: cur vero tandem conjugem non duceret? ut ad ſacerdotium expeditior. Addebat ille, Patrem Macedonem Minoritam ad impugnandum Cardina-

AN. 1685. JULIO. lem Bonam ea ratione fuiſſe impulſum, quod cum Bona viventes auctores in ſuis paſſim laudaret ſcriptis, nuſquam de Macedone feciſſet mentionem.

IV. Miſſa apud ſanctum Petrum celebrata, bibliothecam Vaticanam perluſtrare cœpimus, favente doctiſſimo ejus præfecto Emmanuele Scheleſtrato, noſtro jamdudum amico, qui, quantum res ſinebant, nobis opera ſua non defuit. V. C. Laurentius de Zaccagnis, cuſtos alter, noſtris etiam ſtudiis obſecundavit. Bibliothecæ elegantia Sixti v. ingenio & magnificentia digna, qui eam intra unius anni ſpatium abſolvit. Grandis operis inſcriptionem, quæ ad ingreſſum poſita eſt, omittere hoc loco nefas.

SIXTUS. V. PONT. MAX.
BIBLIOTHECAM. AEDIFICAVIT
PORTICUS. CONJUNXIT
AN. M. D. LXXXVIII. PONT. III.

Ampliſſima illa porticus, *Belveder* vulgo appellata, in cujus medio poſita eſt bibliotheca, ad eamdem jucundiſſimum aditum præbet. In extrema quingentorum paſſuum porticu ædes bibliothecæ Præfecti & Magiſtri ſacri palatii. In vicino quadrato ſpatio mirabilis illa viſitur Laocoontis ſtatua, item Hercules truncus cum aliis nonnullis, quæ Michaëli Angelo & Peireſkio noſtrati artis miracula viſa ſunt. Redeamus ad bibliothecam: cujus in exedrio, quod picturæ & emblemata exornant, deſcribendis codicibus præ vetuſtate vitioſis incumbunt ſcriptores annuo ſtipendio dotati: in his Joſephus de Juliis græce doctus, in collegio de propaganda Fide græcarum litterarum Profeſſor, nobis amicus. Bibliotheca duobus magnis ædificiis conſtat, quorum primum trecentos pedes longitudinis, ſeptuaginta latitudinis cum pilis in medio habet. Feneſtræ majoris vaſis ex utraque parte lumen accipiunt. Libri in armariis clauſis aſſervantur ad prehendentis altitudinem: quod reliquum eſt vacui in parietibus ſpatii ornant elegantes hinc Conciliorum, illinc celeberrimarum Bibliothecarum picturæ, emblematis & inſcriptionibus interjectis. Emblemata, numero XVI, quæ Sixti v præcipua geſta repræſentant, ſingula ſingulæ inſcriptiones, id eſt ſingula diſticha, explicant, auctore Guillelmo Blanco. In hujus vaſis capite duæ hinc inde ingentes porticus ſe ſe reflectunt: a dextris codices græci, a ſiniſtris bibliothecæ duæ

utrimque, Palatina & Urbinas, ambos porticus occupant parietes. Ad ingreſſum bibliothecæ antiqua exſtat ſancti Hyppoliti epiſcopi & martyris ſtatua cum canone Paſchali, quem Scaliger ex hoc monumento vulgavit. Codices membranei ad ſexdecim millia numerantur: ex quibus antiquiſſimi non pauci: multi a tempore Nicolai v. & ſubſequentium Pontificum. Palatina pleroſque veteres habet. Ex codicibus græcis majoris pretii ſunt *Bibliorum codex* antiquiſſimus, in quo teſtimonium de tribus perſonis in epiſtola I. Johannis deſideratur. Ad eum codicem accurata eſt editio LXX interpretum. Aliud eſt exemplar rariſſimum, atque (ut creditur) unicum *Chronici Alexandrini*, Meſſanæ ſæculo ſuperiori comparatum: *Euchologion* item Græcorum optimæ notæ. Ex latinis *Virgilius* quantivis pretii cum figuris, antiqua ſacrificia, & alia id genus reconditæ gentilium eruditionis tam perite & eleganter exprimentibus, ut Conſtantini M. tempus ſuperare videantur. Has figuras Cardinalis de Maximis in æs incidi curaverat, totum Virgilium itidem genuine expreſſurus, niſi mors ipſius conſilia prævertiſſet. Littera u quadrata paſſim illo in codice occurrit. *Terentius* paullo minus antiquus eſt. Ex recentioribus, Sirleti Cardinalis, itemque Onufrii Panvinii apparatus ad hiſtoriam eccleſiaſticam, quibus Baronius uſus eſt. Alia mittimus, quæ integrum librum, immo plures exigerent. Habentur etiam in eadem bibliotheca Ravennenſis eccleſiæ ſemilacera inſtrumenta ex charta Ægyptiaca. In ſumma, pleraque ejuſmodi quæ hactenus reſtant, monumenta ita exarata, ex ejuſdem eccleſiæ archivo depromta ſunt. Non pauca excerpſimus ex bibliotheca Vaticana, in his *Johannis Diaconi Neapolitani hiſtoriam de Archiepiſcopis Neapolitanis* ex veterrimo codice, cujus nobis copiam facile conceſſit humaniſſimus bibliothecæ præfectus. Is nobis inter alia oſtendit primarium exemplar Papæ oblatum ab Henrico VIII Anglorum rege de ſacramentis adverſus Lutherum, cum autographis item ejuſdem Henrici litteris ad Annam Bolenam.

Sub bibliotheca Sixtus V armamentarium conſtituit cum hac ingenioſa inſcriptione:

SUBJECIT ARMA LITTERIS.

Non prætermittendum hoc loco eſt egregium aliud ejuſdem Sixti facinus, nempe typographiæ apoſtolicæ inſtitutio, ad Concilia generalia ſanctorumque Patrum opera imprimenda.

An. 1685. Julio. Hujuſce typographiæ Vaticanæ prima cura demandata eſt Dominico Baſæ Veneto, qui ad inſtruendam officinam, aliaque in eam rem præſtanda, quadraginta aureorum millia expendit. Hæc ars quo primum anno, quove Pontifice Romam invecta ſit, diſputant auctores. Polydorus id factum cenſet anno M CCCC LVIII per Germanum quemdam, nomine Conradum: Volaterranus poſt annos ſeptem per duos Germanos, qui Auguſtini libros de Civitate Dei & Lactantii Inſtitutiones primum typis Romanis ediderint. Id Paulo ſecundo Pontifice, qui anno M CCCC LXIV ſedere cœpit, accidiſſe conſtat ex Johanne epiſcopo Alerienſi; qui in epiſtola ad Paulum ipſum, cui primum volumen Hieronymi epiſtolarum anno M CCCC LXX nuncupavit, eum hac de re laudat. *Tuis certe temporibus ad reliquas Dei gratias hoc etiam felicitatis orbi Chriſtiano munus acceſſit, ut pauperrimi quique parva pecunia bibliothecas poſſint redimere. An parva eſt hæc tuæ ſanctitatis gloria, ut quæ volumina vix centum aureis emi poterant aliis temporibus; viginti hodie ac minoris, bene exarata, & non mendoſiſſime facta, redimantur? quæ vix vigenti aureis lecturi mercabantur, quatuor & vilius etiam nunc emantur?* Et infra. *Hoc quoque magnum eſt, Pater beatiſſime, quod tuo tempore non minus valet pæne papyrus vacua & nuda, pergamenave, quam hodie optatiſſimi libri emantur. Gloriati non immerito ſunt Principes nonnulli, quod ſaccus non multo pluris ipſis principantibus emeretur, quam triticum; aut quam vinum inanis vehes. Ego poſteris in his ſcriptis conſtanter, ſemper admirationi futurum trado, præſtantiſſimos characterum imprimendorum auctores,* SUB PAULI SECUNDI VENETI PONTIFICATU, *Romæ artem exercere cæpiſſe, tanto artificio & induſtria hominum, gratia nobis hac cælitus per divinum Paſtorem importata, ut minoris libri emi fere poſſint, quam alias ſoleret redimi ligatura.* In fine rogat, Paulus ut foveat *artis hujus utiliſſimæ* CONRADUM & ARNOLDUM, *Germanos homines, artis imprimendi præſtantes advectores.* Hæc ex Johanne Alerienſi, epiſcopo, Sixti IV bibliothecario ac ſecretario, qui multis ſanctorum Patrum editis libris clarus, obiit anno M CCCC LXXV. annos natus LVII. ut docet ejus epitaphium in baſilica ſancti Petri ad Vincula. Parcat lector huic digreſſioni, quæ ad aſſerendam Paulo II gloriam advectæ Romam typographicæ artis, primoſque advectores Conradum & Arnoldum ab oblivione vindicandos neceſſaria videbatur. Verum quod

rudi-

rudi minerva Romæ primum inchoarunt duo illi Germani, id deinde Nicolaus Jenſon Gallus mirum in modum ibidem illuſtravit. AN. 1685. JULIO.

In reditu e Vaticano, ad illuſtriſſimi Johannis Ciampini ædes profecti, opus ejus curioſiſſimum de antiquis Muſivis, cui manus extrema nondum impoſita erat, cum magna voluptate vidimus, non minus recreati optimi viri benignitate & cordato in litteras animo, qui nos continuis, dum Romæ fuimus, humanitatis officiis proſecutus eſt. Hunc in adeundis Principum villis ſuburbanis, antiquis ſignis & monumentis contemplandis, lectitandis inſcriptionibus, aſſiduum cum doctiſſimo Fabretto, paſſim etiam cum Scheleſtrato, quem modo laudavimus, ducem & interpretem habuimus. Titulos honoris, quos habet, ſive litterarum apoſtolicarum Proſummatoris, ſive Magiſtri Brevium, alioſque, unum Ciampini nomen in poſterum, cum bona ejus venia, implebit. quod de aliis etiam dictum volumus, atque æqui bonique conſultum optamus.

VII. Non prætereunda eſt, quam ſæpiſſime frequentavimus, baſilica ſanctæ Mariæ, quæ Major ſeu Liberiana & ſanctæ Mariæ ad Præſepe appellatur: ubi Litaniis, quæ ſingulis ſabbatis ibidem modulatis vocibus ſub veſperum cantari ſolent, non raro interfuimus. Id fit detractis velis imagini oppanſis, quam a ſancto Luca depictam tradunt. Porro detectio hæc fit cum dignitate & modeſtia, non cum iis ritibus, quos alibi in Italia obſervatos vidimus, non ſatis fortaſſe ad gravitatem religionis compoſitos. Ejuſmodi ritus Neapoli nobis ſuperſtitionis nomine objecerunt quidam Hollandici hæretici, quibus, ut par erat, ſatisfecimus. Cum vero ea de re ad quemdam nobilem verba haberemus, reſpondit ille non decere, ut quod fidei domeſticos ædificat, in gratiam exterorum & ſegregum facile abrogetur. Prædictæ litaniæ ad ſanctam Mariam Majorem concinuntur in egregio ſacello Pauli v. E regione viſitur altera capella a Sixto v. ob præſepe Domini ædificata, in qua ipſe cum Pio v. cujus ſepulcrum grati animi cauſa mirifice ornavit, ſepultus eſt. De hoc ſacello à viro fide digno id accepimus, cum Sixtus ante pontificatum illud aggredi voluiſſet, reſtitiſſe Canonicos, ne ſcilicet in medio cœpto præ anguſtia rei familiaris deficeret. Felicem (nam id nominis Cardinali erat) rem tuliſſe indignanter: ſed a magno Hetruriæ Duce petiiſſe, ut ſe vadem Canonicis exhiberet. Conditione impetrata, Felicem manum admoviſſe operi, quod Pontifex abſolvit.

An. 1685. Julio. Tunc recurriſſe in mentem Sixto, quod Felici acciderat, ac meditari cœpiſſe quo pacto Canonicos ſancti Hieronymi corpore, quod in ea capella aſſervatur, ſpoliaret. Ideo ſub ſancti Doctoris patrocinio eccleſiam, quæ Sixto titulus Cardinalitius fuerat, ad ripam Tiberis a fundamentis inſtauraſſe, ut in eam ſacras reliquias transferret. Sed Canonicos fraudem ſubodoratos, eas in locum ſecretum abdidiſſe: ſicque dolum dolo fuiſſe deluſum. In illa majori ſanctæ Mariæ baſilica conditus eſt optimus Pontifex Clemens IX. Magnificum ibidem prope Franciſci Toleti ſepulcrum exſtat mauſoleum Auguſtini Favoriti Sarzanenſis, cum ſpecioſo elogio, quod Papebrochius in libro de Pontificibus Romanis retulit. Monumentum illud amico erigi curavit liberalis litteratorum nuper fautor Ferdinandus Furſtenbergius, epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis, dignus ipſe æterno monumento, quod alias ſuis benefactis ſibi exſtruxit. Omiſſum eſt a Paulo de Angelis in deſcriptione baſilicæ Liberianæ epitaphium Platinæ, quod ad minorem portam baſilicæ legitur in hunc modum.

XYSTI IV PONTIFICIS MAX. ANNO VIII. STEPHANO, QUI VIXIT ANN. XXVII. MENS. VIIII. DIES XII. PLATYNA FRATRI BENE MERENTI POSUIT, SIBIQUE AC POSTERIS.

QUISQUIS ES, SI PIUS PLATYNAM ET SUOS NE VEXES. ANGUSTE JACENT, ET SOLI VOLUNT ESSE.

Θάρσον ἀδελφὲ, καλῶς θνέσκον πάλιν φύεται.

Iſte Platina, præter alia opera cuivis nota, concinnavit indicem archivi arcis ſancti Angeli, cujus exemplum vidimus.

VIII. Burgheſiana villa, una ex præcipuis Romanorum procerum, extra portam Pinciam conſtructa eſt a Scipione Burgheſio Cardinale, Pauli V nepote. In ea ſunt multa ſigna ſelectiſſima, uti & in villa Medicea ad montem Pincium, in Ludoviſiana, & aliis. Excellunt in Burgheſiana duodecim Cæſarum capita, Senecæ in balneo exſpirantis ſtatua ex lapide lydio. Sed hæc non ſunt noſtri inſtituti.

IX. Feria ſecunda conſiſtorium habitum eſt Cardinalium XXI. præſente (uti mos eſt) Pontifice, quo in conſiſtorio declaratus eſt Palentiæ apud Hiſpanos epiſcopus Generalis Patrum Minimorum; & quidam alii epiſcopi propoſiti ad nonnullos

Italiæ epiſcopatus. Ejuſmodi nominationes & proclamationes fiunt ceteris excluſis præter Cardinales, qui prius ad Pontificis audientiam ſecretam ſinguli palam admittuntur. AN. 1685. JULIO.

XIV. Patrum Oratorii Romani Vallicellana eccleſia domuſque, ſæpiſſime a nobis magno cum fructu, nec minori voluptate frequentata, fabricæ dignitate, concinnitate ac decore eximia eſt, ſed religione ac pietate inhabitantium præſtantior. Illic quatuor de rebus ſacris adhortatorii ſermones in dies fiunt magna cum pietate, & ſimplicitate vere apoſtolica, quæ in illius inſtituti hominibus integra etiam nunc viget. Hac die poſt concionem Patris Marcheſii, viri non minus pii quam docti, religioſiſſimus Pater Leander Colloredus, noſter in primis amicus, nos deduxit in cellam ſancti Philippi Nerii, quæ integra tranſlata eſt in novam Oratorii domum una cum ejus ſupellectile, lecto ſcilicet, armariolo & confeſſionali; atque converſa in capellam: in qua cum Miſſam aliquando celebraremus, nobis Colloredus ipſe (quamquam id referre pudor eſt) miniſtrare voluit. Erant vero cum bonis illis Patribus ſermones noſtri, quales amantium inter ſeſe, & benevolentium eſſe ſolent, familiaritate dulces, & ſimplicitate aperti. Ab eo tempore venerabili loci Præpoſito, viro piiſſimo, cum Patre Leandro bibliothecario, benigne annuente, ſæpius frequentavimus ejuſdem loci bibliothecam, ſane inſtructiſſimam, qua illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, & poſt eum Odolricus Raynaldus, illius domus alumni, ſuo tempore uſi ſunt. Multi in ea codices antiqui, multa item exempla veterum codicum, ex quibus non pauca in rem noſtram collegimus. Hanc bibliothecam locupletarunt ſanctus Philippus Nerius, Achilles Statius Luſitanus, qui obiit anno MDLXXXI. die XVI Septembris; Nicolaus Lilius, Antonius Gallonius, & Thomas Bozius, ambo Oratorii preſbyteri; Silvius Antonianus cardinalis, Petrus Molina theologus Pariſienſis, & (ut alios omittamus) Scipio de Rubeis, hoc onere impoſito, ut bis mille Miſſæ poſt ejus mortem pro eo celebrarentur. Unus ex antiquioribus codicibus *Apoſtolorum Acta, Epiſtolas canonicas, & Apocalypſin* continet litteris quadratis, cum hocce brevi prologo in Acta. *Nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, & lactantis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi noverimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe medicum, cujus laus eſt in Evangelio; animadvertemus pariter omnia verba illius animæ languentis eſſe medicinam.* Acta dividuntur in

capitula LXXIV. quæ præmittuntur. Epiſtolis canonicis præfigitur abſque auctoris nomine Hieronymi prologus, conquerentis, quod in prima Johannis epiſtola teſtimonium de unitate Trinitatis *ab infidelibus tranſlatoribus* ſit prætermiſſum. Et tamen in ipſius epiſtolæ contextu (quod mirere) hoc teſtimonium omittitur. Poſt Apocalypſin ſequitur commentarius in eamdem, incipiens ab his verbis: *Fundata per Apoſtolos Eccleſia &c.* JUVENIANUS HUMILIS SUBDIACONUS librum offert ſancto Laurentio martyri, manipulum geſtans in dextro pollice. Hic codex ante annos mille calamo exaratus eſt. Ibidem ex dono Statii habetur *codex Bibliorum*, ab Alcuino dicatus Carolo M. uti verſus ad calcem adſcripti teſtantur.

Nomine Pandecten proprio vocitare memento,
Hoc corpus ſacrum, lector, in ore tuo.
Quod nunc à multis conſtat Bibliotheca dicta
Nomine non proprio, ut lingua Pelaſga docet.

Et poſt pauca:

Codicis iſtius quot ſunt in corpore ſancto
Depictæ formis litterulæ variis:
Mercedes habeat Chriſto donante per ævum
Tot Carolus rex, qui ſcribere juſſit eum.

Tum,

Pro me, quiſque legas verſus, orare memento:
Alcuine dicor: tu ſine fine vale.

Bedæ codex de circulo lunari & de ſex ætatibus mundi, cui breve *Martyrologium* præmittitur, ex bibliotheca Lugdunenſi combuſta ereptus, emtuſque eſt à Johanne Boſcio Cæleſtino. In cyclo paſchali hæc ad marginem leguntur, de Agobardo indubie interpretanda.

DCC LXXVIIII. *Hoc anno natus ſum.*

DCCLXXXII. *Hoc anno ab Hiſpaniis in Galliam Narbonenſem veni.*

DCC XCII. *Hoc anno Lugdunum à Gothis primum....*

DCCC IIII. *Benedictionem indignus ſuſcepi.*

DCCC XVI. *Iſte cathedra potitur anno octavo.*

DCCC XL. *Hoc anno ſanctæ memoriæ Agobardus Lugdunenſis epiſcopus obiit* VIII *Id. Junii. Ludovichus quoque Imperator defunctus eſt* XII *Kal. Julii: & memorabile atque inſigne opus, quod Forum-vetus vocabatur, Lugduni corruit ipſo die intrantis autumni, quod ſteterat à tempore Trajani per annos fere* DCC.

DCCC XLI *Amolo, præfati epiſcopi diaconus, ordinatus epiſcopus Lugduno* XVII *Kal. Februarii.*

In hoc codice Bedæ liber de diviſione temporum auctior eſt editis. Ad hæc *Ordo Romanus*, ſæculo nono ſcriptus, itidem vulgatis amplior. Sed antiquius *Sacramentarium Romanum*, in quo hæc notanda. *Menſe Junio die* XXII *ſanctorum Martyrum mille* CCCC LXXX. *quorum vigilia cum ſilentio & jejunio eſt celebranda: & conceſſum eſt eis pro illo uno die annum dimittere in pænitentia.* Hoc antiquum Indulgentiæ conceſſæ exemplum. *Eodem die ſancti Jacobi apoſtoli Alphæi.* Non parvi momenti eſt aliud *Sacramentarium* Sublacenſis monaſterii, nunc Vallicellanæ bibliothecæ, in quo etiam habetur vetus Necrologium: qui codex anno M LXXV ſcriptus eſt, præcipiente Johanne Abbate, ut docet inſcriptio in hæc verba. *Anno ab Inc. Domini noſtri Jeſu-Chriſti* MLXXV. *Indict.* XIII. *præſidente Gregorio* VII. *papa in cathedra apoſtoli Petri anno* II. *ob honorem Dei & amorem beati Benedicti ſanctiſſimi abbatis & beatiſſimæ virginis Scholaſticæ, hunc Sacramentorum libellum, jubente domno* JOHANNE *glorioſiſſimo abbate ex monaſterio ſancti Benedicti, qui ponitur in Sublaco, ob memoriam ſui nominis, remediumque ſuæ animæ, à quodam ſcriptore, nomine VVittone, exaratum eſt.* Johannes iſte *ſtudioſiſſime eruditus fuit in venerabili monaſterio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ ponitur in Farſa; filius vero Johannis Comitis Ottonis*, quemadmodum legitur in Necrologio, ubi ejus deceſſores recenſentur. His adde præclarum ingenſque volumen, continens collectionem variorum Conciliorum editorum, cum inſignibus emendationibus. In eo epiſtola ſecunda Siricii Papæ, non *Epiſcopo Mediolanenſi*, ut in editis, ſed *univerſis Epiſcopis* miſſa dicitur. In alio codice varii ſermones LUCULENTI. Volumen XVIII Criſconii collectionem comprehendit, in cujus medio hæc inſerta ſunt mendoſa quidem, ſed tamen obſervatione digna. *Concordia canonum à Creſconio Africano epiſcopo digeſta ſub capitulis trecentis. Iſte nimirum Creſconius bella & victorias, quas Johannes * Des. Patricius apud Africam de Saracenis geſſit, hexametris verſibus deſcripſit ſub libris...* Poſtremo *Catena græca in Johannem* optimæ notæ, & *Vita ſancti Eraſmi martyris* auctore Johanne ſubdiacono & monacho Caſinenſi, qui poſtea Pontifex fuit ſub nomine Gelaſii ſecundi. Hactenus de bibliotheca Vallicellana.

AN 1685. JULIO.

Sancti Andreæ de Valle, quæ Theatinorum, baſilica eſt una ex ornatioribus Urbis. Porta major, picturæ tholi per Lanfrancum, ſacella, Pii ſecundi ac Pii tertii monumenta, curioſorum oculos mirifice oblectant ac recreant.

AN. 1685. JULIO. Inviſimus ipſa die eminentiſſimum Cardinalem Caſanatam, à quo volumina quædam de ritibus Baptiſmi & Ordinationum, ex Calabria recens ad ſe allata, accepimus, cum aliquot homiliis & actis ſanctorum. Idem nobis multa communicavit ad rituum Romanorum collectionem, quam brevi, Deo dante, ſumus edituri: multa item ad ritum Baptiſmi & Ordinationum cum ſuis figuris ex duobus rotulis ſeu voluminibus Landulfi epiſcopi (ut putamus) Capuani, qui ante annos ſeptingentos in vivis erat. Sic undequaque vetera monumenta colligit ſtudioſiſſimus Cardinalis, qui editorum librorum præclaram bibliothecam ſibi comparavit.

XVI. Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Roſſanenſis nos ſecum duxit in monaſterium ſancti Calliſti, ubi noſtri ex ſancto Paulo Caſinates per æſtatem degunt ob male ſanam alterius loci per illos æſtus temperiem. Iſtuc ex ſancti Pauli archivo allatus eſt pretioſus codex Bibliorum, cui præmiſſa eſt, ut ſuperius meminimus, Caroli Francorum regis effigies, Magni an Calvi, an alterius, apud Romanos non levis diſceptatio eſt. Archiepiſcopus Roſſanenſis cum Nicolao Alemanno in libro de parietinis Lateranenſibus, ubi hanc effigiem retulit, uti & Cornelius Margarinus in collectione inſcriptionum, quæ apud ſanctum Paulum exſtant, Caroli M. effigiem eſſe exiſtimant. qua de re mox laudatus Archiepiſcopus diſſertationem edidit ſingularem. Præcipua ejus argumenta ſunt, quod habitus depicti Regis optime conveniat cum illa veſtium deſcriptione, quam Eginhardus affert. Deinde quod Ingobertus *referens & ſcriba*, de quo fit mentio in verſibus poſt effigiem adjunctis, ſit ille Ingobertus Comes, qui tempore Caroli M. & Ludovici Auguſti vixit, ut ex vita Ludovici Pii & ex aliis diſcimus. Sed cum bona venia illuſtriſſimi viri indubie exiſtimamus, hanc eſſe Caroli Calvi effigiem: tum quia facies oblonga, aliaque vultus lineamenta apprime reſpondent illi Caroli Calvi imagini, quæ apud eruditum Baluzium in tomo ſecundo Capitulorum ex codice Mettenſi proponitur: tum quia ſcriptura codicis prorſus convenit cum illa, quæ Caroli Calvi tempore uſitata erat: tum quia multos Bibliorum ejuſmodi libros ſimiles deſcribi curavit idem Rex, quales ſunt Mettenſis, Ratiſponenſis, & alii. Hanc effigiem lectorum oculis denuo ſubjicimus, ut de hac cujus ſit ſententiam ferant.

Capitul. to. 2. col. 1276. & ſeq.

Apud Alemannum illud deficit, & quod Regis corona ſuper-

ne clauſa non ſit, & quod litteræ globo inſcriptæ apud eum deſiderentur. Apud Margarinum vero, Caroli uxor non ita vetula eſt in autographo, & armigeri duo plus virilis ætatis præferunt. An. 1685. Julio.

Quoniam vero ad gentis noſtræ hiſtoriam plurimum intereſt, ejuſmodi picturarum non modo ſpecimina habere, ſed etiam explicationes; non ab re erit, paucis hanc Caroli imaginem interpretari, eum ad modum, quo præſtantiſſimus Cangius alias duas Lotharii & Caroli Calvi figuras interpretatus eſt in Gloſſario, ubi Armigerorum officia exponit. Hîc igitur exhibetur Carolus in throno ſedens, vultu oblongo, raſoque mento, attonſis crinibus, cum corona in capite, gemmis ornata & ſuperne clauſa; dextra protenſa ſceptrum pectori apprimens, ſiniſtra globum tenens cum litteris, quæ OEdipum quærunt. In cuſpide prima eſt littera C. Littera proxima potius K quam R nobis videtur. nam ſimilis littera K in tomo ſecundo Capitularium ad effigiem Lotharii imperatoris exprimitur. Si *Ibid. col. 1279.* tamen litteram R quis eſſe contendat; tres ſuperiores litteræ C R S cum laterculo, & tres aliæ, quæ a latere ad dextram legentis ſunt, Caroli regis monogramma conſtituere videntur, ut legendum ſit, CAROLUS REX. De aliis nihil ſolidi nobis occurrit: alii fortaſſe melius divinabunt. Regis toga cærulei coloris, aureis floribus reſperſa; pallium rubeum fibula dextro humero adſtrictum: utriuſque limbus opere phrygio exornatus. Tibialia abſque faſciolis illis, quales Monachus ſancti Galli in libro primo de vita Caroli M. ipſi attribuit. Calcei *Romano more formati*, ut Eginhardi verbis utamur. Supra caput Regis quatuor virtutes cardinales. A ſiniſtris Caroli conjux cum una puella ad famulatum. Reginæ toga purpurea texturam operis phrygii in medio & in extremis habet: pallium ex panno lineo ſubtiliſſimo a capite ad ima defluit a tergo; pars ima circum brachia convolvitur. Armigeri duo a dextris, cum ſagulis, quæ ad genua non pertingunt; tibias etiam ſeminudas habent. Unus utraque manu oblique jacentem geſtat enſem regium, cujus capulus cum triplici quadruplicive retinaculo, crucis inſtar, efformatur. Alter denique haſtam cum clypeo gerit. Hæc fere omnia rudi minerva exprimunt adſcripti verſus, quos cum multis aliis Margarinus refert.

Rex cæli Dominus ſolita pietate redundans,
Hunc CAROLUM *Regem terræ dilexit herilem*

AN. 1685. JULIO.

Tanti ergo officii ut compos valuiſſet haberi,
Tetraſti implevit virtutum quattuor almo.
Imminet hic capiti de vertice cuncta refundens.
Denique ſe primum tunc omnia rite gubernat,
Prudenter, juſtè, moderate, fortiter, atque
Hinc inde angelico ſeptus tutamine ſacro,
Hoſtibus ut cunctis exultet pace repulſis.
Ad dextram armigeri prætendunt arma miniſtri,
Eccleſiam Chriſti invictus defenſor in ævum,
Armipotens magnis quis ornet ſæpe triumphis.
Nobilis ad lævam conjux de more venuſtat,
Qua inſignis proles in regnum rite paretur.

Deinde ſequitur prologus totius libri, apud Margarinum integer relatus, in quo de Carolo itidem hæc leguntur.

Hæc namque invenies præſenti pagina libro,
Quem tibi quemque tuis Rex Carolus ore ſerenus
Offert Chriſte tuiſque cliens & corde fidelis.
Ejus ad imperium devoti pectoris artus
INGOBERTUS *eram referens & ſcriba fidelis,*
Graphidas Auſonios æquans ſuperanſve tenore
Mentis, at auricomum decus illi creſcat in ævum:
Quem fecit priſcos Chriſtus tranſire Monarchas,
Et ſibi cognovit duce Chriſto ſceptra tenere.

Ex his verſibus nihil certi elicitur pro Carolo Magno, nec ſane pro Calvo. Nam quod *priſcos monarchas* rex ipſe anteiſſe dicitur, poëtica exaggeratio eſt. Ingobertum, non Comitem aut Referendarium, ſed amanuenſem fuiſſe nullatenus dubitamus.

XIX. Michael Molinus, Hiſpanus preſbyter, ob ſuſpectam in rebus moralibus doctrinam, comprehenſus eſt juſſu Romanæ Inquiſitionis, aliis aliter atque aliter de eo opinantibus. Liber ejus, qui *Manuductio ſpiritualis* inſcribitur, hiſpanice primum, deinde italice multoties Romæ editus eſt, libellis ſcriptis atque editis impugnatus, quos in indicem cenſores retulerunt. Inde inferunt conjectores, Molinum, non ob libri vulgati doctrinam (tametſi is poſt comprehenſum auctorem ab Hiſpanica Inquiſitione proſcriptus eſt, Romana ægre ferente, quod occupatum eſſet ejus rei ab aliis judicium) ſed ob ſcriptas ad diverſos epiſtolas, aut certe ob pravas ipſius ſententiæ interpretationes a ſuis aſſeclis factas, in carcerem fuiſſe conjectum, ex

quo



quo non facile ſe extricabit. An. 1685. Julio.

Ipſo die cum ad hortos Montaltenſes Ciampinus & Fabrettus nos deduxiſſent; Ciampinus nobis dono dedit delineatas cujuſdam tumuli, prope Neapolim reperti, figuras duas, quibus repræſentatur baptiſmus per immerſionem ſimul & ſuperfuſionem collatus ab homine laico. Langobardos aut Græcos eſſe quorumdam barba prolixior indicat, nam Romano ritu mentum raſum erat. Prædictas figuras hoc loco exhibere juvat. Hac de re iterum inferius ad XI Auguſti. Repertus eſt autem tumulus ille apud Chiaiam, Neapoli ſuburbanum opidum, in villa Principis Caramanici: cujus tumuli delineationem illuſtriſſimus Andreas ab Aquino, Principis cognatus & epiſcopus nuper Tricaricenſis, eidem Ciampino ſubmiſit. Ex una parte unius Regis ac Reginæ in uno fonte ſacra tinctio exhibetur.

XX. Raphaël Fabrettus, vir ſcriptis & eruditione clarus, novam nobis oſtendit veterum inſcriptionum collectionem ab ſe factam, quæ unum facile volumen conficient, aliæ omnino ab editis. Idem nobis librum ſuum de Aquæductibus, atque alterum de Columna Trajana liberaliter impertiit. In libro de Aquæductibus inter alia multa variæ eruditionis Fabrettus probat, congium Romanum, in ædibus Farneſianis aſſervatum, ad cujus normam diverſæ menſuræ pro legitimis fabricatæ ſunt, omnino ſuppoſiticium eſſe. Ex variis inſcriptionibus apud Fabrettum aſſervatis, duæ nobis obſervatione digniores viſæ ſunt. Una cujuſdam Martyris epitaphium eſt, lapidi marmoreo inſcriptum, habens ex altera parte fragmentum ſodalitii paganorum ſub deo Silvano, cujuſmodi multæ Chriſtianorum inſcriptiones in Romanis cœmeteriis viſuntur, ex una parte epitaphium pagani, ex adverſa Chriſtiani præferentes. Altera inſcriptio, quam apud Fabrettum vidimus, ſollemnem paganorum *Diis Manibus* dicationem, etſi hominis ſit Chriſtiani, exhibet hoc modo.

Fabrett. pag. 74. & ſeqq.

D. MA. SACRUM. XL.
LEOPARDUM. IN. PACEM. CUM
SPIRITA. SANCTA. ACCEPTUM
EUMTE. ABEATIS. INNOCINTEM.
POSUER. PAR. Q. AN. N. VII. MEN. VII.

Hic manifeſtus de Confirmationis Sacramento locus eſt, referendus utique ad prima illa tempora, quo cruda adhuc quorumdam in cordibus Chriſtiana religio aliquid de pagani-

An. 1685. Julio ci ritus ſuperſtitione retinebat. Numerus XL. eſt ad deſignandum tumulum, quales numeros in Roma ſubterranea ſæpius offendes. Aliud id genus Mariniani Chriſtiani hominis epitaphium cum inſcriptione D. M. reperitur apud Smetium. Nam præterquam quod Marinianus *bonæ memoriæ* appellatur; ibidem ex adverſa lapidis parte habetur A & Ω cum chriſimo in medio: quæ ſigna ſunt hominis Chriſtianis ſacris addicti. Celſus Cittadinus in tractatu de articulis cap. II. paulo aliter alteram epitaphii partem refert. Alia exempla vide ſis apud Gruterum a pag. ML. apud quem invenies quemdam, nomine Adjutorem, qui POST ACCEPTAM PÆNITENTIAM *migravit ad Dominum, Anaſtaſio Conſule.*

Roma ſubt. lib. 3. cap. 22.
Smet. fol. 143. n 3.
Grut. M XLIX *num.* 2.

XXII. Dominica cum Ciampino & Fabretto luſtravimus thermas Antoninianas, id eſt Antonini Caracallæ, ad portam Capenam, opus ingens & perquam magnificum, ut ex ſpatio & ædificii reliquiis conſpicuum eſt. Locus Patribus Jeſuitis ceſſit. In reditu obviæ fuerunt baſilicæ ſanctorum Nerei & Achillei, tum ſancti Cæſarii, in quibus ciboria & ambones ad priſcum ritum: monaſterium ſancti Sixti cum eccleſia, quæ olim ſancto Dominico primum, deinde ſororibus ab ea inſtitutis attributa, modo inculta, uti & monaſterium; poſtremo baſilica ſancti Johannis ad portam Latinam, quam tunc duo Galli eremitæ incolebant, eo in loco ſita, ubi quondam ſtabat Dianæ templum, cujus reliquiæ etiam nunc conſpiciuntur: & ante aream Oratorium dictum ſancti Johannis in Oleo, ubi dolium, oleum, & capilli ſancti Johannis ſub altari aſſervari dicuntur. De monaſterio ſancti Sixti legimus in bibliotheca Chigiana vetus inſtrumentum, quo *magiſter Centhius Gregorii Ranpazoli, in præſentia Stephani Cardinalis ſanctorum Apoſtolorum, reverendo & per omnia referto fratri* DOMINICO *Priori venerabilis monaſterii ſancti Sixti, recipienti pro ipſo monaſterio, & pro monaſterio ſanctæ Mariæ in Templo & eorum ſervientibus, in perpetuum concedit* M XC *libras prov. Sen. quas dominæ Eugeniæ olim abbatiſſæ dicti monaſterii ſanctæ Mariæ in Templo mutuaverat, & de quibus ipſi pignus fecerat, ſcilicet in hortis ipſius monaſterii de Circulo maximo. Actum anno* M. CC. XXI. *pontificatus domini Honorii Papæ anno* V. *Indict.* IX.

XXIII. Ab iiſdem amicis per portam Flamineam, quæ Populi modo appellatur, ducti ad aquam Acetoſam, obſervavimus ſitum monaſterii ſancti Leucii, uno milliari extra portam;

& ad veterem viam Salariam, in cryptis ſub rupe cavatis, ſepulcra veterum Romanorum, qui non crematis ibi, ſed integris corporibus conditi fuerant. Primus, ut notum eſt, cremari corpus ſuum mandavit Lucius Sylla Dictator, multorum ſibi conſcius odiorum, veritus ne in ſe poſt obitum Mariana factio auderet, quod ipſe auſus fuiſſet in Marium. Poſtmodum ita cremandi mos invaluit, ut probrum ingens viſum ſit ſupremis ignibus caruiſſe. Antonini Pii principatu ad primarium reditum eſt morem. An. 1685. Julio.

XXVIII. Cum ad villam Benedicti ab eminentiſſimo Cardinale Eſtræo, qui identidem eo cum viris litteratis ſecedit, ad cœnam eſſemus invitati, proximam ſancti Pancratii baſilicam interim adivimus, ubi olim monachi noſtri Ordinis, nunc ſeminarium Carmelitarum Excalceatorum: ex quibus Pater Dominicus Gallus apud Romanos magno in honore habetur. In eccleſia exſtat ciborium inſigne cum corpore ſancti Pancratii, duoque ambones, quorum unus conſtructus eſt anno M CC XLIX. per Hugonem abbatem. Mauro abbati ſancti Pancratii Gregorius M. epiſtolam ſcripſit obſervatione dignam, de ſubſtitutis ibidem a ſe loco preſbyterorum monachis, *ut ad ſacratiſſimum corpus beati Pancratii quotidie opus Dei peragatur*. Calepodii cœmeterium eidem baſilicæ adjacet. Prope locum occiſus eſt Borbonius. *Greg. M. lib. 3. epiſt. 18.*

XXIX. Cum amicis noſtris varia Romanæ urbis monumenta conſpeximus, tum in hortis Farneſianis, eo in loco ſitis, ubi quondam Imperatorum palatium erat, prope amphitheatrum: tum in arcu Conſtantini, ex Trajani arcus lapidibus facto: in quo peditum calcei ferreis clavis ſub planta muniti; equorum ſoleæ ferro nudæ apparent: tum in eccleſia beatæ Mariæ Novæ, ubi ſanctæ Franciſcæ corpus in egregia Confeſſione religioſe aſſervatur, ſepultuſque eſt Gregorius XI. cui Roma ſuorum Pontificum iſtuc regreſſum debet. denique in adjunctis Olivetanorum hortis, in quibus duplicis paganorum templi reliquiæ (Caſtoris & Pollucis Poggius fuiſſe cenſet) exſtant, cum duobus fornicibus ſibi adverſis. In hortis Farneſianis ad cryptofontem inſignis præ aliis nobis viſa eſt ſtatua feminæ ſedentis complicatis manibus, vultu ad triſtitiam mire compoſito. In inſcriptione arcus Conſtantini illud obſervatione dignum, quod Senatus ejus auctor Conſtantinum *inſtinctu Divinitatis* de Maxentio tyranno remp. ultum fuiſſe dicit. Utinam inſcriptio hæc,

AN. 1685. JULIO. immo arcus ipſe, rimas ex ſtillicidio agens, religioſius haberetur, & ab effractorum injuriis vindicaretur. Vixiſſet Sixtus v. & amphitheatrum, ſtupendum illud opus, integratum nunc haberemus: in cujus angulo ſancti Ignatii ædicula cernitur, ad eum (ut creditur locum) ubi ſanctus martyr feris objectus eſt. Præter numericas notas, quæ ſingulis mirandi hujuſce ædificii ordinibus appoſitæ ſunt, Tiburtini ingentes lapides quadrati, quibus immenſum illud opus conſtructum eſt, extima in facie variis crebriſque foraminibus interpuncti viſuntur. De illorum foraminum uſu atque origine variæ circumferuntur ſententiæ. Sunt qui non parum veri ſimili conjectura exiſtiment, id factum opera inſtitorum & artificum, qui cum ad nundinas venumque mercimonia ſub tentoriis exponerent, adactis ſolo furculis, ex adverſo perruptos amphitheatri lapides fodiebant ad perticas ſuſtinendas, tectumque componendum. Vulgata eſt hac de re Joſephi Mariæ Suareſii epiſcopi Vaſionenſis Diatriba ſingularis.

XXX. Dies feſtus ſancti Ignatii Confeſſoris ſollemni ritu celebratus fuit in eccleſia nominis Jeſu, quæ Profeſſorum eſt. Sub ſiniſtra tranſverſæ crucis ara ſancti Ignatii corpus; ad altare majus Bellarminus Cardinalis jacet. In ipſa Patrum domo cella, quam vivens incoluit Ignatius, in oratorium converſa eſt. Vaſa ex argento, candelabra, aliaque id genus ſacra ſupellex infinita in illa eccleſia. Magnificum item eſt Patrum Collegium Romanum: cujus eccleſia, ſancti Ignatii titulo inſignis, vix ulli alteri poſt Vaticanam cedit. Hic pro teſtudine eſt pictura recens, quæ oculos mire fallit, ut ſi in apto viſionis loco conſtiteris, jurares veram eſſe, non fictam teſtudinem. R. Pater Fontana Aſſiſtens pro Gallis, & P. Semerius Remus nos amicitia, & ſæpius præſentia ſua dignati ſunt. Exigua, ſed quovis cimeliarchio pretioſior eſt ſub nomine ſancti Andreæ ſacra Novitiatus ædes in monte Quirinali, opus Equitis Bernini, celebris ſculptoris & architecti: cujus vitam illuſtris Academicus Pariſinus Petrus *de la Chambre* gallico idiomate eleganter compoſuit. Jacet in hac ædicula Palavicinus Cardinalis, inſignis ille Tridentini Concilii hiſtoriæ ſcriptor, qui & vitam Alexandri VII. ineditam latine ſcripſit.

Eadem die in quemdam novellarum ſchedularum auctorem animadverſum eſt. Presbyter ejuſdem facti reus in carcerem conjectus, poſtea Romanorum procerum interceſſione libera-

tus ſollemni more in feſto decollationis ſancti Johannis Baptiſtæ. quo die ſingulis annis reus aliquis rogatu Sodalium ſancti Johannis liberari ſolet. An. 1685. Julio.

XXXI. Cum eminentiſſimum Cardinalem Carolum Barbarinum adiiſſemus, ille poſt omnimodam humanitatem librum Synodi Sublacenſis a ſe celebratæ; itemque funebrem de Franciſco patruo ſuo orationem nobis conceſſit, fecitque poteſtatem adeundi bibliothecam ſuam. quod in ſubſequens tempus diſtulimus. Idem nos in curru ſuo ad hortos ſuos Vaticanos deduxit. Palatium, quod Præneſtinenſe appellant, Barbarino Principi, atque adeo Cardinali proprium in monte Quirinali, ſitu, elegantia, picturis, ſignis, hortis, aliiſve rebus exquiſitiſſimis inter præcipua cenſendum eſt. Platea infra palatium Delphini nomine pro felici Ludovici Magni nativitate a Barbarinis Francico regno addictis inſtructa, & ſalientibus ornata, nunc quoque Delphini vocabulum retinet.

I. Per Kalendas Auguſtales, ſollemnes ex veteri more munuſculorum in Urbe ad amicos miſſitationes fiunt, quorum etiam nec expertes fuimus. Sed parum attinet ſingula hæc commemorare. Illud potius obſervandum, quod ab homine docto accepimus: quem cum de libro Diurno Romanorum Pontificum, cujus exemplar invenire magnopere avebamus, interrogaremus, ab eo nobis reſponſum eſt, Hilarionem Rancatum Ciſtercienſem, hominem ſtudioſum & eruditum, qui Ughelli præceptor fuerat, habuiſſe antiquum ipſius libri exemplar, quod Allatius commodato cum accepiſſet, una nocte exſcripſerit, & poſtea publicare voluerit: at impreſſionem prohibitam fuiſſe. Sed tandem poſt multam inquiſitionem votis potiti ſumus, reperto veteri codice, ex quo Garneriana editio multis in locis emendari, noviſque aliquot formulis augeri poteſt. Augusto.

Ipſo die ad ſanctum Petrum in Vinculis, catenæ beati Petri de more oſtenſæ ſunt. Locus eſt in Exquiliis, antiquus Cardinalis titulus ſub nomine Eudoxiæ conditricis; atque adeo antiqua baſilica, cum columnis marmoreis, & cum multis novis paſſim ornamentis ex munificentia Alberti Cardinalis Brandeburgenſis. Hanc incolunt Canonici regulares ſancti Salvatoris. Magnificum eſt in ea ſepulcrum Julii II. ex genio Michaelis Angeli Bonarotæ partim ſculptum, cum ſtatua Moſis, quæ artis egregium ſpecimen præbet. Ibidem olim (ut cum novis an-

An. 1685. Augusto. tiqua conferamus) Arator ſubdiaconus, pontificatu Vigilii Papæ, carminum ſuorum libros duos cum ad confeſſionem beati Petri obtuliſſet, *poſtea in eccleſia beati Petri, quæ vocatur ad Vincula*, in frequenti religioſorum, clericorum & laïcorum nobilium conventu recitavit quatuor diſtinctis diebus, ſicuti vetus codicis Reginæ inſcriptio nos docet, *ut uno die medietas libri tantummodo legeretur, propter repetitiones aſſiduas, quas cum favore multiplici fieri poſtulabant. Eadem recitatio*, ſubdit inſcriptio, *facta his diebus, prima Idib. Aprilis: ſecunda* XV *Kal. Maii; tertia* VIII *Id. Maii; quarta vero* III *Kal. Junii, tertio poſt Conſ. Baſilii* V. C. *Indict.* VII.

Eodem die cum illuſtriſſ. Ciampino & Victorio Brevium ſignatore, & cum Fabretto & Scheleſtrato, per pagum Camœnarum, uno ab urbe lapide, primum ad cœmeterium Calliſti, quod alio nomine Prætextati & Lucinæ dicitur; tum ad circum aurigationum, ubi circa duas metas, quas media ſpina dividebat, concurrebant ſex ex ordine currus, ex loco duorum carcerum procedentes. Sub utraque meta eſt antrum ſeu crypta Conſi, id eſt (ut quibuſdam videtur) Neptuni, de quo Tertullianus. Obeliſcus inſignis, qui modo in platea Agonali ſeu Navoniana erectus cernitur, ex hoc circo effoſſus eſt. Non longè ab hoc circo ad viam Appiam cernitur mirandum Metellæ, Marci divitis conjugis, mauſoleum: cujus muri tanti ſunt, ut viginti pedes latitudine ſuperent. Ad viæ Appiæ duo hinc inde latera infinitæ veterum mauſoleorum reliquiæ ferme Neapolim uſque: alia pyramidum inſtar, ut Ceſtii epulonis ad portam Oſtienſem; alia ut ædiculæ, alia denique ut lapidum congeſtorum moles. Sexto ab urbe lapide Uſtrinum corporum prope Statuariam (ſic locus vocatur a recentioribus) cernitur: ubi ſpatium ampliſſimi circi, templum fere integrum, & baſilica ſeu prætorium, utrumque cum ampliſſimis feneſtris.

II. Bibliothecæ Altaempenſis libri editi magna ex parte diſtracti; manuſcripti adhuc venales ad duo millia. Codices græci bonæ notæ circiter ducenti: *Concilia, Epheſinum, Chalcedonenſe*, CP. contra Monothelitas, *Nicænum ſecundum; Gregorius Nazianzenus, Baſilius*, cujus *Liturgia* in volumine ſeu rotulo maximo perantiqua; *Chryſoſtomus, Procopius, Heronis Alexandrini ſpiritualia, Hermogenes.* Præter vetuſtos codices, alii numero centum tranſſumti ſunt ex antiquis, quos Paulus V. in Vaticanum tranſportari curavit. Cum bibliothecæ Al-

taempenſis indicem revolveremus, occurrit in illo indice *Ciceronis liber de Republica.* Ilico exſiliit animus lecto titulo præclari operis, quod jamdudum excidiſſe creditur. Sed breve gaudium fuit, cum viſo codice deſignato, advertimus hoc opus nihil aliud eſſe, quam Philippicam primam Ciceronis, quæ ab his verbis incipit, *Antequam de Republica, Patres conſcripti, dicam &c.* quæ prima verba occaſionem dederunt indicis auctori non ſatis accurato, ut *de Republica* inſcriberet orationem illam, quæ titulo in codice carebat. Exſtabat opus illud Ciceronis ad tempus Gerberti, teſtante ejus epiſtola LXXXVII ad Conſtantinum Scholaſticum Floriacenſem: cui ſuadet, ut iter ipſius comitentur Ciceronis opuſcula *de Republica & in Verrem, & quæ pro defenſione multorum plurima Romanæ eloquentiæ parens conſcripſit.*

AN. 1685. AUGUSTO.

III. Cum illuſtriſſ. Victorio inviſimus muſeum nobilis civis Romani Landi, quod primum fuit ipſius avunculi Magnini. In eo multa curioſa inſtrumenta, quibus cruciati ſunt Martyres, omne genus armorum; Beliſarii clypeus votivus ex ære, Vitigen regem ſupplicem exhibens; gemmæ, conchæ &c. quæ omnia Landus accurate depingi curavit. Varii item ibidem lapides cum inſcriptionibus, quarum una eſt de puero quinquenni immaturius exſtincto, mærentibus parentibus, qui dolorem ſuum teſtati ſunt his verbis: DIS INIQUIS, *qui rapuerunt animulam tuam &c.* Romæ in ædibus Porcariorum non ita pridem conſimilis fere, depictis duabus manibus erectis, legebatur inſcriptio.

PROCOPE. MANUS. LEBO. CONTRA.
DEUM. QUI. ME. INNOCENTEM. SUS-
TULIT. QUAE. VIXIT. ANNOS XX.
POS. PROCLUS.

De hoc more diis imprecandi iis conſueto, qui immatura morte obiiſſent, legendi Tacitus lib. II. Annalium in oratione Germanici num. LXXI. Suetonius in Tito cap. X. & Livius lib. XXV. ſic Servianus, ab Hadriano interfectus, diis imprecatur; apud Dionem in lib. LXIX. Qui religioſiores erant parentes, dicebant liberis immature exſtinctis ſe tumulum erigere *contra votum.* cujuſmodi exempla multa occurrunt in tumulis non modo ethnicorum, ſed etiam Chriſtianorum, ut via Latina in cœmeterio non ita pridem detecto, hæc inſcriptio in-

An. 1685. Augusto. venta eſt, relata in Roma ſubterranea, præfixo Chriſti monogrammate.

VAL. NICE. QE. ANN. X.
VAL. EXSYPIUS. FILIAE
CONTRA VOTUM.

Alia hujuſmodi non pauca occurrunt apud Gruterum in inſcriptionibus Chriſtianorum: ubi & parentes * *breves* ob eamdem cauſam appellantur. Mater quædam, vocabulo Claudia Agapomene, imperante Claudio, his verbis in filiorum ſuorum epitaphio uſa eſt: *Filiis ſuis infeliciſſimis, qui ætate ſua non ſunt fruniti, fecit mater ſcelerata* &c. Hoc epitaphium integrum eſt relatum a Marco Velſero in epiſtola LXXXII. ubi quæſtionem quaſi difficilem movet, cur mater hoc loco ſe *ſceleratam* dicat. Hanc autem vocem uſurpat ob ſcelus in ſe, non a ſe perpetratum in morte liberorum. Apprime ad hunc locum Ugutio apud erudítiſſimum Cangium: *Sceleratus, in quo fit ſcelus: ſceleroſus, per quem fit.*

* Gruter. M LVII num. 2.

V. Dominica, eminentiſſimi Cardinalis Pamphili ædes adivimus, eidemque obtulimus librum de Liturgia Gallicana, quem etiam quibuſdam aliis dedimus. Bibliotheca Principis, quæ Innocentii X fuit, ſervatur in ædibus Pamphilianis ad plateam Navonianam. Bibliothecæ præfectus abbas Spina liberaliter ſe gerit adverſus homines litteratos, quos ſuis officiis juvare poteſt.

IX. Cum Reginæ Chriſtinæ eumdem Liturgiæ librum obſequii & grati animi cauſa offerremus, nobis ſignificavit ſibi diſplicere, quod *Sereniſſimæ* nomine, maxime apud Gallos, afficeretur: ſe invitam in hanc querelam deſcendere, ſed coactam indignitate rei, ut omnes demum intelligant, ſuum ſibi nomen ſufficere abſque alio titulo aut elogio. Poſt aliquantam moram ſermonis & colloquii, quo nos dignata eſt, diſcedentes benigne dimiſit, oblato ſuo favore & præſidio ſuæ bibliothecæ in ſubſidium ſtudiorum noſtrorum.

In ædibus illuſtriſſimi Severoni oſtenſæ ſunt nobis bullæ tres authenticæ, quarum una erat Benedicti XII. aſſerentis præceſſorem ſuum Johannem XXII. nihil de ſtatu Piorum ante reſurrectionem diſerte ſtatuiſſe. Hæ bullæ poſtea in archivum apoſtolicum tranſlatæ ſunt. Apud Guidium ſculptorem vidimus novum atque inſigne monumentum, ad Regis honorem fabri-

cari

cari cœptum. Eſt ingens ex uno lapide marmorea moles, Famam exhibens, Regis præclaris geſtis deſcribendis, Invidia fremente ac perperam inſultante, intentam; manu ſiniſtra circularem Principis figuram oblique tenentem. Hæc figura poſita eſt ſuper librum de hiſtoria Regis, effigie Temporis librum ſuſtentante. Inter inſignia circum tropæa cernuntur antiquorum heroum imagines. Hoc monumentum Verſalias modo advectum eſſe ex aliis comperimus.

AN. 1685. AUGUSTO.

X. Die feſto ſancti Laurentii, baſilicam ejus nomine extra muros in agro Verano conſtructam, unam ex patriarchalibus eccleſiis, adivimus, ſacra ibidem celebraturi. Eodem convenerunt Ciampinus & Fabrettus, quibuſcum eccleſiæ fabricam & cetera omnia obſervavimus. Inſigne ibidem ciborium cum Confeſſione, in qua ſancti Laurentii & ſancti Juſtini martyrum reliquiæ aſſervantur. Duo item in navi ambones: unus qui ſtat ad latus epiſtolæ, pro Evangelio, tum quia ornatior eſt, tum quia adjunctam habet ex marmore columnam pro cereo. Ingreſſum eccleſiæ antiquitus ex adverſa parte fuiſſe veri ſimilia indicia ſuadent. Ad arcum, qui fornicem apſidis claudit & cingit, apparet Pelagii papæ II effigies ex muſivo, qui baſilicam poſt Conſtantinum inſtauravit auxitque. Portam majorem Honorius III conſtruxit, cujus ibidem ex muſivo effigies ante atrium cernitur. In ipſo atrio depicta eſt vita ſancti Laurentii, atque adeo baptiſmus ſancti Romani per ipſum: qui dextra Romanum nudum, utpote qui aquis immerſus erat, benedicit; ſiniſtra urceum aqua plenum ſuper ejuſdem caput effundit. Urceus iſte ex ære etiam nunc ibidem in ſacrario oſtenditur. Ergo quia caput in aquam mergi non poterat, ſuperfuſio aquæ adhibebatur, immerſio ad reliquum corpus, ut nulla pars hominis expers eſſet ſacri lavacri. In actis ſancti Gratiliani mſſ. Feliciſſima, ab ipſo Chriſtianæ religionis myſteriis imbuta, *urceum cum aqua*, ut baptizaretur, ei obtuliſſe dicitur. Hodie quoque Græci ipſi, præter trinam immerſionem, etiam aquam capitibus baptizandorum ſuperfundunt, ex antiquo haud dubie ritu. Huc ſpectat Neapolitani tumuli delineatio, quam ſuperius exhibuimus. Præterea in eodem ſancti Laurentii atrio pingitur Honorius III. Euchariſtiam ſiniſtra, dextra benedictionem impertiens Petro Comiti Autiſiodorenſi, quem in ea baſilica Imperatorem Conſtantinopoleos ex Latinis tertium coronavit, teſte Onuphrio Panvinio. Damaſus II. ex una, ex altera ingreſſus parte

An. 1685. Augusto.

Guillelmus Fliſcus cardinalis, Innocentii IV ex fratre nepos, ſepultura donati ſunt. Et Guillelmus quidem in egregio mauſoleo nobilis cujuſdam pagani, in quo repræſentatur duorum conjugum hymenæus, ſibi dextras jungentium, cum duobus pronubis, qui utrumque complectuntur. Sic profanis tumulis Chriſtiani non raro quaſi propriis uſi ſunt. Sic Innocentius II teſte Romano ſancti Petri Canonico, apud Lateranum ſepultus eſt in porphyretico Hadriani imperatoris ſepulcro, *cujus coopertorium eſt*, inquit, *in paradiſo beati Petri ſuper ſepulcrum Præfecti.*

In atrio Laurentianæ eccleſiæ auſtrali, quod clauſtro pervium eſt, exſtant veteres tumuli non pauci, in his Bonizonis abbatis è noſtris. Quippe locum monachi ante Canonicos regulares inſederunt, & quidem non ſemel. nam ſæculo decimo Cluniacenſibus ab Agapito II conceſſa eſt hæc baſilica, curante Alberico nobili Romano, ex Panvinio; & deinde illis, incertum quo caſu, amotis, Honorius denuo locum monachis noſtris, quos ex monaſterio ſancti Silveſtri in Campo Martio ſubmoverat, reſtituit, ut ex notis ad Romanum ſancti Petri Canonicum diſcimus. Sixti IV pontificatu illic perſeverabant noſtri, ut ex indice taxationum tunc facto intelligimus. Panvinius auctor eſt, Gregorium VII & Paſchalem II ex eodem loco prodiiſſe: ſed affirmare nolim. Ad baſilicæ ſeptemtrionalem partem deſcenſus eſt in proximum Cyriacæ cœmeterium.

Alia eſt (ne quid dicamus de aliis) in colle Viminali baſilica ſancti Laurentii in Paniſperna, antiquis ſancti Laurentii *in Formonſo* (ita enim ſcribebant) ubi ſanctus Martyr uſtulatus fuit. Ibidem ſepultus eſt magnus ille Guillelmus Sirletus cardinalis, cum honorifico, ut par erat, epitaphio. *Vixit annos* LXXI. *Obiit anno* MDLXXXV.

Ipſo die cum amicis luſtravimus veteres extra urbem aquæductus, qui aquas Claudiam, Martiam, Tepulam, Virginis, aliaſque in urbem ducebant: ex quibus quidam à Sixto V ſunt refecti. Id unum eſt urbis miraculum, nempe aquarum variis ex locis magno cum labore derivatarum abundantia tanta, quanta ſufficit non modo ad publicum uſum, ſed etiam ad voluptatem. adeo ut platearum fontes hortorum noſtrorum ſumtuoſos ſaltus copia, perennitate, varietate & arte ſuperent. Sed tamen quantum præſens copia deficit ab antiqua magnificentia Romanorum; quibus thermæ publicæ & naumachiæ abunde ſuppetebant, quæ recentioribus penitus deſunt. Vidit hos fontes ſeu has

formas, atque etiam naumachias Sidonius Apollinaris, profectus Romam: *cujus mihi*, inquit, *non ſolum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus*. Gregorii M. pontificatu Romanos nonnullos ſcrupulus invaſit, aſſerentes, *nullum Dominico die debere lavari*; haud dubie in publicis illis thermis. Sed ejuſmodi ſcrupulis nunc omnino ſoluti ſunt Romani.

AN. 1685. AUGUSTO.

Sidon. l. 1. ep. 5.

Non ita procul ab his aquæductibus cernitur moles ſeu mauſoleum Septimii Severi imperatoris, Septizonium appellatum; quod mauſoleum in eam altitudinem erexerat Septimius, ut in Africam navigantes (Afer quippe erat) ipſius cineres adorarent. Sixtus v. ruinæ proximum evertit, columnis aliiſque materiis ad alia opera tranſlatis, ſolo aggere ſuperſtite, in cujus inferiori parte crypta ingens cernitur ad cineres mortuorum olim reponendos. E vicino itidem ſtabat mauſoleum Helenæ Imperatricis.

XII. Dominica, ſollemni apud Maronitas Miſſæ interfuimus. In eccleſiæ majori ara eſt beatiſſimæ Virginis aſſumtæ effigies. Sacerdos ſacra celebraturus duplici manipulo utitur, uno in dextera, altero in ſiniſtra. Amictum ſuper albam gerit, ſtolam ante pectus pendulam, non decuſſatam. Diaconus ſtolam gerit ex utraque ſiniſtri humeri parte, nempe ante & retro pendentem. Poſt conſecrationem non fit elevatio, ſed ante Communionem.

Audita Miſſa, conventus à nobis illuſtriſſimus abbas Scaldratus, sereniſſimi Bavariæ Electoris in urbe Orator, multa nobis retulit de nova Benedictinorum Congregatione Bavarica ſub titulo Angeli cuſtodis, erecta procurante Principe.

Sub veſperum cum ſolitis amicis baſilicam ſanctæ Agnetis extra muros ad viam Nomentanam adivimus, ubi Canonici regulares ſancti Salvatoris loco ſanctimonialium Ordinis noſtri pridem collocati ſunt. Dormitorium vetus adhuc ſupereſt abſque diviſione cellarum, cum pictura ſeu imagine ſancti Benedicti & aliorum. Deſcenſus in baſilicam fit per gradus triginta duos. Hinc magna loco frigiditas, quæ Paulo v. ibidem ſacrum virginis corpus transferenti ac ſacra celebranti letalem morbum creavit. Ad deſcenſum inſcriptio eſt de indulgentiis loco conceſſis anno MCCLVI, tempore Luciæ Abbatiſſæ. Columnæ mamoreæ, quibus fulcita eſt concameratio, ſex & viginti. Quantivis pretii ſunt ex iaſpide quatuor illæ, quæ ciborium ſuſtinent. Honorius I. apſidem ex muſivo decoravit. Super altare majus præclara ſtatua virginis, cujus caput & bra-

An. 1685. Augusto. chia ex ære deaurato, cetera ex alabaſtro, Franciosino ſculptore. Sub altari, ſacræ virginis exuviæ ſervantur. In eadem baſilica corpus beatæ Agnetis abbatiſſæ ab anno M CC XLI requieſcit. Die feſto ſanctæ Agnetis lanam ad Pallia archiepiſcoporum conficienda, id eſt geminos agnos vivos, ibidem benedici mos eſt.

Proximum adjacet templum aliud rotundum, viginti quatuor columnis marmoreis quadruplici ordine ſuſtentatum, ornatumque opere teſſellato. In medio eſt altare, quod Alexanxander IV. anno M CC LVI conſecravit ſub invocatione ſanctæ Conſtantiæ virginis, filiæ Conſtantini imperatoris. Atticæ, Arthemiæ, & Emerentianæ virginum ibidem reliquiæ cum corpore ejuſdem Conſtantiæ reconditæ ſunt. Vas ingens porphyreticum, quod pone altare in angulo modo cernitur, olim in medio erat, continebatque corpus ſanctæ Conſtantiæ. Octo pedes longitudinis, plures altitudinis habet. In ipſo vaſe, atque in fornice ex muſivo, paſſim exhibentur genii uvas demetentes, ferentes, & calcantes. unde Bacchi ſepulturam & fanum eſſe pleriſque perſuaſum eſt. At in actis ipſius Conſtantiæ, quæ in bibliotheca Vallicellana legimus, hoc mauſoleum in Conſtantiæ honorem à Conſtantino patre ædificatum fuiſſe dicitur. In vulgata ſancti Ambroſii epiſtola XXXIV. quam Ambroſii nequaquam eſſe conſtat, Conſtantia patrem & fratres rogaſſe fertur, *ut baſilica beatæ Agnetis conſtrueretur: & ſibi illic mauſoleum collocari præcepiſſe.* In veteri tamen codice illuſtriſſimi Abbatis de Noaliis non *mauſoleum* legitur, ſed *manſionem.* Cui lectioni favet liber de vitis Pontificum in Liberio, qui *rediens de exſilio habitavit in cœmeterio ſanctæ Agnetis apud germanam Conſtantii Auguſti, ut per ejus rogatum rediret in civitatem.* Id vero intelligi nequit de Conſtantina, Hannibaliano primum, deinde poſt ejus mortem Gallo Cæſari, Juliani fratri, nupta: quæ vivente altero marito, *Bithyniæ vi febrium abſumta eſt*, teſte Ammiano Marcellino, *ſepulta in ſuburbano via Nomentanæ.* Præter hanc Conſtantini M. filiam Ammianus nullam aliam agnoſcit, quam Helenam, Juliani cæſaris uxorem, quæ juxta Conſtantinam ſororem, prope ſanctæ Agnetis tumulum humata eſt. Aſſerunt porro nonnulli, hanc ipſam, nec aliam eſſe Conſtantinam, quæ prope baſilicam ſanctæ Agnetis ſeceſſit adhuc puella, ibidemque ſepulta eſt. Certe ſancta hæc *Conſtantina* vocatur in vetuſtis codicibus; in actis perve-

Ammian. lib. 14. cap. 11. & lib. 21. cap. 1.

ſtuſtis, quæ penes nos ſunt, Johannis & Pauli, & apud Aldhelmum in carmine de Virginitate. Et ne quis mendum ſuſpicetur in aliis præter Aldhelmum, quem fortaſſe metri neceſſitas ad formandum Conſtantinæ vocabulum coëgiſſet; in acroſticho Damaſi papæ *Conſtantina* itidem effertur. Hanc virginem ac ſanctam commendat Aldhelmus; cujus teſtimonium firmat Damaſi, qui proximus illorum temporum erat, auctoritas. AN. 1685. AUGUSTO.

Conſtantina Deum venerans, Chriſtoque dicata,

ea nimirum quæ ſanctæ Agnetis baſilicam conſtruxit. quod elogium Conſtantinæ, Galli uxori, mulieri ſævæ & parum piæ, nequaquam convenit, ſed virgini, aut ſaltem Deo devotæ, ſive hæc fuerit tertia Conſtantini filia, ſive quævis alia. Itaque Conſtantiæ ſeu Conſtantinæ mauſoleum illud ipſum eſt, quod hodie conſpicitur ad baſilicam ſanctæ Agnetis: quod cum a paganis forte architectis conſtructum fuerit, aut vero a Chriſtianis neophytis; non mirum, ſi quid paganici ritus in fabricæ ornamentum admiſerint. *V. Bolland. ad 18. Febr.*

Prope adeſt cœmeterium ſanctæ Agnetis nuncupatum, & hippodromi veſtigia cernuntur: cujus delineationem apud illuſtriſſ. Commendatorem Carolum a Puteo vidimus. Non dubium quin e vicino fuerit aliquod palatium. Certe Prudentius locat *Agnæ ſepulcrum Romulea in domo*.

Alia eſt ſanctæ Agnetis præclara baſilica in platea Agonali, ſeu Navoniana, eo videlicet in loco, ubi ejus pudicitia tentata eſt a paganis. Novum opus, figuræ ovalis, cujus partes interiores ex marmore & ex ære conſtant. Picturæ induſtriam artificis mire exornant. Inſigne ſane virginalis pudicitiæ monumentum.

XV. In feſto aſſumtæ Virginis Miſſa ſollemnis in Collegio Græcorum ab Archiepiſcopo ejuſdem nationis celebrata eſt. Is pro alba linea veſtem ex panno pretioſo habebat, planetam antiquo ritu. Nullus ſacerdoti manipulus, neque etiam diacono aut ſubdiacono: qui ambo ſtolam ex humero ſiniſtro utrimque pendentem geſtant, ſed ita ut anteriorem partem manu dextra excipiant. Communicat uterque cum calice, ut ſacerdos: laici Euchariſtiam ex calice de manu ſacerdotis cum cochleari ſtantes accipiunt ad portam mediam, qua in Sancta aditus eſt. Sunt & aliæ duæ utrimque portæ. Panis benedictus adſtantibus ab Epiſcopo poſt Miſſam ſedente ad eamdem portam diſtribuitur. Lituus paſtoralis ex argento, non recurvus, ſed inſtar fulcri ſubalaris: mitra rotunda deaurata eſt. Græci om-

An. 1685. Augusto. nes ſignum crucis a dextra in ſiniſtram in corpore exprimunt.

XVI. Cum Ciampino, Fabretto, & Scheleſtrato, Fidenarum urbis antiquæ, quinto ab urbe milliario, rudera luſtravimus, tranſito ponte Narſis ſupra * Anionem, ubi inſcriptio antiqua Juſtiniani annos XXXVIIII. præfert, non XXXVIII. ut apud Gruterum. Fidenarum civitas, modo penitus everſa, Tiberi ad ſiniſtram incumbens, medio Tiberi ſejuncta erat a Rubrica, quæ itidem deleta eſt. Ad Rubricam Cremera in Tiberim influit. Seſquimilliari a Fidenis ſtabat olim Cruſtumium, ubi reliquiæ templi etiam nunc conſpiciuntur. Inter Fidenas & Cruſtumium in quadam ſpelunca Neronem delituiſſe quidam falſo exiſtimant. quod Gebbetius poëta neſcio quis epigrammate appoſito affirmavit. Hic recordari ſubit Maximi martyris, qui, ut acta mſſ. teſtantur, prope Fidenas arenis effodiendis adhibitus, demum conſummato martyrio ſepultus in arenario eſt, ubi arenam effodere ſolebat.

* Tevero.

XIX. Dominica apud Oblatas ſanctæ Franciſcæ ad Turrem de Speculis, prope Capitolium, ſacra fecimus. Ibi monachæ ad centum, omnes nobiles, pie vivunt ex præſcripto Regulæ ſancti Benedicti. Laneis interulis utuntur: eis foras exire ob graves cauſas licet. Nullus ſæcularium in earum eccleſiam admittitur, tametſi non difficilis acceſſus in interiora monaſterii. Sanctæ Franciſcæ veſtes, librum, cilicium, & alia id genus oſtendunt. Corpus ejus ad ſanctam Mariam Novam: ubi Oblatæ illæ profeſſionem faciunt, & poſt mortem ſepeliuntur a Patribus Olivetanis.

XXIV. In eccleſia ſancti Ludovici, nationis Gallicanæ, habita eſt capella (ut vocant) Cardinalitia, cui excellentiſſimus Regis Orator cum Cardinale fratre interfuit. Hanc eccleſiam regunt ſacerdotes Galli cum aliquot Oratorii Patribus, quorum magna in nos benevolentia fuit; atque adhærentis xenodochii curam habent, in quo Galli peregrini recreantur. Pendebat a monaſterio Farfenſi hæc eccleſia ſub titulo ſanctæ Mariæ ante annum MCCCCLXXVIII. quo anno commutata eſt cum Oratorio ſancti Ludovici, ſito prope Turrim argenteam.

XXV. Dominica die feſto ſancti Bartholomæi, ejus eccleſiam inviſimus, in Inſula Lycaonia (quæ modo ſancti Bartholomæi dicitur) ſitam, ubi corpus Apoſtoli ſub majori altari, & cacabus, in quo recepta ejus cutis, aſſervantur. Ipſo die nomina eorum, qui Paſchali communioni non fecerunt ſatis, quot-

annis in tabella deſcribi ſolent, atque in ejuſdem eccleſiæ atrio exponi, ut pro nominatim excommunicatis habeantur. Novem (ſi bene memini) hoc anno ex nomine deſignati erant. Ibidem ad ingreſſum cœnobii Franciſcanorum habetur lapis cum inſcriptione, *Semoni Sanco Deo Fidio ſacrum &c.* Conſimilis habetur apud Fulvium Urſinum. Sangi ſacellum erat verſus ædem Quirini, teſte Livio.

A N. 1685. Augusto.

XXX. Caput ſancti Johannis Baptiſtæ in eccleſia ſancti Silveſtri in Campo Martio, atque Chriſti Domini imaginem telæ impreſſam, quam Abagaro miſſam ferunt, favente eminentiſſimo Cardinale Carpineo conſpeximus. Hæc eccleſia primum fuit monachorum Græcorum, qui has reliquias ex Græcia Romam detulerunt: deinde Benedictinorum, qui poſtea ad ſanctum Laurentium extra muros tranſlati, Clariſſis demum locum fecerunt. Ibi ſancti Johannis caput ſacrum a fronte ad labrum ſuperius abſque mento. Reclamat præ aliis Ambianenſis eccleſia. qua de re eximius Cangius eruditam diſſertationem edidit.

II. Dominica, ſollemnibus ſacris gratiarum actiones Deo actæ ſunt præſente Pontifice, ob expugnatas urbes Neuhauſelium * in Hungaria, & Coronem in Peloponneſo: eamdemque ob cauſam feſtivi hac ipſa die & ſequenti ignes per Urbem excitati ſunt.

Septem.

* *La Morée.*

VIII. Natali beatiſſimæ Virginis illuſtriſſimus Ciampinus nos cum multis amicis ſuis & patre Cupleto Soc. Jeſu, qui nuper e Sina Romam advenerat, in villam ſuam prope * Tuſculum deduxit, & honorifice excepit. Idem dies in proximo Cryptæ-ferratæ monaſterio feſtivus erat, frequenſque hominum eo concurſus. Vetus eſt monaſterium duodecimo ab Urbe milliari, ubi monachi, Itali aut Calabri, regulam ſancti Baſilii ſectantur. Miſſam græce celebrant, ſed Romano ritui prorſus accomodatam. Feſti occaſio in cauſa fuit, ut reliquias librorum videre non potuerimus. Verum Ambroſius Camaldulenſis, qui ejuſdem rei cauſa olim eo ſe contulerat, nihil reperit præter ruinas *ingentes parietum & morum, libroſque ferme putres atque conſciſſos, nihilque fere præter notiſſima offendit.* Supereſt hactenus ibidem unum volumen Menologii Græcorum, tempore ac juſſu Baſilii Imperatoris ſcriptum, quod eruditus Papebrochius nuper edidit. Ceterum quod attinet ad monaſterium, Pius v illud reſtituit, muriſque vallavit.

* *Freſcati*

Papebroc. to. 1. Apr. ſub finem.

IX. Dominica ſub veſperum ad Vaticanam baſilicam pro-

An. 1685. Septemb. fecti, ſpectavimus proceſſionem novorum ad Fidem catholicam converſorum, præeuntibus Crucis ſodalibus nobilibus Romanis cum baculo argenteo in crucem deſinente, ſubſequentibus duobus Cardinalibus, Chigio & Hovvarto. Converſi omnium extremi ex ædibus, quas cardinalis Raſponus eis primum conſtruxit, ducebantur ad illas, quas cardinalis Gaſtaldus recens teſtamento reliquit, id eſt ad ipſummet Cardinalis palatium. In baſilica ſancti Petri frequenti populo noviſque converſis e ſublimi loco ſpectandæ exhibitæ ſunt lancea, crux, & imago Chriſti Domini, & caput ſancti Andreæ: quæ in quatuor paraſtatis baſilicæ Vaticanæ tholum fulcientibus cuſtodiuntur. Hæc Chriſti imago a recentioribus VERONICÆ dicitur: imaginem ipſam VERONICAM veteres appellabant. Petrus Mallius in libro inedito de baſilica ſancti Petri ad Alexandrum III, & poſt eum Romanus ſancti Petri ante annos quingentos canonicus, *Sudarium Chriſti quod vocatur* VERONICA. & in cap. XXV. *Oratorium ſanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ, quod vocatur* VERONICA, *ubi ſine dubio eſt Sudarium Chriſti, in quo ante paſſionem ſuam ſanctiſſimam faciem, ut a noſtris majoribus accepimus, exterſit, quando ſudor ejus factus eſt ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Id factum in horto, ubi Chriſtus extremum illum agonem paſſus eſt, ſemotis omnibus arbitris, ipſiſque tribus quos ſecum duxerat diſcipulis. Petrus diaconus monachus Caſinenſis in libro mſ. de Locis ſanctis, de prædicto Chriſti ſudario ad eumdem fere modum ita ſcribit. *Sudarium vero cum quo Chriſtus faciem ſuam exterſit, quod ab aliis* VERONICA *dicitur, tempore Tiberii Cæſaris Romam delatum eſt.* Ecce iterum ſudarium *Veronica* dictum ante annos quingentos. Sed longe poſt eos Auguſtinus Patricius in deſcriptione adventus Friderici III in Urbem, tempore Pauli II. ait Pontificem cum Imperatore acceſſiſſe *ad Salvatoris noſtri faciem adorandam, in Sudario expreſſam, quam* VERONICAM *appellant.* Alio feruntur Onuphrius & alii recentiores, opinantes eſſe ſudarium quod vocatur *Veronicæ*, id eſt cujuſdam pientiſſimæ, ut putant feminæ, quæ ante paſſionem Chriſti faciem ejus extergens, in ſudariolo faciem impreſſam ſuſceperit. Memoratu dignum eſt id, quod de hac imagine ſcribit Jacobus de Trecis, tunc archidiaconus Laudunenſis, atque Innocentii IV capellanus, poſtmodum Urbanus IV, in epiſtola, quam ad Abbatiſſam & ſanctimoniales Ciſtercienſis conventus Monaſterioli

Romanus pag. 97.

rioli ſeu Monſtrolii ad radices montis Laudunenſis ſcribit. Hæ quippe ab eo ſtudioſe petierant, ut ſibi depingi curaret *faciem & figuram noſtri Salvatoris* ſecundum illam, *quam in noſtra*, inquit, *habemus cuſtodia*. Piis earum votis obſecutus Jacobus, optatam mittit imaginem, rogans obnixe, ut propter reverentiam illius quem repræſentat, recipiant eam *ut ſanctam Veronicam, ſeu veram ipſius imaginem & ſimilitudinem. Actum Romæ anno milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono.* Ex his intelligitur, Veronicæ vocabulum eſſe imaginis, non mulieris, tracto inde etymo, quaſi diceretur *vera icon* ſeu *iconia*, & contractis in unum vocabulum litteris, *Veronica*. Si tamen Veronicæ nomen primum mulieri, & ab hac imagini tributum præfracte velint alii, per nos licet. nam hic narrantis officium, non diſceptantis ſuſcepimus. Servatur ad hunc uſque diem apud Monſtrolienſes virgines eadem imago, magnoque Fidelium concurſu frequentatur. Caput eſt radiatum cum barba oblonga & bifurca; oculi graves, nec ſine majeſtate. In infima tabellæ parte appoſita eſt inſcriptio cum characteribus nobis incognitis: quorum ſex primi nonnihil ſuſpicionis primo conſpectu injiciunt, ne *Abraſax* deſignetur: quo nomine ſignificantur amuleta, quibus Baſilidiani hæretici utebantur. Verum præterquam quod tabella collo appendi non poteſt; certe quo minus hæc imago ſacra ſit, dubitare non ſinit venerandum JESU-CHRISTI nomen, hinc inde in ſuperiori imaginis parte expreſſum compendioſis litteris græcis, ut patet ex typo ſequenti, cujus reliquam inſcriptionem aliis divinandam relinquimus.

An. 1685. Septemb.



AN. 1685. SEPTEMB.

XIII. Eminentiſſimus Cardinalis Caſanata nomine ſacræ Indicis Congregationis ad me tranſmiſit Iſaaci Voſſii libros duos de ætate mundi & de diluvio univerſali, ut ad purpuratos Patres referrem quid de his libris ſentirem. Hic venit in mentem Ciceronis ad Trebatium, *ſe malle a Cæſare conſuli, quam inaurari.* Quamquam hæc ſacræ Congregationis potius dignatio, quam conſultatio cenſenda eſt.

XIV. Poſt prandium apud excellentiſſimum Regis Oratorem, illuſtriſſimus abbas Gevreus, pro inſigni, qua præditus eſt, modeſtia, ingenio & doctrina Romanis proceribus acceptiſſimus, nos ad hortos Matthæianos ſecum duxit, multaque alia ſubinde humanitatis officia nobis exhibuit. In iſtis hortis multæ inſcriptiones, lacrymatoria, plurima item ſigna: in his ſtatua mulieris ſacrificæ cum ſtola & aqua luſtrica. Inſcriptiones duæ, præter annos & menſes, etiam horas vitæ notant: cujus rei quædam alibi exempla occurrunt, ut in epitaphio Sixti IV. Baſilica ſancti Thomæ in Lauro ex profano templo, & eccleſia beatæ Mariæ de Navicella ſeu in Dominica his hortis adjunctæ ſunt.

XXI. Cœmeterium Cyriacæ, adjunctum baſilicæ ſancti Laurentii extra muros, cum Scheleſtrato perluſtravimus. Difficiles illuc aditus: cryptæ humiles, areniſque delapſis fere oppletæ; loculi vacui: ſed locus veneratione plenus, maxime ob ſepulcrum ſancti Hyppoliti, qui in eo cœmeterio ſepultus eſt cum aliis multis. Loculi in hoc aliiſque cœmeteriis; alii majores, alii minores. Majores plerique corpora mediocria fuiſſe arguunt, non qualia ſanctorum Gervaſii & Protaſii deſcribit ſanctus Ambroſius, id eſt *miræ magnitudinis.* Inde per eccleſiam Lateranenſem reverſi ad ſanctos Petrum & Marcellinum, ac demum ad ſanctum Matthæum in Exquilino, quæ eccleſia eſt Auguſtinianorum, ipſo die ejus feſto.

Ambroſ epiſt. 56. ad Marcellin.

XXVI. Septem eccleſiarum iter devotionis cauſa confecimus, addita octava ſancti Anaſtaſii ad tres fontes, de qua alias. Una ex his, quam nondum videramus, eccleſia eſt ſancti Sebaſtiani, ubi Petri & Pauli apoſtolorum corpora aliquamdiu ſepulta jacuerunt, videlicet ad *Catacumbas*, mendosè *Catatumbas.* Si nominis notationem ſpectes, quoſvis ſubterraneos receſſus ſeu quaſvis cryptas ſignificat: ſi veterem uſum, certum eſt hoc vocabulo peculiarem illum locum, ubi aliquamdiu jacuerunt Petrus & Paulus apoſtoli, deſignari, quaſi diceretur

ad cryptas. nam *cumbæ* vocabulum valles & depreſſa loca ſignificat. Hunc locum omnes ſtatuunt ſecundo aut tertio ab urbe milliario ad viam Ardeatinam. Petrus Mallius, qui tempore Alexandri III. ſcribebat, cœmeteria urbis recenſens, non vocat ea *catacumbas;* immo cœmeterium Calliſti, ſancti Sebaſtiani baſilicæ adjunctum, locat juxta *Catacumbas:* at Catacumbas inter cœmeteria non numerat. Apud antiquos auctores *cœmeteria, cryptæ* dicebantur: *Catacumbæ* ſolus ille locus, ubi Apoſtolorum ſepultura fuerat. Eſt formæ pæne circularis, in cujus ambitu tredecim exſtant ſepulcra, & ſedes marmoreæ: quarum una, tantiſper elaboratior, Pontificis fuiſſe dicitur, cum illic Chriſtianorum conventus tempore perſecutionum fiebant. In medio exſtat altare, ſub quo quadratus eſt ſcrobs inſtar putei, ubi corpora Apoſtolorum aliquanto tempore jacuerunt, *in loco qui dicitur ad Catacumbas*, inquit Gregorius M. in epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam, & quidem *ſecundo ab Urbe milliario.* Damaſus Papa locum ornavit marmore, (quod opus *platoniam* Anaſtaſius appellat) & verſibus. Catacumbis proximum eſt ad viam Appiam Calliſti cœmeterium, ubi ſancta Cæcilia cum multis aliis primitus ſepulta fuit. Viſitur etiam nunc ibidem inſcriptio, quam Guillelmus archiepiſcopus Bituricenſis anno MCCCCIX incidi curavit eo in loco, ubi ſanctæ Cæciliæ corpus jacuit. Hæc loca ſanctus Hieronymus, dum juvenis Romæ litteris operam daret, religionis cauſa diebus Dominicis frequentare ſolebat, uti teſtatur ejus commentarius in Ezechielem. In eccleſia ſancti Sebaſtiani ſepultus eſt loci abbas Johannes *Bodier*, Cenomanus, philoſophus & medicus: cujus opera Julius II. utebatur. Ibidem nunc degunt Patres Fulienſes perpauci.

AN. 1865. SEPTEMB.

Greg. l. 3. ep. 30.

Altera eccleſia, nobis ad id tempus non viſa, eſt baſilica ſanctæ Crucis, a Conſtantino conſtructa in palatio Seſſoriano. Duæ alæ, navim hinc inde fulcientes, cum duodenis utrimque columnis, alias duas primitus adjunctas habebant, ut reliquiæ in horto exſtantes probant: eo modo quo baſilica Lateranenſis & ſancti Pauli. Baſilicæ dicebantur apud Romanos ejuſmodi eccleſiæ cum oblongis porticibus; templa vero quæ Gentilium more rotundo opere, quadrato, octogonali, aliave ſimili figura conſtructa erant. Teſtudo baſilicæ ſanctæ Crucis variis ornata eſt picturis, & ſub ea elegans ciborium. Pone altare ad parietem, abſque ara ſuppoſita, ſervatur ſanctiſſima Euchariſtia in patente

An. 1685. Septemb. vaſe, adjectis loco ornamentis: quod opus Franciſcus Quignonius, tit. ſanctæ Crucis cardinalis, *ſanctiſſimo Chriſti Corpori* dicavit anno M. DXXXVII. Subtus apſidem eſt crypta, ubi celebris eſt capella dicta Jeruſalem, in quam feminis nonniſi ſemel in anno ingreſſus conceditur, viris eo die excluſis. In eadem crypta extra hanc capellam lapidi inſculpta legitur antiqua inſcriptio HELENÆ PIISSIMÆ AUGUSTÆ, ab aliis relata: quam *Julius Maximilianus Comes* Helenæ dicavit. Ibidem ſepultus eſt cum inſigni elogio Hilarion Rancatus Mediolanenſis, monachus Ciſtercienſis, pietate, doctrina, & linguarum peritia celebris; ſui Ordinis, dum viveret, Procurator ac Præſes in Italia generalis; in recognitione librorum Syriacorum, verſione arabica bibliorum, explicatione controverſiarum fidei, quinque ſummis Pontificibus Paulo V. & ſubſequentibus eximie probatus: qui vixit annos LXIX. obiitque die XII Aprilis, anno M DC LXIII. Sed id præcipue ad ejus laudem vertit, quod varios codices, ex Italiæ monaſteriis conquiſitos, ſtudioſe collegit: ex quibus nos ipſi non parum profecimus. Ex hac bibliotheca, eruta eſt præclara illa ſancti Auguſtini epiſtola ad Alypium, quæ eſt in nova editione XXIX. & aliquot novi ſermones. Ciſtercienſes hodie quoque incolunt hunc locum, quem Leo Papa IX. Caſinatibus quondam monachis, (ut in primariis apud Caſinum litteris legimus) Alexander II. Canonicis regularibus ſancti Fridiani conceſſit, monachis ad ſanctum Sebaſtianum in Pallara tranſlatis. Urbanus V. Cartuſianis attribuit: ac demum Sixtus V. Cartuſianis ad Thermas Diocletiani poſitis, Ciſtercienſes eo loci collocavit, accitos ex monaſterio ſancti Sabæ, quod ſancti Apollinaris ſeminarii alumnis traditum fuit. Sic omnium rerum viciſſitudo eſt. In hortis monaſterii ſuperſtant reliquiæ duorum fanorum, Veneris ſcilicet atque Cupidinis: nec longe inde aberat Tauri Statilii amphitheatrum.

XXVII. Joſephus Thomaſius, clericus regularis ex Ordine Theatinorum, amicus noſter in primis, modeſtia & pietate non minus, quam doctrina & ſcriptis commendandus, collectanea de ritibus ſacris quam plurima habet, quorum ultro nobis copiam fecit, ſolo animo promovendi ſtudium rerum ſacrarum, quibus totus incenſus eſt. Præter vulgatos ab ſe libros Liturgiarum veterum, & Pſalterium; tunc edendis vetuſtis Reſponſorialibus & Antiphonariis dabat operam. Moratur in ædi-

bus ſancti Silveſtri in monte Quirinali, ubi olim thermæ Conſtantini erant. Illic ſepultura conceſſa eſt *Joanni Jacobo Pancirolo Cardinali, viro ſuo nomine celebri, cui ſi aliquid addas, demis*, uti epitaphium habet.

XXVIII. Bibliotheca Angelica Patrum Auguſtinianorum, quæ in uſum publicum omnibus patet, nobis etiam nullo negotio reſerata eſt, favente humaniſſimo patre Joſepho Sabbatino, Bibliothecario & Generalis Aſſiſtente. Hanc Angelus Rocca Camers, epiſcopus olim Tagaſtenſis, ejuſdem Ordinis alumnus, & apoſtolici Sacrarii præfectus, omni artium & ſcien- "
tiarum genere refertiſſimam, virorum item illuſtrium iconibus "
ad vivum expreſſis ornatam, longo temporum ſpatio, magno- "
que labore ac ſumtu comparatam, cœnobio ſancti Auguſtini "
Urbis, ſtudioſorumque omnium commoditati dedit, dicavit, "
donavitque, ut animi grati pietatem (verba inſcriptionis refe- "
rimus) erga familiam Auguſtinianam, parentem & altricem "
ſuam, & erga litteratos litteratorumque amatores propenſio- "
nem vivis poſteriſque patefaceret anno ſalutis M. DC. V. "
Laurentius Pignorius in epiſtola XL ad ipſum, hanc bibliothecam mirifice laudat, aitque refertam eſſe libris *ad miraculum optimis*. Lucas Holſtenius libros ſuos editos complures huic bibliothecæ aſſignavit: qui tamen in eccleſia beatæ Mariæ de Anima, nationis Germanicæ, ſepulturæ ſibi locum elegit. Inter manu exaratos codices unus ſancti Leonis opera continens; alter Antiphonale Gregorianum, melioris ſunt notæ inter veteres: inter recentiores omnia acta autographa congregationis *de Auxiliis* ſub Clemente VIII & Paulo V. In antiphonali Gregoriano ante annos ſexcentos ſcripto notatur, *Dominica I de Adventu Domini, ſtatio ad ſanctum Andream apoſtolum poſt Præſepe*, Ad hunc locum Angelus Rocca ſequentem obſervationem adhibuit, *re diligenter inſpecta*, anno M DC I. *Hæc ædicula, ſancto Andreæ apoſtolo olim dicata, hodie intra eccleſiæ ſancti Antonii atrium, prope ſanctæ Mariæ Majoris baſilicam profanata cernitur, & in hominum uſum converſa.* Idem ſubdit, *Exſtat etiam dicto in loco profanata apſis illa vel tribuna ædiculæ antiquæ, in qua imagines, opere muſivo olim factæ, nunc ſemidirutæ vel collapſæ cernuntur. Nunc verò ſtatio Dominica I. Adventus eſt in eccleſia ſanctæ Mariæ-majoris.* Ita ille. Jam verò nihil penitus ſupereſt ex illo muſivo, parietibus interclusis, etiam gypſo & calce oblitis.

Quod attinet ad acta *de Auxiliis*, omnibus adfuit præter A-

AN. 1685. SEPTEMB.

naſtaſium abbatem Farfenſem Congregationis ſecretarium, Jacobus *le Boſſu*, ſancti Dionyſii in agro Pariſienſi monachus; diſtinguendus ab alio cognomine ejuſdem loci tertio Priore, qui obiit anno M D LXX, teſtante epitaphio, ſepultus in clauſtro Dionyſiano ex parte eccleſiæ. Alter vero, de quo hic agimus, poſterior, Romæ diem ſupremum abſolvit, ibidemque in eccleſia Patrum Minimorum Gallorum, ſcilicet ſanctæ Trinitatis in monte Pincio, extra cancellos majoris altaris ſepulturam habet cum epitaphio ſequenti.

D. O. M.

HIC JACET FRATER JACOBUS LE BOSSU, *origine Pariſinus, Religioſus ſancti Benedicti ex cœnobio ſancti Dionyſii in Francia, dignitate Sacerdos, gradu Doctor Sorbonæ, omnibus Pontificibus, ſub quibus Romæ degit, carus, ſed præſertim Clementi* VIII. *& Paulo* V. *propter munus Conſultoris ab eis illi impoſitum in illa venerabili congregatione, quæ de Auxiliis dicta eſt. Vixit an.* LXXX. *menſ.* IV. *dies* XII. *Obiit* VII *Id. Junii anno Domini* M DC XXVI.

Prope eum ſepulti ſunt Antonius Muretus Lemovix, mortuus anno M D LXXXV. ætatis anno LIX. Item Ludovicus *de Creil* Pariſienſis, Preſbyter & Theologus, a ſchola Sorbonæ ad Sedem apoſtolicam pro eadem congregatione delegatus: qui anno M DC XVII prid. Id. Septembris e vivis exceſſit.

Eodem die bibliothecam Chigianam permiſſu & favore eminentiſſimi Cardinalis perluſtrare cœpimus. Huic præfectus eſt optimus Thomas de Juliis, Lucæ Holſtenii quondam familiaris. In ea ſunt codices mſſ. haud pauci; plerique Alexandri VII. manu & obſervationibus illuſtrati: varia item authentica inſtrumenta, in unum corpus ab eodem collecta (quod inſignem Pontificis diligentiam atque in litteras amorem arguit: Diarium autographum Sixti V. de rebus ante pontificatum a ſe geſtis: multa item ad recentiorem hiſtoriam, præſertim Janſenianam. Omnibus præſtat codex græcus inſignis, ab annis minimum octingentis ſcriptus, continens quatuor Prophetas majores; item breve commentarium in ſomnium Nabuchodo-

noſoris a ſancto Hyppolito martyre & epiſcopo compoſitum, cujus meminit Euſebius, & poſt eum Hieronymus, aliique. Hic codex videtur ex ipſiſmet Origenis hexaplis excerptus, uti diſertè legitur fol. 130. recto, item fol. 135. 167. & fol. 315. verſo, ut Holſtenius, qui codicem viderat & fere integrum deſcripſerat, obſervavit. Appoſiti ſunt paſſim aſteriſci & obeli. Huic ſimilis eſt alter codex in bibliotheca Vaticana. Denique in fine Iſaïæ apponuntur quidam numeri, quibus tempus ſeu annum ſcripti codicis deſignari quidam ab Alexandro VII. conſulti exiſtimarunt. At numerum verſuum his notis ſignificari non dubitamus. Η С Α ΙΑС ΣΤΙ. Τ. Ω Κ, id eſt, Iſaïæ στίχοι ſeu verſus tria millia octingenti ac viginti. Codex latinus unus e multis, continet *acta Concilii Chalcedonenſis*, quæ Ruſticus ex latinis & græcis exemplaribus Acœmetarum præſertim monaſterii emendavit. Poſt ſeſſiones *Allocutio Concilii* incipiens ab his verbis: *Habita apud Marcianum Imperatorem &c.* In alio codice Concilium Romanum ſub Martino; item Concilium ſextum univerſale.

Ex libris editis præclara ſunt *Biblia polyglotta*, Pariſienſibus typis ante annos quadraginta expenſis Jaïanis impreſſa, & pretioſo operta corio: quibus Alexandro VII fucum facere tentarunt Hollandici typographi tres, Joannes Janſſonius à *Vvaesberge*, Johannes Jacobi *Chipper*, & Elizeus *Vveirstraet*. Hi cum anno M DC LXVI Romam librorum venalium cauſa adventaſſent, primum horum librorum folium, quod titulum operis continet, cum anno & loco impreſſionis, novis typis recudi curarunt, adjecta epiſtola nuncupatoria ad Alexandrum VII. in cujus gratiam hanc editionem primo factam fuiſſe videri voluerunt. Specimen ita habet: BIBLIA ALEXANDRINA HEPTAGLOTTA *auſpiciis* S. D. *Alexandri* VII *anno ſeſſionis ejus* XII. *feliciter inchoato. Lutetiæ Pariſiorum. Proſtant apud Johannem Janſſonium à Vvaesberge, Johannem Jacobi Chipper, Elizeum Vveirſtraet* M DC LXVI. Sic titulus: præfatio ſeu epiſtola hoc modo exordium habet.

ALEXANDRO VII. *divina providentia Pontifici maximo felicitatem & longævitatem.*

Ab ultimis Belgarum, Urbem dominam, ſedem veſtram, Romam divinarum litterarum ſarcina inſtructi magis quam onuſti, multiplice Sanctitatis veſtræ illicio, ceu potentiore quodam magnete, fortiter ſuaviterque protracti, anhelis, non tam fatigatione quam exultatione

An. 1685. Septemb. *animis paſſibuſque ſubintramus, deſideratiſſime terris & nobis Pontifex maxime: quo ut votorum noſtrorum vehiculo ſubvecti feliciter devenimus, non in primis urbis ſanctæ portis moramur, aut palatiorum promiſcuè ſtatim obviorum magnopere miramur auguſta: alius ardor, alia quam curioſitatis cura nos angit. Alexandrum, Alexandrum inclamamus: rectaque ad Vaticanum, viæ noſtræ finem, greſſu intento, dona quæ ſeptemplex ſacræ Scripturæ facies facit, deferimus* &c. Sic fumos, immo libros ſuos venditabant boni illi palpatores: ſed non diu doli ſui uſura penes eos ſtetit.

Quæ ex illa Chigiana bibliotheca excerpſimus, non eſt neceſſarium ſingulatim exponere. Tantum de Alfonſi Ciaconii epiſtolis, quas inde habuimus, quædam obſervare juvat. Ex his epiſtolis intelligitur, Alfonſum Dominicanum, qui Petri doctiſſimi germanus erat, opera duo molitum fuiſſe: unum de Antiquitatibus Romanis, cum variis figuris: alterum de bibliotheca Scriptorum eccleſiaſticorum. Ideam hujuſce operis habemus ſub titulo ſequenti. BIBLIOTHECA A PLURIMIS ANTEA AUCTORIBUS DISPERSIM INSTITUTA ET COLLECTA, *deinde ab aliquot in epitomen redacta: jam vero poſtremo recognita, novorum librorum acceſſione locupletata, & ab hæreticorum monumentis purgata, & in duplum poſt priores editiones aucta per F. Alfonſum Ciaconum Hiſpanum Biacenſem, Doctorem theologum Ord. Prædic. & Romani Pontificis pœnitentiarium.* Scribit hac de re ad Guillelmum Sirletum Cardinalem, qui aliquos obices ſeu ſcrupulos prædictæ Bibliothecæ objectos, qui illius reviſionem & probationem retardarent, per Petrum Ciaconium Alfonſo ſignificaverat. Unus erat, quod ex Conradi Geſneri Bibliotheca multa ad verbum in ſuam tranſtuliſſet. Alterum, quod Rabbinorum libros inter ceterorum auctorum opera recenſuiſſet. Ad hæc reſpondet Alfonſus: ſed quod ſperabat, a cenſoribus non impetravit, ut ſcilicet ſua Bibliotheca imprimeretur.

XXIX. Cum illuſtriſſ. Archiepiſcopo Roſſanenſi & Ciampino ad eccleſiam ſancti Michaëlis, cujus ipſo die feſtum erat, Vaticano proximam, profecti, legimus inſcriptionem lapidi inciſam de illius eccleſiæ conditione, quæ Leoni IV (immo tertio) & Carolo Magno tribuitur, nempe occaſione quorumdam Gallorum, qui in bello pro eccleſia Romana ſuſcepto mortui, *in crypta juxta Neronis palatium ſepulti ſunt:* ob idque ad honorem ſancti Michaëlis ſuper illos facta eſt eccleſia, quæ

poſtea

poſtea ſancti Magni reliquias, ex urbe Fundis allatas, ſuſcepit. AN. 1685. SEPTEMB.
Cum varia inter nos, ut fit, colloquia miſceremus, Archiepiſcopus narravit modum, quo oſſa Mathildis Comitiſſæ, quæ tempore Gregorii VII vixit, ex Mantuano ſancti Benedicti monaſterio in Vaticanam baſilicam, poſtulante Ubano VIII tranſlata ſunt anno M DC XXXV. rem clam exſeqente Hyppolito abbate, efflagitatu Dominici Pinelli procuratoris generalis e Congregatione Caſinenſi.

XXX. Dominica, die feſto ſancti Hieronymi, ad baſilicam ſanctæ Anaſtaſiæ cum Fabretto ejus loci canonico profecti, vidimus calicem, quo ſanctus Hieronymus in re ſacra uſus fuiſſe dicitur. Conſtat ex terra figulina alba, ſed fractus, in morem calicis uſualis ad potandum. Hieronymus an rem ſacram fecerit umquam, non leve dubium eſt.

I. Primi hujuſce menſis dies luſtrandis variis Urbis bibliothecis impenſi, dum interim iter Neapolin paramus. In codice Reginæ epigrammata Silvii Picolominei evolventi, unum occurrit ad Bartholomæum Roverellam, in quo de Romanis conqueritur, quod ex vetuſtis monuments & marmoribus calcem tunc conflarent. OCTOBRIS.

Oblectat me, Roma, tuas ſpectare ruinas,
Ex cujus lapſu gloria priſca patet
Sed tuus hic populus muris defoſſa vetuſtis,
Calcis in obſequium marmora dura coquit.
Impia ter centum ſi ſic gens egeris anos,
Nullum hinc indicium nobilitatis erit.

Eadem eſt querela Poggii, qui inſigne illud amphitheatrum, Veſpaſiani opus, *Coliſæum* vulgo appellatum, majori ex parte ad calcem deletum fuiſſe aſſerit. Idem refert de porticu ædis Concordiæ, quam cum primum, inquit, ad Urbem acceſſi, vidi ferme integram, opere marmoreo admodum ſpecioſo. Romani poſtmodum ad calcem ædem totam & porticus partem, diſjectis columnis, ſunt demoliti. Sed nullam majorem ruinam paſſa eſt Roma, quam in receſſu Pontificum Avenione: quo tempore cuique in vetera quæque ædificia impune graſſari licebat. Urbis ſtatum, qualis in reditu Pontificum erat, Ambroſius Camaldulenſis in epiſtolis ſuis deſcribit. Et tamen quam maxime attinet ad Romanos, ſi modo Urbem ſuam amant, ejus decora ſervare: quam tantam fuiſſe etiam relicta poſt tot clades monumenta probant, quantam nec quis cogitatione

An. 1685 Octobri. aſſequi, ipſa urbe non viſa, poteſt. Sane Manuel Chryſoloras, priuſquam Romam vidiſſet, multa ab hiſtoricis dicta ſupra quam verum aut cuiquam credibile eſſet, exiſtimabat, uti ipſe in Comparatione Romæ & Conſtantinopolis aſſerit. Sed „ Roma conſpecta & inſpecta, quamquam nihil tunc integrum „ ac ſalvum remanebat, nihil eorum quæ de ea ſcripta ſunt, a ve„ ro abhorrere intellexit: ita ut hæc non ſolum compoſita atque „ integra, ſed disjecta quoque ac diruta priſcæ majeſtatis ſpe„ ciem præ ſe ferat ac retineat. Hujus Chryſoloræ, ne id alias excidat, prædictum libellum a Franciſco Aleardo Veronenſi latine verſum, & Johanni Galeazo, Marchioni Sfortiæ, anno MCCCCLXIV nuncupatum, ex bibliotheca Chriſtinæ reginæ deſcriptum habemus. Denique urbis Romæ, quam urbem *æternam* appellabant veteres, verum arcanumque nomen (quis credat?) hactenus ignoratum fuiſſe Philippus Camerarius demonſtrat. Sed longius nos ducit hæc digreſſio, quamquam non omnino extra viam.

Camerar. Meditat. hiſt. vol. 1. c. 10.

Dum a bibliothecis inveſtigandis ac luſtrandis tantiſper vacaremus, identidem nos in ſuas ædes admittebat illuſtriſſimus Sluſius, noſque doctis & eruditis colloquiis ſuis una cum Diroyſio noſtrate jucundiſſime recreabat. Tanto quippe viro unica voluptas eſt ex litteris & ex libris: quorum magnam copiam ſibi comparavit, non ad pompam, ſed ad uſum ſuum & amicorum, quos corde diligit.

X. Cardinalis Ottobonus veteres codices non paucos, quos in bibliotheca ſua habet, in domum noſtram, pro ſua in nos benevolentia, tranſmittere non eſt gravatus, ut domi facilius eis uti poſſemus. Unus ex illis continet acta omnia, totamque ſeriem inquiſitionis tempore & juſſu Urbani IV factæ in Robertum electum Trevirenſem, qui, pallio non accepto, Archiepiſcopum nihilominus ſe ferebat, & ſacris ſe immiſcebat. Acta hæc deſiderantur apud Browerum in Annalibus Trevirenſibus, qui tamen eorum mentionem facit. Deinde in alio codice habetur index privilegiorum eccleſiæ Romanæ, *quorum aliqua, ad perpetuam rei memoriam conſervandam, per felicis recordationis Innocentium papam* IIII *in Concilio Lugdunenſi ſub bulla ſua & ſigillis quadraginta Prælatorum, qui præſentes fuerunt, ſunt annotata & tranſſumpta; & eiſdem tranſſumptis ſic annotatis dictus dominus Innocentius, prædicto approbante Concilio, fidem decrevit perpetuo, ſicut originalibus, adhibendam.* Horum tranſ-

ſumtorum authentica exempla in archivo Cluniacenſi vidimus. Primum locum inter imperatoria occupant privilegia duorum Ottonum, primi ac ſecundi, tum Henrici auguſti, *litteris aureis per totum ſcripta: quorum primum non eſt ſigillatum, licet ex tenore ipſius appareat, quod debuit ſigillari: ſed ſecundum eſt ſigillatum aurea bulla imperiali; non tamen eſt data appoſita in eodem: & in utroque ſunt poſitæ ſubſcriptiones ipſorum Imperatorum, ac Prælatorum & Principum ſuorum.* Quæ omnia mire confirmant ea, quæ in opere noſtro de re Diplomatica obſervavimus. Ad hæc deſcripſimus ex alio codice recenſionem *theſauri eccleſiæ Romanæ*, factam pontificatu Bonifacii octavi. An. 1685 Octobri.

Libros venales, quos Moronus, Barbarinæ bibliothecæ curator, reliquerat moriens, per hos dies revolvimus, atque ex eis nonnullos pro regia bibliotheca comparavimus.

ITER NEAPOLIM.

XV. Cum aër tantiſper ex imbrium madefactione temperatus, atque ex ventorum aquilonarium flatu repurgatus eſſet, viſum eſt adire Neapolim, quæ civitas Roma diſtat quinque dierum itinere, viatoribus haud magnopere jucundo, niſi Neapolis conſpiciendæ cupido invitaret. Velitris prima ſtatio, ubi Ginettorum palatium viſitur. Inde perpetui montes obambulandi per Sermonetam Ducatus caput, Privernum, Tarracinam, Fundos, aliaque uſque Gaviliarum loca. * Privernum, antiquum opidum, olim in valle ſitum, nunc in colle: ex quo in adverſo monte cernitur caſtellum Roſæ-ſiccæ, nunc pertinens ad gentem de Maximis. Reginaldus, ſancti Thomæ Aquinatis ſocius, Privernas erat. Altero inde milliari occurrit Foſſæ-novæ monaſterium Ciſtercienſium, Forum Appii quondam, ubi Thomas ipſe mortem obiit. Viſitur ibidem ejus cella in Oratorium converſa; & in eccleſia loculus lapideus ſub altari, ubi ſepultus fuit; poſtea tranſlatus Fundos in conventum Dominicanorum, atque inde Toloſam. Ante Ciſtercienſes Foſſa-nova cœnobium Caſinenſium erat ſub titulo ſanctæ Potentianæ. Tarracinam, Anxur apud veteres, adeundo ſecundum Alpes, conſpiciuntur à dextris viæ Appiæ veſtigia in paludoſis locis, atque Trium-tabernarum, ubi ſanctus Paulus hoſpitatus eſt, urbs quondam epiſcopalis, quam Gregorius M. Velitrenſi (quæ & ipſa Oſtienſi modo unita eſt) conjunxit. Hæc via a Tarracina Neapolim uſque protendi-

* *Piperno.*

Greg. M. lib. 2. epiſt. 3. Ind. 10.

An. 1685. Octobri. tur, quadratis ſaxis etiam nunc paſſim munita. Tarracina in colleſita eſt, diverſorium extra urbem: ubi dum prandii horam ex[illegible]ectamus, a Germanis duodecim armatis propemodum concitata ſeditio eſt. Iverant illi Neapolim, & in tranſcurſu ad idem diverſorium ſe receperant. Cum egreſſum parant, camerarius, qui adventantium curam habet, petiit mercedulam, quæ *mancia* vulgari nomine vocatur: recuſantes durius appellavit. Hi in regreſſu dicterii memores, cum ille, injuriæ factæ immemor, mercedulam denuo flagitaret; tum vero unus ex illis Germanis, arreptis loris, ſeminudos camerarii artus atrociter cecidit. Plagis multoties repetitis, vociferabatur ille ejulans: hoſpes in Germanum frendebat, parumque abfuit, quin opidanos ad ulciſcendum inſultum acciret. Dum Germani diſcedunt, affirmavit camerarius, ſe noſtri dumtaxat reſpectu teneri, quominus tortorem ſuum pilæ ictu trucidaret. Sic in minas evanuit illa ſeditio. Poſt prandium conſcendimus opidum, ſi quid in eo dignum eſſet, contemplaturi. Promontorium eſt, unde in ſubjectum mare deſpectus. Templi Jovis, Pollione architecto, reliquiæ inſignes ad majorem eccleſiam, quæ ſancto Cæſario ſubdiacono & martyri nuncupata eſt. Altare majus more ſolito ad Orientem converſum: duæ aræ collaterales Occidentem ſpectant. In area eccleſiæ exſtant inſcriptiones duæ: una de Trajano Auguſto, quod viam *ſilice ſua pecunia ſtravit*: altera de Theodorico rege, quod viam Appiam refecit, recte edita apud Gruterum, niſi quod ubi hic legit, *ad perpetuandam tanti Domini gloriam*, in lapide, ſi non memoria fallit, ſcriptum eſt, *ad perpetuandam tanti Domini memoriam.*

Miſerabile ſpectaculum eſt videre illius loci opidanos, cadaveroſa omnes facie etiam juvenes adoleſcentes & teneras puellas, haud dubie ex aëris contagio. Hos percontati ſumus de monaſterio, quod Benedictus Pater eo in loco conſtruxerat, teſte Gregorio M. Nemo ex eo quidquam reſcivit. Neapoli ad montem Caſinum profecti, legimus varia de illo monaſterio inſtrumenta. Primum eſt Agapiti Papæ II. inſcriptum Balduino abbati Caſinenſi, cujus rogatu Pontifex Caſinatibus concedit *monaſterium ſancti Chriſti protomartyris Stephani, ſitum in territorio Terracinenſi, quod per longam vetuſtatem in ruinis & in deſertis poſitum erat. Data* XVII. *Kal. Novemb. per manum Andreæ, divini reſpectus gratia Vicarii ſanctæ Sedis apoſtolicæ, an-*

no pontificatus domini Agapiti ſummi Pontificis & univerſalis junioris Papæ anno x. *Indict.* xiv. Et ne de alio hic monaſterio ſermo eſſe videatur, Leo ix Richerio abbati confirmat *monaſterium ſancti Stephani juxta civitatem Terracinenſem poſitum, quod Deo digniſſimus vir Benedictus vivens corpore conſtruxerat*, ut legitur in authentico, dato *per manus Frederici diaconi S. R. E. cancellarii & bibliothecarii, vice domini Herimanni archicancellarii atque Coloniæ archiepiſcopi*, xii. *Kal. Junii, domini Leonis* viiii *Capuæ anno* iiii. *Indict.* v. Ex illo monaſterio, nunc penitus diruto, cenſus perſolutus eſt ad ſuperius ſæculum monaſterio Caſinenſi. Dum Tarracinæ rudera veſtigamus, audimus vectorem noſtrum non audere ulterius progredi, propter homicidium, quod recens in regno Neapolitano, cui Tarracina finitima eſt, perpetraverat. Urgemus pactum: calecam (quidni enim in re nova nobis novare non liceat?) obtulit ille, ſed operam denegabat ſuam: nec alium aurigam inveniebat quem ſufficeret. Bona fortuna Stephanotii noſtri, qui ſe ſe nobis ad paucos dies ſocium in itinere Neapolim uſque adjunxerat, domeſticus aderat. Is aurigæ officium ſubiit, & ſic ex lepidi illius mortalis manibus educti ſumus.

An. 1685. Octobri.

XVII. Fundis eccleſia cathedralis beato Petro apoſtolo (quod pæne ſingulare) nuncupata eſt. In hac urbe Gallicani olim Cardinales, electo poſt Gregorium xi Urbano vi vim cauſati, Clementem vii novis comitiis crearunt. quod funeſti in eccleſia diſcidii exordium fuit. Fundis dum cænamus, importune ſe ingerunt duo ſatellites, qui ſe gubernatoris præſidiarios ferebant. Talium hominum aſpectus triſtem aliunde menſam non ita belle condiebat. Diſſimulamus. Illi cum ſe nihili a nobis fieri intelligerent, exeunt, & continuo reverſi, mala aurea & alia id genus fructuum afferunt. Quid hæc dona vellent, facile erat divinare. Aliquot Julios Danais illis largimur. Exeunt illi dictis gratiis. Poſtridie cum ante lucem urbe egreſſi procederemus, illi armati truci voce aurigas ſiſtere jubent. Dum vero vocem noſtram audiunt, tum boni cuſtodes fauſtum iter nobis comprecantur. Abſque Juliis periculum marſupiis fuiſſet.

XVIII. Die feſto ſancti Lucæ, impluvio cælo per Alpes infeſtas via Appia nobis obvia fuere Itræ, olim Mamurræ, Caſtellonum prope Caïetam, poſtea Mola, quondam *Formiæ* appellata, ubi Ciceronis horti hactenus oſtenduntur, in proſ-

An. 1685. Octobri. pectu Caïetæ. Paullo poſt Molam paullatim ſe aperit amœniſſima camporum & pratorum planities ad Lyrim ſeu Garilianum fluvium: ubi olim Minturna civitas epiſcopalis, Formienſi a Gregorio M. unita; nunc aquæductus, amphitheatri, & thermarum reliquiæ ſuperſunt. Loco, ubi fluvius navicula transmittitur, Trajecto vocabulum eſt. Ad ſanctam Agatham prope Sueſſam hoſpitium fuit, haud longe a Sinueſſa. Sed bone Deus! qualia ubique hoſpitia, quippe ad ſubigendam viatorum patientiam, non ad recreandos itineris labores. Jam ævo Ciceronis diverſoria Tarracinæ male audiebant, ut ex ejus epiſtola ad Fabium Gallum intelligimus.

Gregor. M. lib. 1 epiſt 8


XIX. Capua duplex, nova & vetus: hæc olim ad viam publicam, nunc tantiſper ab ea deflectit. Ejus delineatio, prout olim ſtabat, in ædibus Archiepiſcopi viſitur. Nova ſita eſt ad Vulturnum, eo in loco, ubi quondam Caſilinum opidum ſtabat. Neutra vix quidquam habet elegans, præter jucundiſſimam fertiliſſimamque ſitus planitiem, quæ tot delicias antiquis, ipſi Capuæ ſuperbiam & arrogantiam ſuggerebat. Novæ Capuæ metropolitana eccleſia, ſancto Stephano nuncupata. Ab ingreſſu ad apſidem columnæ marmoreæ utrimque duodecim. In apſidis muſivo antiquo beatiſſima Virgo cum Jeſu infante in gremio ſedente media reſidet: a dextris ejus ſanctus Petrus & ſanctus Stephanus; a ſiniſtris ſanctus Paulus & ſancta Agatha, ſubjecto hoc diſticho:

Condidit hanc aulam LANDULFUS, *&* OTO *beavit.*
Mœnia, res, morem, vitreum dedit HUGO *decorem.*

In infima parte eccleſiæ, ſupra portam, in ligneis tabulis depictæ ſunt primorum Epiſcoporum Capuanorum effigies. In atrio eminet ſub divo ſepulcrum Atenolfi principis. Apud Annuntiatam legitur epitaphium Paganini grammatici & rhetoris. Michaël, cognomento Monachus, & Camillus Peregrinius Capuæ noſtro ſæculo præclara fuerunt ornamenta.

Ad portam prætorii quædam vetera cernuntur monumenta, & inſcriptiones nonnullæ. Præcipuus ex illis eſt marmoreus lapis, anno MDCLXV erutus e cryptoporticu veteris amphitheatri, longitudine palmorum quatuor cum dimidio, latitudine unius & dimidii, exhibens ſequentes figuras.

GENIVS THEATRI



LVCEIVS·PECVLIARIS·REDEMPTOR·PROSCENI
EX BISO FECIT·

Johannes Petrus Paſchalis e Soc. Jeſu, exiguo libello has figuras explicavit, ita ut prima figura machinam verſatilem ad ſuſtollendos lapides grandes; ſecunda ſculptorem vel architectum; tertia Palladem; quarta Jovem ſedentem; quinta Cupidinem; ſexta Senatorem, qui impenſas operi ſuppeditabat; ſeptima denique Vulturnum fluvium ſignificari exiſtimet. De quatuor primis explicationibus vix ulla difficultas: alias non facile admiſſuri ſunt viri eruditi. Nam & quinta Apollinem melius refert, quam Cupidinem, qui nudus pingi ſolet: ſexta ſacrificum, qui Genio theatri ſacrificat, dextra craterem effundens in aram, ſiniſtra flores in cornucopiæ geſtans. Nam Genio res ſacra fiebat mero & floribus, ex Varrone & Cenſorino. Apud Oiſelium tab. XLII *Genio Auguſti* eodem modo ſacrificatur. Porro Genium ſerpentis imagine aliquando ſignificatum fuiſſe, præter Roſinum, Virgilius auctor eſt Æneidos lib. V. Unde ſeptima figura ſine dubio exhibet Genium Theatri, ut titulus ſuperpoſitus indicat. Sic apud Gruterum pag. CXI, *Genius theatri Pompeiani:* apud Reineſium pag. CLXXXIII, *Genius theatri Auguſti* legitur. ſed hæc viderint alii. Capuæ veteri, quæ altero milliari a nova diſſita eſt, adjacet amphitheatrum, quod quadraginta millia ſpectatorum capiebat. Cryptoporticus centum octoginta columnarum triquadrato ordine conſtructa erat. Nunc etiam priſcam ædificii magnificentiam parietes reliqui oſtentant. Eccleſia major aliquid itidem retinet venerandæ antiquitatis: cujus picturas Michaël Monachus in Sanctuario ſuo Capuano exprimi curavit. A Capua Neapolim uſque quaſi jugis paradiſus, media civitate Averſa, arboribus, vinetis, pratis, cultiſque terris conſitus. Ibi naſcuntur

AN. 1685. OCTOBRI. vina, quæ a lacryma Chriſti nomen habent, parum ſeria & accommoda appellatione.

Neapolim dum appropinquamus, nobis obviam venit illuſtriſſimus Joſephus Valletta, in ſenatu Neapolitano Advocatus, de noſtro adventu Roma certior factus litteris amici Paſtricii ſuperius laudati, noſque in currum aſſumtos in noſtrum hoſpitium deduxit. Perſeveravit hæc Joſephi humanitas per totum tempus, quo Neapoli verſati ſumus, id eſt per quinque fere hebdomadas: quo toto tempore nihil prætermiſit officiorum, quæ amici maxime neceſſarii ſibi invicem præſtare ſolent.

XX. Neapolim luſtrare cœpimus, quæ civitas argute dicta eſt *Fragmentum cœli delapſum in terram:* eo modo quo Livius ſcriptor græcus, cum ad amicum ſuum ſcriberet Romæ videndæ cupidum, non urbem, ſed *quamdam quaſi cœli partem* appellavit. Neapolis ſitus præſtantior eſt: ubi omnia ad voluptatem compoſita. Si cælum ſpectes, quid illud? cum terra ipſa ſit quædam cæli portio. Si ſolum; illic Campania Felix, omnium non modo in Italia, ſed in toto terrarum orbe pulcherrima plaga: quam eleganti libello deſcripſit vir limati ingenii Cæleſtinus Guicciardinus, Cæleſtinorum generalis præfectus, in ſuo Mercurio Campano, quem nobis dono dedit. Ver ibi perpetuum, quod nec frigoris inclementia, nec caloris vehementia interrumpit. Diceres unam ibi eſſe anni tempeſtatem, ſcilicet ver autumnale, aut vernum autumnum: cum flores, fructuſque illic fere numquam deficiant. O tranquilla Parthenope, ait quidam, & magnis ingeniis laudata! veſtrum eſt quod ait Maro:

Ver ibi perpetuum, atque alienis menſibus æſtas.

Illic naturæ & artis miracula ſine numero congeſta, illic omnium rerum terra marique commercium. Paucis, Neapolis longe ſuperaſſet Romam, ſi Roma Neapolis loco ſtetiſſet. A meridie ſecundum litus maris inferi, in cornua circumflectitur: tum extenditur in continentem, molliter ab imo uſque ad verticem aſſurgente clivo. Celſiorem locum occupat arx ſancti Eraſmi, ſub qua Cartuſianorum cœnobium, a Carolo Illuſtri ædificatum, tanta magnificentia, tanta ſitus jucunditate, ut ſpectantes in admirationem rapiat. Eccleſiæ parietes marmoreis incruſtationibus, pavimentum marmoreis itidem ſegmentis conſtant. Sedilia opere teſſellato, ex ligno Canarico, quodvis metalli & lapidis pretium ſuperant. Sacrarii armaria, eadem arte

arte elaborata, infinitam ex argento ſupellectilem continent. AN. 1685. OCTOBRI.
Prioris cella palatii loco eſſe poteſt. Omnia denique exquiſitiſſimis picturis fulgent. Inde proſpectus in urbem & in mare admirabilis. Camaldulenſes in edito colle e regione conſiſtunt. Eccleſiæ in illa urbe innumeræ, opes in eis infinitæ. Nempe uno hoc modo gazas ſuas in tuto poſitas Neapolitani exiſtimant. Una novi Jeſu eccleſia, quæ olim Salernitanorum Principum erat palatium, plus argenteæ ſupellectilis habet, quam centum e noſtris ornatioribus. Conventus Dominicanorum ad octodecim in urbe, præter aliquot ſuburbanos; Franciſcanorum plures quam decem. In pleriſque templis ac monaſteriis plurima Francicæ pietatis monumenta exſtant. Apud Clariſſas Roberti regis conditoris, ejuſque liberorum ac nepotum præclara mauſolea.

Urbis decora primo triduo cum Valletta vidimus: cujus inſtructiſſima bibliotheca nobis maxime placuit. Hunc *Antigenis* nomine in ſuis eclogis celebravit elegans noſtri temporis poëta Nicolaus Giannettaſius e Soc. Jeſu, eumque dicit *regio animo ac ſumptu*, domi ſuæ bibliothecam ex probatiſſimis auctoribus omnium admiratione & plauſu comparaſſe. Idem etiam de ſuo ſtipendium Gregorio Meſſerio, preſbytero Brunduſino, in litteris græcis verſatiſſimo, ſuppeditavit ad græcas litteras publice docendas. Dum in hac ejus bibliotheca verſaremur, eo acceſſerunt noſtri cauſa, viri cum primis litterati & nobiles, Franciſcus Marcianus Judex, Franciſcus Andreas, patronus cauſarum emeritus, quem in cauſa Principis Satriani magno cum eloquentiæ flumine & fulmine perorantem non ſemel auſcultavimus; Andreas Andreinus, nobilis Florentinus; Pacichellus Abbas, Nicodemus nobis amiciſſimus, Alciatus latine & græce doctus, Carolus Cornelius, & alii: quorum pleroſque poſtea ſemper conjunctiſſimos habuimus.

XXI. Dominica metropolitanam ſanctæ Mariæ ſeu ſancti Januarii eccleſiam, quæ a Carolo I Andegavenſi condita eſt, adivimus, olim Salvatori & ſanctæ Reſtitutæ nuncupatam. Veteris ſanctæ Reſtitutæ eccleſiæ ad ſiniſtram navis partem quædam oratoria ſuperſunt: ubi in capella, quæ dicitur Conſtantini, imago beatæ Mariæ prima totius Italiæ eſſe dicitur: ſed non videtur tantæ antiquitatis. Nobis antiquiores viſæ ſunt picturæ ex muſivo, quæ in adjuncta ſancti Johannis ad Fontes ædicula conſpiciuntur. E regione exſtat magnifica ſancti Januarii

An. 1685. Octobri. capella, *Theſauri* appellata, eximiis ex ære ſtatuis quatuordecim, aliiſque multis donariis magnificis exornata : ubi caput ſancti Januarii cum duabus ampullis, in quibus aliqua ſacri ejus ſanguinis concreti portio, aſſervatur. Hic ſanguis ad præſentiam capitis colliquefieri videtur, ampulla ea parte, qua ſanguis naturaliter in ſubjectam ampullæ partem cadere debet, ſuſpenſa. Miſſa interim una, duæve, dum ſanguis decidat, celebrantur : ſi non liqueſcat, prodigii infauſti loco habetur. Innocentius IV in illa baſilica ſepultus prope ſacrarium, quod ſacellum erat à Carolo I Neapolis rege conſtructum, primitus ſub titulo fratris ſui ſancti Ludovici Francorum regis dedicatum, ut ex picturis manifeſtum eſt. In illis picturis cernitur primigenius habitus Minorum cum capicio oblongo ; mentum ſine barba. In illo ſacrario oſtenſus eſt nobis baculus, quem ſancti Petri vocant, habens fulcrum ex ebore ad manum ſuſtentandam : quem baculum epiſcopis orantibus ex priſco ritu uſui fuiſſe credimus. Cathedralis *Stephania* etiam * à conditore appellata, ſuas habuit, ut Roma, catacumbas : quod nomen loco impoſitum eſt ex imitatione Romanorum : quemadmodum etiam appellatæ ſunt apud Neapolim eccleſiæ ſanctæ Mariæ *in Coſmedin*, ſancta Maria *Major* : idque in aliis Italiæ urbibus etiam uſu venit, ut vocabula præcipuarum Romæ eccleſiarum aliis quoque aliarum urbium eccleſiis tribuantur.

* *Johan. Diac. in Stephano 41. Arch. Neapol.*

Sancti Severini monaſterium e noſtris magnificum : eccleſia auguſtiſſima ; intercolumnium a Gangaro depictum, nulli elegantia cedit. Johannis olim abbatis ſancti Severini hortatu Johannes alter, eccleſiæ Neapolitanæ diaconus, paſſionem ſancti Sozii Miſenatis levitæ & martyris litteris conſignavit. Abſens erat reverendiſſimus loci Abbas Hyppolitus à Vigiliis, cum primum eo profecti ſumus. Reverſus fecit quod in ſe erat, ut nos apud ſe retineret. Nec defuit etiam voluntas reverendiſſimi Patris Andreæ a Neapoli Procuratoris in Romana curia generalis, qui nos litteris ſuis ubique commendaverat. Illuſtriſſ. Franciſcus Nicodemus, Advocatus monaſterii Caſinenſis in ſenatu Neapolitano, litteris a Magliabeco acceptis, in dies currum ſuum cum Valetta nobis ſubminiſtravit, noſque continuis officiis ſuis afficere non deſiit. Is appendicem eruditam adjecit ad librum de Scriptoribus Neapolitanis, atque utrumque nobis dedit cum aliis libris.

XXII. Puteolos & Baïas profecturis occurrit poſt ſubur-

bium Caïarenſe mons Pauſilypus, multis decoratus palatiis, ſepulcro Virgilii, & Sannazarii ſeceſſu ac tumulo illuſtris : tum crypta ingens ſeu via intra montis tractabilem rupem excavata, ſtupendum opus : cujus longitudo ad ulnas 2700, latitudo ad 32. altitudo vero, qua major, ad 98 porrigitur. Cryptam ſeu carcerem longum appellat Seneca, aliique veteres. Hæc lumen accipit a duobus extremis orificiis & e medio : cujus ſupercilium Alfonſus Arragoneus ſenior aperiri curavit. Dolebat vero Peireſchius, quod ignoraretur is, qui tam præclarum facinus tanto viatorum compendio, commodoque attentaſſet, digniorem arbitratus quam Xerxen, cum Græciæ bellum inferens, Athos montem medium perforavit. An. 1685. Octobri.

* Puteoli, antiqua civitas, quo ſanctus Paulus Romam profecturus appulit. Locum adeuntibus ſeſe adjungunt Cicerones, id eſt locorum monſtratores & interpretes. Memini legere apud Gregorium M. Ciceronem monachum Miſenatem. Puteolorum eccleſia major, ſancti Proculi titulo inſignis, olim vetus delubrum erat. Amphitheatri reliquiæ, pons Caligulæ, ſulfurata, & alia id genus permulta, Puteolos nunc magis commendant, quam ædificia recentia. Apud Puteolanos, ut nobis relatum eſt, non ferendus regnat abuſus, ut qui conjugium appetunt mares & feminæ, ante ſollemnem in eccleſia benedictionem ad unum duoſve, aut tres etiam annos ſimul conveniant, nequicquam repugnante Epiſcopo : adeo ut nec ulla pecuniaria huc uſque multa ab ejuſmodi errore potuerint revocari. Longe diſpar erat Petrarchæ tempore Maria illa Puteolana, ſingulare ſervatæ virginitatis decus & admirandæ fortitudinis prodigium, quæ ſpectante ipſo Petrarcha, grave ſaxum ac ferream trabem, quod onus nemo præſentium virorum attollere potuerat, nullo negotio e terra movit, ſtupentibus omnibus, qui aderant.

** Pouzzoles.* *Greg. M. lib. 4. epiſt. 27.* *Petrarc. lib. 4. epiſt. 4.*

Ad urbis proſpectum brevi freto dirimuntur Miſenum, Baiæ, Ciceroni *Bauli*, Cumæ, Campi Elyſii cum ſuis tumulis, Avernus, antrum Sibyllæ, thermæ, ſudatoria : quæ omnia libris integris deſcripta ſunt. Miſenum, Cumæ, urbes quondam epiſcopales, a Gregorio M. ſimul unitæ ; Baiæ, deliciæ quondam Romanorum ; villa Ciceronis, nuda modo nomina abſque ædificiis : niſi quod in editiori parte collis, ubi urbs olim exſtabat Baïarum, Carolus v arcem ſuperimpoſuit, quæ modo in ergaſtulum converſa eſt. Hic Agrippinæ, Neronis matris,

Greg. M. lib. 2. epiſt. 32. Ind. 10.

An. 1685 Octobri. tumulus in crypta, etiam nunc picturam ſervans: hic Caligulæ ſuperbum olim, nunc obrutum undis iter, cujus aliquot pilæ ſuperſunt: hic Julii Cæſaris injectum pelago frenum ſeu portus.

Sub Miſeni promontorio eſt crypta, quam *Traconariam* vocant, in quam oſtiis quatuor aqua pluvia excipiebatur, (*Tracones* enim dicuntur meatus aquarum ſubterranei) duodecim pilis ſuffulta, quatuor tranſitus habens rectos, & totidem tranſverſos; longitudine pedum CLXX, altitudine XX. Haud longe ab eo loco abeſt piſcina *Mirabilis* dicta, Neronis opus, an Luculli, in rupe itidem excavata, longa paſſus CCL, lata CLX. quam ſuſtentant pilæ latericiæ XLVIII. in quatuor ordines diſtinctæ. Caſtellum aquæ cæmento obductum. Deſcenſus in piſcinam per gradus quadraginta. Vicinæ Centum-camerellæ, Neronis opificium, incertum ad quem uſum, nunc obrutæ, exceptis duodecim. Multa dici poſſent de balneis ac de cuniculis ſubterraneis, ſudatoriis ſcilicet, è quibus calidi emanant vapores, quorum vis ad pellendos morbos mirabilis eſt. Erant olim ad quadraginta ejuſmodi balneæ aut ſudatoria apud Baïas: ad quas alludit Sidonius in epiſtola ad Aprum, qui tunc temporis in gallicanis quibuſdam thermis verſabatur. *Calenſes* (an *calentes*) *nunc te Baiæ, & ſcabris cavernatim ructata pumicibus aqua ſulfuris, atque jecoroſis ac phtiſiſcentibus languidis medicabilis piſcina delectat.* Ex illis cuniculis calidus vapor erumpit adeo denſus, ut qui recto corpore procedunt, tantum non ſuffocentur: at qui demiſſo capite, facile reſpirant. Ex puteo potiſſimum aſſurgunt ejuſmodi vapores.

Ad lacum Avernum viſitur antrum, quod Sibyllæ appellant, Virgilio, Juſtino martyri, aliiſque antiquis memoratum. Obſervatione dignum eſt id, quod ex Sibyllæ Cumææ oraculo cecinit Virgilius Ecloga quarta. *Non omnino eſt*, inquit Auguſtinus, *cui alteri, præter Dominum Chriſtum, dicat genus humanum:* (*Auguſtin. epiſt. 258. num. 5.*)

Te duce ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

quod ex Cumæo, id eſt ex Sibyllino carmine, ſe faſſus eſt tranſtuliſſe Virgilius: quoniam fortaſſis etiam illa vates aliquid de unico Salvatore in ſpiritu audierat, quod neceſſe habuit confiteri. Antrum illud latitudinis fere quinque paſſus, altitudinis pedes circiter quindecim habet; ad trecentos tantum paſſus modo extenſum, obducto muro ad ulterius ſpatium, ne ultra progredientes aut

inter fœtorem, aut vaporum ſpiſſitudinem (uti contigiſſe aiunt) exanimarentur. Poſt ſeptuaginta paſſus deſcenſus eſt in cubiculum quoddam muſivo decoratum, ubi fons limpidiſſimus ad balneum, & duo lectuli ex lapide compoſiti: quo in loco Sibyllam ſe laviſſe ferunt. Adjacet & aliud eodem modo ornatum cubiculum cum alio itidem fonte: ex quo Cumas uſque, id eſt ad tria millia, ſubterraneus meatus, nunc occluſus, porrigebatur. Hoc antrum eo conſilio factum dicunt nonnulli, ut expeditior a Baiis ad Cumas eſſet tranſitus. Cumarum porro nihil ſupereſt præter arcum Felicem, ut vocant, quem portæ urbis partem fuiſſe nonnulli opinantur. Hæc civitas anno MCCVII a Teutonibus exciſa eſt. Everſionis hiſtoriam habes apud Bollandum ad XVI Februarii, poſt vitam ſanctæ martyris Julianæ, quæ colebatur in Cumana ſancti Maximi martyris eccleſia cathedrali. Sic enim in fine vitæ ſanctæ Julianæ auctore Petro Neapolitano diacono legitur in codice Caſinenſi, qui locus mendoſus eſt in editis: *Tranſlatum eſt corpus ejus in civitatem Cumanam,* IN IPSUM EPISCOPIUM, *& in beati martyris Maximi baſilica collocatum.* In eadem urbe erat quondam Apollinis ſtatua cum pede cygneo, ad ſapientiam ſcilicet deſignandam. Forſan ob ſimilem cauſam Chrothildis, Chlodovei M. conjux, in antiquis ſtatuis cum pede anſerino etiam nunc conſpicitur nonnullis in locis apud Gallos noſtrates. AN. 1685. OCTOBRI

Inde revertendo Puteolos, vidimus montem novum, qui ex eruptione ſubterranei ignis die XXIX Septembris anni MDXXXVIII excrevit poſt ingentes terræ motus, quibus Tripergula opidum totum obrutum eſt, mari ad centum paſſus retrocedente. Simile quid de Taureduno caſtro ad Rhodanum ſito, apud Gregorium Turonenſem epiſcopum leges. Uno milliari a Puteolis viſitur fanum Vulcani, vulgo Sulphurata, alias *Sulforetaria* dicta in actis ſancti Januarii Beneventani epiſcopi, qui non longe ab illo monte martyrium paſſus eſt. Apex montis continua ignis depaſtione ſubſidit in vallem formæ ovalis, cujus longitudo eſt pedum 1246. latitudo amplius quam mille. Terra ex ſulphure, bitumine, chalcantho, aliiſque ſimilibus rebus conſtat. Terram hanc non ſecus atque hortum excolunt ruſticani, & ex materia per vapores cocta & diſpoſita, figulina vaſa aliquanti pretii conficiunt. Prope etiam ſunt officinæ, ex quibus alumen conficitur. Haud procul ab eo loco ſunt ſpiracula, mortiferum ſpiritum exhalantia: qualia in Sinueſſa-

Greg. Turon. lib. 4. c. 31.

An. 1685. Octobri. no, Puteolanoque agro exſtitiſſe Plinius tradit. Unum eſt in monte Anagnio, lacum media publica via contiguum habens, *Antrum canis* vulgo appellatum. Eſt autem ſpecus ad altitudinem hominis, longa quatuor pedes, vaporem adeo peſtilentem emittens; ut quidquid animatum & ſpirans in eam injicias, continuo ſpiritum amittat; & niſi ſtatim inde removeas, continuo exanimetur intereatque. Id hominibus nonnullis accidiſſe teſtes fide digni aſſeverant; noſque id experimentum in cane & in rana factum vidimus. Nam mox ut canis in terram tantiſper demiſſus tenebatur, ſpiritu intercepto emori videbatur: at ſtatim projectus in proximum lacum, animam reſumebat. Sed, quod nobis obſervatione dignum viſum eſt, ruſticus a nobis conductus, qui hoc experimentum faciebat, ipſe recto corpore intra ſpecum nihil timens conſiſtebat, facem accenſam gerens, quæ ad altitudinem quatuor pedum flammam retinebat, depreſſa continuo amittebat. Atque adeo vapor ille, terræ viſceribus conceptus, in exitu letalis eſt: ubi tantiſper cum aëre miſtus fuerit, nocendi vim amittit.

XXIII. Sed jam tempus eſt ut ad ſolitas noſtras amœnitates revertamur, id eſt ad veterum librorum bibliothecas, e quibus præcipua Neapoli, ſi veteres libros ſpectes, eſt Patrum Auguſtinianorum in cœnobio ſancti Johannis de Carbonaria. In ea multi ſunt codices antiqui, tum græci, tum latini; veteres item librorum editiones ex dono Hieronymi Seripandi Cardinalis. Is germanum habuit fratrem Antonium, cui cum amicus Janus Parrhaſius libros ſuos teſtamento legaſſet, Antonius viciſſim eoſdem cum ſuis Hieronymo fratri reliquit, ab Hieronymo ſodalibus ſuis poſtea datos. Franciſcus Puccius Florentinus utriuſque, id eſt Jani & Antonii, præceptor fuerat. Ex libris græcis præter vulgares hi ſunt: *Georgii Gemiſtii* opera, *Procli* commentarii in Platonem, *Eunapii* vitæ ſapientum, *Gregorii Nyſſeni de iis qui eunt Jeroſolyma*, *Maximi epiſtolæ* ad Heſiodum, &c. *Theodoriti epiſtolarum* codex bonæ notæ, ſed mutilus initio & in fine; *Cathecheſes Theodori Studitæ*, *Evangelia* quatuor cum gloſſis græcis, quibus præmittuntur canones Euſebii cum epiſtola ejuſdem ad Carpianum: *Auguſtini ſoliloquia* græce. Ex latinis codex antiquiſſimus litteris Saxonicis, in quo *Hieronymus de Scriptoribus eccleſiaſticis* cum Gennadio, eodem modo diſpoſitus atque in noſtro Corbeienſi, ubi de Auguſtino eodem modo ſermo eſt, uti ex Corbeienſi retulimus in tomo

ſecundo Analectorum; *Gelaſii decretale* de libris Canonicis, *Priſcianus de laude Anaſtaſii Imperatoris*, quod notatu dignum: *Tertulliani Carmen de Jona*, libri duo *Claudii Sacerdotis de grammatica.* In alio veterrimo codice Evangeliorum, litteris quadratis exarato, Evangelium *ſecundum Lucanum* adſcribitur. quod in alio item Bobienſi legere meminimus. Item in aliis *Vibii Sequeſtris de fluminibus, fontibus, lacubus* &c. ad filium ſuum Sebaſtianum. Ad hæc varia collectanea Sirleti pro Concilio Tridentino: multiplex item propoſitio quæſtionis de Juſtificatione in eodem Concilio facta, cum Seripandi cenſura. Præterea *Ægidii Viterbienſis hiſtoria* autographa viginti ſæculorum, per totidem Pſalmos digeſta, cum quibuſdam item Seripandi obſervationibus & emendationibus. Ejuſdem *Ægidii variæ epiſtolæ*, per Seraphinum Eremitam Auguſtinianum collectæ in unum: ex quibus præcipuas deſcripſimus. Dum vero poſt multos dies ceteris exſcribendis daremus operam, bibliothecarius, juvenis bonæ indolis, & qui nobis eatenus impenſe, & quidem, ut videbatur, ex animo faverat, neſcio quo impellente fingit, ſe cujuſdam conſanguinei ægrotantis cauſa extra urbem debere proficiſci in dies octo: quo tempore ſciebat nos conſtituiſſe Neapoli diſcedere; nec bibliothecæ claves ſibi creditas cuiquam conſignare poſſe. Aſtum ſubodorati, ejus reditum exſpectamus. Finguntur alia atque alia in dies, ne ulterius in bibliothecam admitteremur. quod facile tulimus, cum pauca ſupereſſent quæ noſtram operam deſiderarent. Sub bibliotheca exſtat lararium Seripandorum: ubi Antonius monumentum *Franciſco Puccio, quod bonarum artium ſibi magiſter fuiſſet:* tum aliud *Jano Parrhaſio, quod ſibi ſocius in re litteraria fuiſſet*, teſtamento fieri juſſit. Ipſius Antonii epitaphium ſic habet. AN. 1685. OCTOBRI.

ANTONIO SERIPANDO

Sacerdotiis commodioribus honeſte functo, cujus fide atque doctrina ſcribendis epiſtolis Eliſius Cardinalis Aragonius uſus fuerat, uni mortalium maxime amicorum cauſa nato, qui vixit annos XLV. *menſ.* XI. *dies* XV. *fratri optimo* F. JACOBUS *anno* M D XXXVIIII.

Hieronymus Seripandus, ſepultus Tridenti in eccleſia Auguſtinianorum ſancti Marci, ſuper avitum familiæ ſacellum curavit

An. 1685. Octobri. conſtrui bibliothecam, de qua mox diximus. In eccleſia ſancti Johannis de Carbonaria exſtat mauſoleum Ladiſlai regis; egregia item monumenta Caracciolorum.

XXVI. Elegantior eſt Olivetanorum bibliotheca, ſed non tot vetuſtis referta libris. Inter codices fere viginti, unus continet hiſtoriam tranſlationis ſancti Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ ex Italia in Galliam: tametſi *eorum cadavera partim, non ex toto* tranſlata dicuntur. In perantiquo Kalendario Capuano apud Michaëlem Monachum eadem tranſlatio notatur die XI Julii, itidemque in multis aliis etiam Italiæ Kalendariis. In ſacello familiæ Aurilianæ apud Olivetanos exſtant præclaræ ex terra cocta ſtatuæ, nempe Chriſti Domini crucifixi humi jacentis, atque hinc Joviani Pontani ſub nomine Nicodemi; inde Jacobi Sannazarii ſub nomine Joſephi. Sannazarii, ut jam dictum eſt, tumulus, & quidem affabre elaboratus, ad Pauſilypum exſtat in villa ejus ſuburbana Mergellina, quam templo exſtructo Virgini parturienti & ſancto Nazario vivens nuncupavit. Pone altare magnificum ex pario marmore aſſurgit ejuſdem Sannazarii mauſoleum, in cujus ſummo dimidiata ejus ad vivum effigies, lauro redimita: ſubtus binæ hinc inde adſtant marmoreæ Minervæ & Apollinis ſtatuæ, ludentibus in medio ſatyris. Puduit forſan, nec immerito, poſteros tantæ in ipſis etiam aris irreligionis: eamque belle occultare ſibi viſi ſunt, appoſito ſub Apollinis ſtatua DAVID; & ſub Minervæ JUDITH nomine. Sed his coloribus non luditur Deus. In infima parte inſcripti ſunt duo verſus auctore Petro Bembo Cardinale, omnibus noti. Actii Sinceri (ſic enim alio nomine Sannazarius vocabatur) obitus in ſepulcro notatus eſt anno M D. XXX pro M D XXXII. ut periti cenſent. Valletta nobis numiſma dedit in ejus honorem percuſſum, quod hic exhibemus.



Virgilii

Virgilii ſepulcrum ex alia Pauſilypi parte tribus fornicibus, duobus quadratis, ſummo rotundo conſtat, inventu difficile abſque duce. In inferiori camera ſuper columnas marmoreas erecta erat urna, poëtæ cineres continens, cum diſticho vulgato. Virgilii breve aliud epitaphium nuper repertum eſt in villa Duciſſæ Cagiani. An. 1685. Octobri.

SISTITE VIATORES, QUÆSO PAUCA LEGITE.

HIC MARO SITUS EST.

Nihil brevius, nihil concinnius. Nunc non belle ſonat epitaphium, niſi librum efficiat: vitæ ipſæ non placent, niſi in multiplices libros dividantur. Ergo male actum eſt cum Attico & Agricola, quod Cornelium Nepotem ac Tacitum, compendioſiores ſcilicet vitæ ſuæ ſcriptores habuerint.

XXVIII. Vidimus muſeum Franciſci Antonii Picchiati, refertum cimeliis rariſſimis, varii generis numiſmatibus, græcis & latinis, aureis & argenteis.

Dum in Vallettæ bibliotheca verſaremur, res haud illepida contigit. Is ab Inquiſitione Romana obtinuerat facultatem legendi libros prohibitos, ſed eos ſolos, qui de humanioribus litteris tractarent. Rem bono modo, ut par erat, interpretabatur. Scrupulum movit filius, an litterarum humaniorum nomine Hiſtorici comprehenderentur. Conſultus ea de re Pater ſpiritualis cenſuit comprehendi. qui tamen poſtea ſuſpectam habens ſuam definitionem, ad concilium Patrum quæſtionem retulit. Hi contra cenſuerunt non comprehendi: juſſuſque eſt Pater ſpiritualis ſententiam revocare. Venit ad Vallettam, dum nos in ejus bibliotheca verſaremur: & Vallettam ſeorſum affatus, Patrum ſententiam expoſuit. Reverſus ad nos Valletta: Qualem vero putatis, inquit, fuiſſe illius legationis cauſam? Factum mox non ſine ſtomacho narravit, obteſtatus, ut Romam reverſi, ampliorem ſibi facultatem impetraremus. quod lubenter præſtitimus.

II. Ad proluſoriam orationem in collegium Soc. Jeſu invitati ſumus a R. P. Nicolao Gianettaſio, qui nobis carmen ſuum *de re Nautica*, quatuor libris eleganter ſcriptum, dono dedit, vir humanitatis & candoris non vulgaris. Novembr.

IV. Excellentiſſimo Proregi Marchioni de Carpio reddidimus litteras a R. P. Guſmanno Dominicano. Multa in nos Proregis humanitas fuit, cui debet Neapolitanum regnum, quod

An. 1685. Novemb. ab infeſtis prædonibus repurgatum ſit, & ad meliorem gubernandi formam compoſitum. Vidimus inter Proregis cimelia caput tenuiſſimum inſtar ovi columbæ, quod pumilionis fuiſſe aſſerebant vetera auctorum teſtimonia: pumilionem autem circa Avenionem vixiſſe tempore (ſi non fallor) Benedicti XII. Diſcedentes excellentiſſimus Prorex ad feſtum de natali Catholici Regis, quod apud Carmelitas intra biduum celebrandum erat, nos invitavit.

Eodem die bibliothecam Patrum Theatinorum, qui ad Apoſtolos degunt, adivimus. Inſignis auro, picturis & fabricæ majeſtate domus & eccleſia, in cujus aditu præclariſſimæ columnæ veteris Caſtoris & Pollucis delubri ſuperſunt. Codices antiqui ibidem aliquot: e græcis *Andreas in Apocalypſim*, *Cyrilli Cathecheſes*, *Vita Conſtantini*: e latinis *Vitæ Sanctorum Neapolitanorum* in duobus voluminibus; *Martyrologia* duo antiqua: ex Italicis autographum *Torquati Taſſi de Jeruſalem liberata.* Frontini opus de aquæductibus, quod ibi exſtare clariſſimus Thevenotus, bibliothecæ regiæ curator, Pariſiis nobis ſignificaverat, non invenimus poſt diligentem inquiſitionem.

Poſtremo profecti ſumus ad ſuburbanam ſancti Januarii eccleſiam, quæ *Magna* dicitur in actis ſancti Athanaſii, aliis *ad Corpus* apud Capacium: ubi olim Ordinis noſtri monaſterium erat, modo Lazaretum. Incumbit eccleſiæ mons, in cujus cavitate antiquum eſt urbis cœmeterium, omnino inſigne; quod uſui erat annos ſupra nongentos. Eo profecti ſumus cum Valletta, duce Carolo Celano, venerabili canonico eccleſiæ metropolitanæ, rerum Neapolitanarum peritiſſimo. nam ceteris fere tunc ignotum erat cœmeterium. In immenſum producitur, & longe altiores habet, quam Romana cœmeteria, fornices, ob duritiem & firmitatem rupis, ſecus quam Romæ, ubi arena ſeu tophus tantum altitudinis non patitur. Multæ ſunt directæ per cœmeterium viæ; & quidem triplex ordo cryptarum, alius ſuper alium. In unaquaque via ſex ſunt ordines loculorum: varia ſubinde lararia diverſarum familiarum, cum variis inſcriptionibus etiam græcis, qualis eſt hæc; ΙΣ ΧΡΣ ΝΙΚΑ. item Α Ω. At pavimentum ſancti Januarii totum ex veterum inſcriptionum fragmentis ſtratum eſt. In aditu cryptarum adeſt ſubterranea eccleſia ſancti Aſprenis, ejuſdem civitatis epiſcopi primi; & prope eam ſancti Januarii epiſcopi & martyris altera, ubi a ſancto Severo ſepultus eſt.

Celanus duo nobis epiſtolarum a ſe ſcriptarum volumina largitus eſt, quibus titulum dedit, *Avanzi delle poſte.* An. 1685. Novemb.

V. Veſuvium montem conſcendimus, qui ab urbe octo millibus diſtat. Aſſcenſus montis ad tria milliaria maxime arduus; ab uno milliari ad verticem, propter abruptum iter, cineribus ex montis conflagratione frequenter erumpentibus, maxime lubricus. Mons extra hoc milliare optimis vinetis conſitus eſt. E ſummo conſpicitur vorago ingens ad tria milliaria in gyrum: cujus humus ob aſſiduos motus, quaſi ſulcis arata videtur. In medio voraginis ante aliquot annos mons e cineribus eructantibus conflatus emerſit, ignem & ingentes fumi globos jugiter evomens: tametſi flamma ignis interdiu rarius cernitur. Fragoribus ſubinde horrendum immugit, (quod accidit tempore quo Neapolim acceſſimus) & lapides cum cineribus inde violento impetu emiſſi, vaſtitatem agris finitimis minantur, & ſæpe magnum detrimentum afferunt. Cum illuc venimus, fumi globos immenſos ad aquilonem vehemens propellebat ventus. Unde relicta nobis ex adverſo adeundi facultate, quam propius e ſummo montem fumantem proſpeximus. Materia tota ſulphuris & bituminis ſpeciem habet, eadem omnino atque in Sulphurata prope Puteolos: ſed in Veſuvio longe major & inflammatior. Deſcendi in craterem voraginis ſine periculo non poteſt: at in Sulphuratam deſcenſus minus periculoſus propter fumi raritatem, qui nobis ibi non nocuit. Ab Oriente Veſuvius Neapolim ſpectat, mare a meridie, ab aliis partibus campos. Ex parte maris Stabiæ erant haud procul a monte, ultra fluvium Sarnum, vicus modo exciſus, ubi Plinius ſecundus fumo Veſuviano præfocatus eſt. Proxima ſunt Pompeianum, & Herculanum: ubi prœlium Latinos inter & Romanos commiſſum, Tito Manlio Torquato & Publio Decio Coſſ. Jugum, quod Neapolim ſpectat, ab adjacente Summa opido *Mons Summæ*: alterum ad meridiem, corrupta (ut veri ſimile eſt) Veſuvii appellatione, *Veholus* appellatur, unde Sebethus amnis decantatus excurrit.

VI. Rheda excellentiſſimi Proregis nobis ſubmiſſâ, ad Patres Dominicanos ſancti Thomæ primum, ut eminentiſſimum Cardinalem Urſinum ſalutaremus; deinde ad eccleſiam Carmelitarum acceſſimus, ubi Catholici Regis natalis dies ſollemnibus ſacris celebrandus erat. Stabant in ampliſſima platea præſidiariorum militum diſpoſitæ acies, omnes in habitu Gallicano.

AN. 1685. NOVEMB. Inter eos cum in ſella geſtatoria procederet excellentiſſimus Prorex, nos e propinquo viſos ex ſua ſella benigniſſime ſalutavit, & per unum e ſuis ſertum e floribus, quod in manu gerebat, nobis deferri juſſit. Quod non commemoraremus, niſi ad commendandam tanti viri in omnes, maxime in exteros, humanitatem.

Poſt meridiem conventus a nobis Januarius Andreæ, Franciſci germanus frater, unus e præcipuis regni Conſiliariis, retulit nobis Camilli Peregrinii epitaphium, quod Camillus ipſe ſibi vivens compoſuit, atque amico ſuo Januario Andreæ dictavit, quod in memoriam hominis de re publica litteraria bene meriti referre juvat, addito vitæ & mortis anno.

CAMILLUS PEREGRINIUS
ALEXANDRI F.
HIC JACET.
MENTE DEUM, STILO PATRIAM, OFFICIIS AMICOS,
PURE, DIGNE, SANCTE COLUIT.
VIXIT ANNOS LXV.
CONTENTUS VIXISSE.
OBIIT ANNO M DC LXIII.
HAUD MOLESTO SIBI FATO.
HOSPES HÆC SATIS E SAXO.
ABI.

Quod ſe Camillus Alexandri filium diceret, non oſtentationis, ſed diſcriminis cauſa dixit, nempe ut ſe diſtingueret a Camillo Peregrinio patruo ſuo majore, qui italice ſcripſit de controverſia nata inter Taſſum & Arioſtum. Multa etiam in eadem collatione dicta ſunt de Carteſio ejuſque doctrina, quæ ab omnibus ejuſdem urbis eruditis magnopere probatur.

CAVENSE MONASTERIUM.

VII. Sequenti die cum Franciſco Andreæ & Valletta egimus de itinere noſtro ad Cavenſe noſtri Ordinis monaſterium, quod unius diei intervallo abeſt a Neapoli: ſtatuitque Franciſcus cum Valletta & Alciato nos ad eum locum comitari in rheda Principis Satriani, apud quem Franciſcus hoſpitatur.

VIII. Cavam adeuntibus occurrit primo villa, ubi Carolus V ex Africa reverſus per triduum diverſatus eſt, unius horæ ab urbe intervallo: tum fluvius vulgo Scaphatus dictus,

cum arce, ubi Dux Guiſius a Neapolitanis acceptus; deinde Pompeianum, Herculanum, & Nuceria urbs epiſcopalis, in cujus eccleſia majori, ſanctis Priſco & Marco ejuſdem ſedis epiſcopis ſacra, Jonæ prophetæ oſſa ſervari aſſerunt. Inde Penninas alpes ingreſſi, noctem illam egimus apud ſanctum Georgium in ædibus illuſtriſſimi Baronis, Franciſci Andreæ conſanguinei, qui nos humaniſſime tractavit. Sub eo, in quo noctem agebamus, cubiculo planctus gementis, ac querulosas voces e ſubterraneo loco emittentis, a nobis auditi. Vallettam accerſivimus, ut Manes illos (ſic enim male credulis videri potuiſſet) interrogaret. Ruſticus erat, ob violata venandi jura in foveam detruſus. Profuit illi gemitus ſuus. Nam Valletta, nobis obſecrantibus, ejus cauſam probe egit, atque homini ex illa fovea egreſſum ſequenti die impetravit.

X. Urbs Cava, jam dudum epiſcopalis, triginta ſex parochiis circumpoſitis conſtans, in amœna valle ſita eſt, quam montes hinc inde ambiunt, vinetis & arbuſtis jucundiſſime veſtiti. Monaſterium inde duobus milliaribus diſtat, ad quod aſſcenſus eſt per ſinuoſam viam, haud ita procul a Salerno. In media via exſtat Oratorium ſancti Petri, ubi Romani Pontifices duo monaſterium adeundo tantiſper ſubſtitere: quorum unus fuit Urbanus II. qui eccleſiam dedicavit. Progreſſis paullo poſt occurrit opidum, *Corpus Cavæ* appellatum, quaſi quoddam cœnobii munimentum, ab illis ſcilicet inhabitatum, qui *homines de corpore* in monaſteriis noſtris dicebantur. Ab eo loco fit deſcenſus in cœnobium, medio in monte abrupto intra rupem excavatum, in loco quem veteres *Meletianum* vocitabant. In baſilica exſtat tumulus ſancti Adelferii ſeu Alferii abbatis primi a dextris aræ, in qua ſanctiſſimum Sacramentum aſſervatur, cum ſepulcris, hinc Petri Abbatis eo nomine primi, inde Petri ſecundi, qui Alferii neptis filius fuit. Eo certis diebus magnus fit populorum concurſus. Eccleſiæ ſanctæ Trinitatis & regularibus ædibus horridæ tecti inſtar incumbunt rupes, puriſſimam aquam exſudantes, quæ ſine incommodo per totum monaſterium derivatur. Ibi cum multa humanitate excepti ſumus a reverendiſſimo abbate Jovita a Neapoli & religioſis monachis. Dum cum illo verba faceremus, accedens quidam ruſticus ad pedes abbatis ſe abjecit, eoſque deoſculatus eſt. Is pro calceis habebat pellem recentis corii bubuli, faſciis circum pedes involutam: quod genus calceamenti, apud ruſticos pauperiores

An. 1685 Novemb.

in regno Neapolitano uſitatum, antiqui *carbatinas* ſeu *carpatinas* appellabant, ut probat Angelus Politianus in Miſcellaneis. Cavenſis monaſterii archivum integerrimum eſt, atque ante annos quinquaginta optime ordinatum per Auguſtinum monachum, qui totum opus in quatuor volumina diſtribuit, varia paſſim erudita documenta interſerendo, cum prævia præfatione, in qua nomen ſuum auctor modeſtiæ cauſa reticuit. Manum ad ſcribendum adhibuit Camillus a Capua, loci monachus. In duobus inſtrumentis VVaimarii ſeu Guaimarii Salernitani principis ac monaſterii conditoris, ſigillo affixo apponitur adverſum ſigillum. quod nuſquam in ſigillis affixis deprehenderamus. Sigillum cereum ex una parte VVaimarium dimidiato corpore, cum ſceptro in dextra, & corona clauſa in capite præfert, ſub hac inſcriptione, VVAIMARIUS PRINCEPS: ex adverſa manum extenſam medio digito ad pollicem reflexo, cum eadem inſcriptione. Bulla aurea pendet e diplomate Rogerii Siciliæ regis cum inſcriptione græca: Ρογέειος ἐν χ̅ῷ τῷ θ̅ῷ εὐσεβὴς κραταιὸς Ρὴξ, καὶ τῶν χριστιανῶν βοηθός.

Polit. Miſcell. pag. 477.

In bibliotheca pauci ſuperſunt codices, *Hilarius de Trinitate & de ſynodis*, liber *de geographia* antiqui auctoris, *Vitæ Patrum Cavenſium*, ante annos quadringentos exaratæ litteris Langobardicis. Quæ ſcriptura proinde perſeveravit ad ſæculum XIII. ut patet tum ex hoc codice, tum ex alio *Benedicti* Cavenſis monachi *de ſeptem ſigillis* ad Balſamum Abbatem, quod opus ineditum eſt. In fine auctor veniam petit, quod abbate minime conſcio illud opus compoſuerit. Vixit ſub annum MCCXXVII. In alio codice ſunt variæ *Regum Langobardorum leges*, eorumque geſta: tum variæ interpretationes vocum Langobardicarum. Magnopere nos pænituit, quod in illo itinere neque Salernum adierimus, neque Nolam, cujus maxime videndæ deſiderio ob ſanctum Paulinum tenebamur.

XI. Neapolim reverſi, ſequenti die luſtravimus reliquias veteris amphitheatri, templique Caſtoris & Pollucis: deinde bibliothecam Patrum Capucinorum, quæ fuit quondam Centurionis nobilis Genuenſis. His diebus munuſculorum ad amicos miſſitationes fiunt, quorum etiam nos participes fuimus.

XIII. Andreas Andreinus, nobilis Florentinus, nobis cimelia ſua oſtendit. Singulare eſt numiſma ex ære magno Procopii tyranni, Valentis æmuli, cum inſcriptione in adverſa

parte, REPARATIO FELICIUM TEMPORUM. In quodam plumbo, quod e ſervi collo pendebat, hæc leguntur: *Tene me quia fugio, & revoca me in viam latam ad Flavium D. M.* id eſt *dominum meum:* quales inſcriptiones alibi habentur. An. 1685. Novemb.

Eodem die, cum apud Januarium Andreæ verſaremur, magno cum mærore accepimus nuntium de morte illuſtriſſimi Franciæ Cancellarii Michaëlis Tellerii, quem exteri paullo minus quam Galli luxere, uti præcipuum togæ ornamentum, atque juſtitiæ & æquitatis eximium exemplar. Luximus vero ſortem noſtram, quod optimum patronum amiſiſſemus, eique pro modulo noſtro parentavimus.

XVI. Relicto Neapoli ad tempus Aniſſonio, ex urbe illa diſceſſimus cum Valletta patre, ejuſque filio Didaco, modeſtiſſimo & græce docto: qui nos ultra Averſam in rheda ſua cum eximiis amoris teſtimoniis deduxerunt. Averſæ in tranſcurſu viſimus ſancti Laurentii monaſterium e noſtris, quod a Guiſcardo conſtructum eſt, uti etiam civitas Averſa ex reliquiis vicinæ urbis Atellarum. Prope Averſam exſtat caſtellum Caſtrilucis, Johannæ primæ Neapolitanorum reginæ inſanis amoribus infame, quod Boamundus de Baucio in Cæleſtinorum cœnobium commutavit. Ibi beatiſſimæ Virginis imago, quæ à ſancto Luca (ſi Deo placet) depicta dicitur, cum duobus pretioſis vaſis, altero ex alabaſtrite, altero ex acathe, quæ pro duabus cœnæ ad Canam celebratæ hydriis habent. Inde Vallettis non ſine mutuo animorum dolore dimiſſis, per Capuam veterem ad novam devenimus. Hic cum de Michaëlis Monachi tumulo inquireremus, venerabilis vir Octavius Maſſarius, eccleſiæ metropolitanæ Canonicus, nobis oſtendit novam ejuſdem auctoris appendicem ineditam ad Sanctuarium Capuanum, cujus appendicis copiam Maſſarius nobis liberaliter fecit.

CASINUM, ET SUBLACUS.

XVII. Sequenti die Caſinum adituri, ad viam publicam, quæ * Teanum ducit, advertimus lapidem quadratum, cui inſculpta erat hæc inſcriptio haud vulgata. * *Teano.*

P. TAPSENNA. P. F. PROCULUS
MILITAVIT. COHOR. X. PR. SIN
PETTIAE. URBANAE. CONJUGI

An. 1685. Novemb.

QUI. CUM. VIXIT. ANNIS. XXXII.
CUJUS. DOLOREM. ACCEPIT. ALIUM
NULLUM. NISI. MORTIS. EJUS. ET
P. TAPSENNAE. L. F. PATRI. ET
Q. TAPSENNAE. P. F. FRATRI.

Ea nocte hoſpitati ſumus in diverſorio prope Caïanellum, quod opidum *Calenolum* Herchempertus appellat : ubi egregie tractantur adventantes, quibus pluris conſtat ſomni, quam cibi refectio.

XVIII. Dominica per loca invia, prædonibus olim maxime infeſta, nempe per ſanctæ Felicitatis & ſancti Miniani vicos, opidumque ſancti Petri de Pinubus, acceſſimus ad urbem ſancti Germani, ad radices Caſini montis ſitam : ubi a reverendiſſimo Patre Abbate, Congregationis Caſinenſis Præſidente, Sebaſtiano a Mediolano, cum omni caritatis officio excepti fuimus.

XIX. Feria ſecunda, quo die ſancti Odonis abbatis feſtum apud nos celebrari mos eſt, ſacrum montem pedibus conſcendimus cum Patre Carafa Decano. Tribus horis confectus a nobis eſt arduus aſſcenſus. Ad primam cœnobii portam a quinque monachis magna cum amoris ſignificatione accepti ſumus. Ad primam aream primum, quadratis lapidibus ſtratam, porticibuſque ornatam, (Paradiſum appellant) gradibus quadraginta per ſubobſcurum fornicem aſſcenditur; inde in atrium eccleſiæ, columnis & ſtatuis inſigne, per totidem fere gradus; ac demum in eccleſiam ſubitur. In hac quadriporticu exſtant ſtatuæ ſummorum Pontificum & epiſcoporum Caſino eductorum : tum ex una parte eccleſiaſtici, ex alia ſæculares benefactores. Ad portam eccleſiæ parens uterque ſancti Benedicti, cum columna marmorea, cui impoſitum erat olim Apollinis idolum, quod ſanctus Pater comminuit. Peractis ſacris nobis occurrerunt R. P. Bernardus a Neapoli Prior, Ratchiſus Scotus, aliique. Nihil eorum in nos humanitati defuit, quam per dies decem experti ſumus ab univerſis monachis, qui eo in loco quam laudabiliter viventes divina officia, ſi uſpiam alibi in Italia, rectiſſime celebrant. Matutinum non, ut fere alibi, de die, ſed nocte aut ſummo mane perſolvunt.

Mons Caſinus, in quo ſitum eſt monaſterium, tantum habet in

bet in crepidine ſpatii, quantum ſatis eſt ad continendas regulares ædes. Eccleſia, ut in loco anguſto, magna & ampla; ut in illa montis altitudine & aſperitate, quo nulla poſſunt vehicula pertingere, magnifica & auguſta. Bipatentes portæ majoris valvæ ex ære, in quibus univerſas monaſterii poſſeſſiones litteris argenteis Deſiderius Abbas, qui poſtea Victor III dictus eſt, imprimi curavit. Ex utroque navis latere, præclara ſacella quinque cum ſuis convexis hemiſphæriis, quorum unum beato Berthario abbati, duo alia Victori III, & Apollinari abbati ſacra ſunt. Ad utrumque latus majoris altaris, hinc Vidi Ferramoſcæ, inde Petri Medicei mauſoleum. Chorus navi ſupereminet cum ara majore, & ſua teſtudine a Lanfranco præclare depicta: ſub qua jacet crypta cum altari ſancti Benedicti, aliiſque duobus Placido & Mauro nuncupatis. In ipſa crypta viſitur ſedes pertuſa ex porphyritide, omnino integra, ſimilis duabus Lateranenſibus, ſed altior. Conſtantinus Cajetanus inde probare conatur, Pontifices ſtatim poſt ſuam Romæ conſecrationem Caſinum proficiſci ſolitos ad repetendum totum ſuæ conſecrationis ritum: quod ex hac ſella Caſinenſi infert. Rectius Angelus de Nuce ſellam balneariam fuiſſe cenſet, quam veteres *ſolium* appellabant. Facile crederemus novos Abbates Caſinenſes in eam ſellam exemplo Pontificum impoſitos fuiſſe, ſi aliqua hac de re in vetuſtis libris teſtimonia ſuppeterent. Sed cum in illis nihil, ubi de Abbatum inſtitutione mentio eſt, legatur, id temere nolumus affirmare. In ſacrario Caſinenſi extremum caput Regulæ, quod propria manu ſancti Patris exaratum dicunt; & pondera panis & vini aſſervantur: ſed hæc non videntur tantæ antiquitatis. Fortaſſe hoc folium Regulæ eſt illud, quod Drogo abbas Glannafolienſis anno MCXXXIII Caſinatibus cum aliis donis obtuliſſe perhibetur in chartario Petri Diaconi. In codice quodam mentio fit de altero Regulæ autographo, quod in Majori monaſterio ſervabatur, de quo infra.

An. 1685. Novemb.

Ad ſiniſtram Caſinenſis eccleſiæ partem hoſpitium exſtat ad excipiendos peregrinos, qui frequentes eo confluunt; & ex eodem latere vetus capella ſancti Martini, ubi, ſi qui peregrini aliquando illo in loco morte intercipiuntur, ſepeliri ſolent. In ſacello beatæ Annæ conditorium eſt monachorum. Ad dextram eccleſiæ conſiſtunt regulares officinæ, clauſtrum, dormitoria, ædes Abbatis & hoſpitium, & aliæ pro loco non

Q

AN. 1685. NOVEMB. minus magnificæ, quam commodæ. Has terminat turris, in qua ſanctus Benedictus habitaſſe creditur, & in ea egregium ſacellum, picturis exquiſitiſſimis, variiſque ornamentis decoratum.

In monte aër purus, ac plerumque ſerenus, dum in ſubjecta valle denſiſſimi nimbi in multam diem ſingulis diebus æquoris inſtar ſubſidunt. Proſpectus in ipſam vallem alioqui jucundiſſimus. Tonitrua illic pæne quotidiana: terræ motus haud rari, quod ſemel nobis illic morantibus accidit. Aqua ibi nulla, niſi pluvialis.

Caſino monti non longo intervallo ſuperminet mons Caïrus, aliis Caïra, nivibus fere perpetuis rigens. In hoc monte Apollinis aram, quam ſanctus Benedictus ſubvertit, exſtitiſſe anonymus poëta, qui inſtaurationem ſacri cœnobii Caſinenſis a Deſiderio factam cecinit; immo cœnobium Caſinenſe ibidem primitus fuiſſe innuit his verſibus.

Mons ibi Caïra nomen habens,
Omnibus eminet: ipſe quidem
Pectore mœnia priſca nimis
Pertulit, in quibus ara fuit
Qua perhibetur Apollo coli.
Hic Pater ante monaſterium
Conſtituit Benedictus, habens
Pignora luminis ætherei,
Plebs quibus inſcia dæmonicis
Eriperetur ab opprobriis.

Verum hoc loco Caïræ *pectus* ſeu venter prominens Caſinum montem haud dubie ſignificat, ut ex ſequentibus verſibus intelligitur: cujus comparatione Caïra Caſini montis vertex cenſeri poteſt. Sacri montis ac monaſterii ſpecimen in adjuncta tabella expreſſum eſt, quod Lectoribus non ingratum fore ſperamus.

Prima nobis de libris cura poſt res ſacras. Bibliotheca novo opere conſtructa eſt prope Capitulum: libri omnes de novo eadem forma operti. Superſunt membranei codices ad quingentos, multis hac illac diſtractis. Quoſdam in Vaticano invenimus: in his unum, in quo Gregorii & Victoris III de ſancto Benedicto Dialogi, & quidquid ad ſanctum Patrem pertinet, continentur, cum variis monachorum atque Abbatum figuris, in quibus cuculla atra, toga alba depingitur. Lon-

Iter Ital. ad Pag. 122.



gum eſſet recenſere quæ ex illa Bibliotheca depromſimus. Inedita ſunt quædam, nempe liber *Scintillarum ſeu ſententiarum*, quas ex Catholicis Patribus excerpſit DEFENSOR *Grammaticus & monachus Lociagenſis* apud Pictones, vetus auctor, ut qui nullum e Patribus Iſidoro poſteriorem adducit. Eſt & aliud ejuſdem argumenti JOHANNIS ABBATIS, ejus ſcilicet qui libros tres de vita Odonis abbatis Cluniacenſis compoſuit, *Opuſculum ex Gregorii Moralibus defloratum:* in quo auctor alia ſua ſcripta commemorat. Anonymi etiam *liber de ſacra expeditione* tempore Urbani II. Multa ibidem *Petri Diaconi*, & aliorum opuſcula itidem inedita. Ex Martyrologio veteri diſcimus, Thomam Aquinatem Caſini monachum fuiſſe, antequam in Dominicanorum religionem convolaret. Ita enim de eo Nonis Martii ſecunda quidem manu, ſed ante annos trecentos adſcriptum legitur. *Nonis Martii apud Foſſamnovam natale ſancti Thomæ confeſſoris, viri eruditiſſimi: qui oriundus de Aquino, primo Caſinenſis monachus factus, poſtmodum in Ordine beati Dominici frater Prædicator effectus, ſua multiplici & fructuoſa doctrina illuminavit valde Eccleſiam ſanctam Dei.* AN. 1685. NOVEMB.

In eadem bibliotheca habetur codex græcus bonæ notæ, quædam *Gregorii Nazianzeni* opera complectens, quædam etiam ſancti Nili *de Chriſtiana philoſophia* &c. quo codice uſus eſt Iſidorus Clarius ad hunc librum e græco transferendum in latinum, ut inferius videbimus. In alio codice græco quædam item *Johannis Damaſceni*. Ex latinis potiores ſunt codices, qui *Ferrandi Diaconi* epiſtolas; *Auguſtini* operis imperfecti libros tres priores *contra Julianum; Gregorii Turonenſis* epiſcopi hiſtoriam, quæ in nonnullis ab editis differt; *Auxilii Presbyteri* quæſtiones in Geneſim; *Palladium de re ruſtica*, & *Frontini* librum *de Aquæductibus*, continent. Hoc poſtremo Caſinenſi codice uſus eſt Poggius ad vulgandum prædictum Frontini librum, quem, quia deficiente edito conferre nobis non licuit, integrum deſcripſimus. Manus ad ſcribendum, & ſe ipſum totum in noſtros uſus impendit pius & cordatiſſimus Domnus Eraſmus a Caïeta. Unum nobis defuit ex Caſinenſi bibliotheca volumen, quod inſpicere non potuimus, illud ſcilicet, quo uſus eſt Lupus Auguſtinianus ad vulgandas inſignes illas epiſtolas, quæ ad Concilium Epheſinum pertinent. Inquirentibus nobis dictum eſt, Romam fuiſſe miſſum, poſtulante R. P. Procuratore generali: qui poſt reditum noſtrum aſſeruit, illum codi-

An. 1685. Novemb. cem eſſe in palatio apoſtolico: nec quidquam aliud de eo a quoquam elicere valuimus. De aliis quibuſdam codicibus aliqua obſervare juvat.

In variis codicibus diverſi reperiuntur *ſancti Severiani* Gabalitani epiſcopi ſermones, ſed non tot, quot in codice bibliothecæ Ambroſianæ, nec omnino iidem. Unus eſt, *cum de expulſione ejus ageretur.* Alius *de pace, cum ſuſceptus eſſet ab epiſcopo Johanne*, ſcilicet Chryſoſtomo. Prior ita incipit. *Multi quidem fluctus, & undæ immanes: ſed ſubmergi non vereor, quia ſupra petram ſto. Inſaniat licet mare, petram non poteſt commovere: inſurgant quantumlibet fluctus, navis Jeſu obrui non poteſt. Sed quod putant, ne mortem verear; cur verear, cui vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum? ne exſilium pertimeſcam, qui Domini noverim eſſe terram, & plenitudinem ejus. Sed bonorum proſcriptionem metuam? qui ſciam, quod nihil intulerim in hunc mundum, ſed neque auferre quid poſſum. Quicquid terrori habet mundus, contemno: quicquid delectabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non pertimeſco. Mortem non timeo. Vita enim mihi ad veſtrum profectum tantummodo ducitur.* Hæc in ſpecimen ſufficiant. nam poſterior ille, de quo mox diximus, ſermo inter homilias Chryſoſtomi vulgatus eſt.

De Regula ſancti Benedicti hæc legimus in quodam codice Caſinenſi ad librum, qui inſcribitur *Ordo monaſticæ converſationis*, editus apud Haëftenum. *Hæc verba ſanctiſſimi patris Benedicti reperta ſunt in fine Regulæ, quam ipſe propriis manibus ſcripſit, & ſancto Mauro, cum ad Gallias mitteretur, tradidit: quæ domnus Petrus Abbas Cluniacenſis, cum ad Majus-monaſterium Turonenſe in eadem Regula, quæ ibi pro reliquiis ſervatur, inveniſſet, rogavit ſibi tranſmitti.* Eadem verba, ſuppreſſo Petri nomine, refert Brovverus in Hiſtoria Fuldenſi: ſed ita ut referantur, non ad librum de Ordine monaſticæ converſationis, verum ad hæc, quæ ex codice Fuldenſi ab eodem Brovvero, tamquam ex Turonenſi exemplari deſumta adducuntur. *Codex peccatoris Benedicti. Væ mihi miſero habenti contrariam mihi rem: qui reus in omnibus, quæ adverſantur moribus meis malis. Tu vero horum lector, ſi tuam videris vitam concordare præceptis, orans pro ſcriptore, codicem redde domino ſuo.* At vereor, ut hæc clauſula, quæ in fine Regulæ in exemplari Turonenſi legebatur, ſit tantum exſcriptoris, non auctoris. Quidquid ſit, modo periit hoc exemplar, aut ſaltem in alienas manus pervenit. Parcat

Brovver. pag. 172.

lector, ſi tantiſper in res monaſticas exſpatiamur: locus excuſat & occaſio. AN. 1685. NOVEMB.

De vita ſancti Placidi apud Caſinum diligenter inquiſivimus, & de vita ſancti Mauri. Triplex ibi reperta beati Placidi vita: una jam vulgata ſub nomine Gordiani, antiqua: altera per Petrum Diaconum ac monachum Caſinenſem, ad Gregorium præſulem: tertia per Stephanum Anicienſem. utraque inedita, & ex græco (ſic iſti auctores aſſerunt) tranſlata. Primæ vitæ folia ante annos ſeptingentos deſcripta, ad compingendos alios codices detracta invenimus. In vetuſto Kalendario Caſinenſi, quod annos ſexcentos præfert, hæc adſcripta ſunt aureis partim litteris. III *Non. Octob. apud Siciliam natalis ſancti Placidi beatiſſimi martyris cum ſociis ſuis, Eutychio, Victorino, & aliis triginta: pro quo pater ejus Tertullus Patricius decem & octo patrimonii ſui curtes beatiſſimo patri Benedicto obtulit.* Hæc primaria manu: ſed *Octavæ ſancti Placidi*, minus antiqua. De ſancto Mauro id invenimus in veterrimo codice, olim Nonantulenſi, nunc ſanctæ Crucis in Jeruſalem, qui codex a Leopardo abbate Nonantulenſi *acquiſitus eſt,* eum in Litaniis appellari poſt ſanctum Benedictum. Leopardus ordinatus eſt abbas anno DCCC XCIX. Codex ipſo antiquior. Ad hæc in bibliotheca Caſinenſi exſtant veteres loci ritus ſub Berthario abbate, ubi jejunia eccleſiaſtica tempore æſtatis ad nonam, alio tempore ad veſperam uſque præcipiuntur. Hæc, inquam, ſub Berthario abbate: cui a Petro Diacono tribuitur *liber Anticimenôn, id eſt, quæſtionum de libris veteris & novi Teſtamenti,* qui liber Juliano epiſcopo rectius adſcribitur a Felice epiſcopo Toletano in appendice ad librum Iſidori de Scriptoribus eccleſiaſticis. Exſtat hoc opus Caſini, tempore Berthari abbatis exaratum, uti indicant ſubjecti verſus, quorum duo primi Petro aliiſque anſam dederunt ipſum opus Berthario adſcribendi.

Bertharius Chriſti fultus juvamine ſanctus
Presbyter hunc librum condere juſſit amans.

Poſt bibliothecam nobis archivum luſtrare conceſſum eſt, omnium totius Italiæ præſtantiſſimum. Præter authentica inſtrumenta innumera, quæ habentur a tempore Berthari abbatis, adſunt etiam varii codices; in quibus integra diplomata & privilegia referuntur. Unus eſt Petri Diaconi cum præfatione ad Seniorectum abbatem, cujus hortatu id operis aggreſſus eſt Petrus, accedente etiam Roberti Capuanorum Principis in-

An. 1685. Novemb. terpellatione. Totum librum in ſex dividit ſectiones pro totidem argumentis, id eſt, *privilegiis, præceptis, oblationibus, libellis, renunciis, & ſacramentis.*

XXVIII. Albaneta Caſini prædium eſt uno inde milliari, olim monaſterium, in quo Lucius monachus Cavenſis piiſſimus ante annos quingentos ſe recepit: & longe poſt eum ſanctus Ignatius Loyola, ut ad fundandum Soc. Jeſu inſtitutum in illo ſeceſſu ſe diſponeret, hic exercitia ſacra frequentavit. Ob id Novitii Patrum, qui in illis partibus degunt, Albanetam religionis cauſa paſſim adeunt.

Dum a ſtudiis vacaremus, identidem interfuimus collationibus & diſputationibus publicis, quæ apud Caſinates noſtros frequentiſſime fiunt de rebus theologicis & philoſophicis, maxime moralibus; nec raro etiam de Scripturis ſacris. Ejuſmodi collationes paſſim conditæ orationibus & poëmatiis, ut hoſpitibus ſuis gratificarentur. Sane apud Caſinates præclare inſtituuntur juvenes, qui per ſex annos continuos ſub accurata magiſtri diſciplina in Novitiorum conclavi privato degunt: ubi in officiis pietatis atque in litteris accurate exercentur. Eadem in aliis etiam Caſinenſium cœnobiis inſtitutio viget, in quibus præclara ſemina conſervandæ religionis obſervavimus, ſi modo conceptos ignes retineant in adulta ætate. Neque vero Caſini deſunt emeriti ſenes, fervore & diſciplinæ regularis ſtudio ipſis etiam juvenibus ſuperiores: quorum ſi revelaremus nomina, modeſtiam & latendi deſiderium forſan offenderemus.

Prope archivum inſignis eſt inſcriptio lapidi inciſa, quam nec apud Gruterum, nec apud Reineſium invenimus.

C. UMNIDIO. C. F. TER. DURMIO
QUADRATO. COS. XV VIRO. * S. F
LEG. TI. CAESARIS. AUG. PROV. LUSIT.
LEG. DIVI. CAES. AUG. D. F. IN. LYRICO
EJUSDEM. ET. NERONIS. CAESARIS
AUG. IN. SYRIA. PROCOS. AUG. AD. CUR.
P. R. AER. XVIRO. STLIT. JUD.
CURAT. TABULAR. PUBLICAR. PRAEF.
FRUM. DANDI. EX. S. C.

* *Sacris faciundis*

Hoc ultimum eſt quod Caſino reportavimus monumentum. In antepænultimo verſu, STLIT. JUD. id eſt, *Litibus judicandis.* nam *ſtlitibus* pro *litibus* paſſim legitur in vetuſtis inſ-

criptionibus, ut apud Gruterum CCCL. num. 9. & M XXV. 2, & alibi. Unde abſque intermedio puncto conſimilis legenda inſcriptio apud Boiſſardum.

An. 1685. Novemb.

Boiſſard. 3. part. fol. 45.

XXIX. Caſinatibus noſtris cum multa gratiarum actione vale dicto, iterum ad inferius ſancti Germani monaſterium, proſequente ad primam Caſini portam univerſo amantiſſimorum Patrum cœtu, nos recepimus, ut die ſequenti Sublacum verſus iter inſtitueremus. Henricus a Gandavo, & Eraſmus a Caïeta nos in deſcenſu comitati ſunt. Reverendiſſimo Patri Præſidenti, qui tum in lecto ex dolore pedum decumbebat, actis ex animo gratiis, ipſe ſuam viciſſim operam, ſi quando ea opus haberemus, verbis & poſtea litteris pollicitus eſt. Egreſſi ex opido ſancti Germani, vidimus reliquias veteris amphitheatri in loco, ubi olim Caſinum opidum ſitum erat; deinde villæ Varronis, quod teſtes idonei probant. Ejuſdem Varronis ſine ſcripto monumentum ibidem ſupereſſe Puccius apud Jovianum Pontanum in Dialogo Ægidii refert. Paullo poſt Plumbariolæ, olim monaſterio, nunc prædio ad ſiniſtram relicto, miſerati ſumus ruinas ingentes Aquinatis civitatis, cujus eccleſia cathedralis neglecta, conſpurcata, violata; tumuli effoſſi, altaria diruta, parietes ex impluvio ruinæ proximi. Exſtant adhuc veteris amphitheatri rudera ad majorem cumulum doloris, quod civitas olim illuſtris ad eum redacta ſit ſtatum. Epiſcopus loci in proximo ſancti Germani opido plerumque verſatur. Ipſo die ſancti Andreæ Friſenonium opidum, triginta millibus a Caſino, hoſpitium nobis præbuit.

I. Poſt Guercinum opidum ingreſſis in lucos & in Alpes ſeſe obtulit veteris muri ſemiruti, ac portæ in ipſis ſilvis haud inelegantis fabrica; moxque in ſubjecta valle fons Anionis, qui triplici capite, cum magna aquarum copia, ex rigidiſſima rupe erumpit, & per aquæductus demum Romam partim perducitur, Trebia nuncupatus. Eadem die per continuam vallem pervenimus ad monaſterium ſanctæ Scholaſticæ, quod Sublacenſi ſpecui proximum eſt, olim ſancti Benedicti & ſanctæ Scholaſticæ appellatum. Sanctum Silveſtrum addit Anaſtaſius in vita Leonis IV. ubi hæc leguntur. *Ipſe vero præclarus antiſtes, ſuperno inflammatus amore, obtulit in monaſterio ſancti Silveſtri, ſanctique Benedicti, & ſanctæ Scholaſticæ, quod nuncupatur Sublacus, veſtes de fundato tres, & vela ſimiliter de fundato ſeptem.* Nunc ſanctæ Scholaſticæ cœnobium ſimpliciter appellatur, ſitum

Decemb.

An. 1685. Decemb. in aſſcenſu montis, qua in ſacram ſpecum aſſcenditur, media videlicet via inter ipſam ſpecum & opidum Sublacenſe. Illic duodecim cum Abbate regulari monachi vivunt, cum tenui cenſu. Abbatialis menſa Cardinali Barbarino commendata eſt, uti & Farfenſis. Triplex fuit illius monaſterii ſub Abbatibus ſtatus. In primo ſtatu, qui a conditione loci ad Urbanum VI perſeveravit, Abbatis electio per monachos; confirmatio per Pontificem de more fiebat. Urbanus VI abbatis perpetuitate ſublata, manuales, id eſt ad nutum Pontificis mobiles, inſtituit: ſed ita ut ex monaſtico ordine eligerentur. Hic ſecundus ſtatus ad Calliſtum III. qui Abbates perpetuos regularibus ſuffecit, quorum primus fuit Johannes a Turre-cremata Cardinalis, & poſt hunc Rodericus Borgia Valentinus, qui poſt modum Alexander VI. a quo tranſivit abbatiæ titulus ad Columnenſes in centum & ſexdecim annos; & ab his ad Barbarinos, qui hactenus ea fruuntur. Regimen monachorum eſt penes Abbatem regularem: quod officium modo recte adminiſtrat religioſiſſimus Pater Michaël Angelus Invrea, nobilis Genuenſis. In clauſtro eccleſiæ vicino legitur barbara hæc inſcriptio. * *Sculum quintanas & feneſtras cum pabimento Quojutor qui pro amore Dei & beati Benedicti abbati, qui in hunc locum magnum certamen habuit.* Tum ſequitur: *Edificatio ujus eccleſiæ ſanctæ Scholaſticæ tempore domni Benedicti* VII *PP. ab ipſo Papa dedicata, quod ſunt ab Incarnatione Domini* CCCCCCCCC LXXXI. *menſe Decembri die* iiii. *Indict.* VIII. Ad portam eccleſiæ ſanctæ Scholaſticæ (cui adjacebat ſanctorum Coſmæ & Damiani Oratorium, quod modo in Capitulum converſum eſt) hæc item leguntur. *Anno* IV *pontificatus domini Leonis Papæ, Humbertus venerabilis abbas ædificavit opus egregiæ turris ad honorem Chriſti Confeſſoris Benedicti, ejuſque ſororis ſanctæ Scholaſticæ virginis: ubi breviter annotavit ea, quæ continentur in Præceptis hujus venerabilis monaſterii. In primis ſpecum: duos lacus: fluminis decurſum cum molis & piſcariis ſuis &c.* quæ opportunius alibi referemus cum chronico ejuſdem monaſterii. In ſacrario corpus ſanctæ Chelidoniæ aſſervatur. Bibliotheca olim plurimis referta libris, nunc ad paucas editiones veteres redacta eſt. Archivum abſente cuſtode videre non potuimus. E paucis qui reſtant manuſcriptis codicibus, unus eſt *Adalgeri epiſcopi ad Roſvvidam reclauſam* de rebus moralibus; liber ſeu tractatus qui vocatur *Linea ſalutis monachorum ſive eremitarum, compoſitus*

* *ſ. Scalam*

compoſitus a religioſo viro fratre AMBROSIO *de Florentia, Generali Ord. Camald.* Dialogi more ſcriptus eſt liber, totuſque conſtat ex ſententiis Patrum. Tranſlatio librorum Dionyſii de myſtica Theologia, cui præmittitur Prologus JOHANNIS SARACENI, tranſlatoris ejuſdem libri, ad Odonem abbatem ſancti Dionyſii: qui Johannes ejus rei gratia in Græciam ſe profectum fuiſſe tradit; mentionemque facit de VVillelmo monacho, qui librorum cauſa itidem in Græciam miſſus fuerat ab Odone abbate, cui & ipſe VVillelmus ſucceſſit. Is eſt qui anno MCCLII, teſte VVillelmo Nangio, ſancto Ludovico, in tranſmarinis partibus commoranti, navem pannis variis, caſeis & volatilibus oneratam, per duos ejuſdem loci monachos miſit. Ceterum Johannes ille Saracenus fuit abbas Vercellenſis, ut ex appoſita dorſo codicis epigraphe intelligitur. AN. 1685. DECEMB.

II. Dominica prima Adventus ſacram ſpecum, quæ mille paſſibus inde abeſt, conſcendimus non ſine geſtientis animi gaudio, dum tritam a beatiſſimo Patre atque ſanctis hominibus viam incederemus. Specus ipſa in medio abrupti montis ſita eſt, mille paſſus ſupra anguſtiſſimam vallem, in qua Anio amnis inſtar torrentis præceps decurrit. Directum habet ad meridiem proſpectum in oppoſitum montem, anguſta valle a ſpecu diſcretum. Spatium quod eo in loco negaverat natura, ars & induſtria hominum dedit, tantum ſcilicet, quantum ad Oratorium & ad viginti monachorum cellas cum hortulo ſufficit. Ibi unicus modo degit monachus cum ſocio ex eorum numero, quos Commiſſos vocant, nos Converſos, diebus feſtis violaceo pallio indutos. Oratorium in tres partes dividitur, ſuperiorem, mediam, & infimam. In hac ſpecus eſt ſanctiſſimi Patris, ſtatura hominis non longior, paullo minus alta: ubi ſignum piiſſimi adoleſcentis ex marmore ab Equite Bernino egregie fictum. Ara ad ſpecus ingreſſum poſita eſt, ubi ſacra celebravimus. In medio ordine plura ſunt altaria, unum ſancto Gregorio ſacrum, ad quod hæc leguntur de Gregorio IX. *Hic eſt Papa Gregorius, olim epiſcopus Oſtienſis, qui hanc conſecravit eccleſiam.* Tum ſubjiciuntur hi verſus de eodem, qui illic per duos menſes quondam reſederat.

Pontificis ſummi fuit anno picta ſecundo
Hæc domus: hic primo quo ſummo fulſit honore
Manſerat, & vitam cæleſtem duxerat idem,
Perque duos menſes ſanctos maceraverat artus:

An. 1685. Decemb.

Julius eſt unus, Auguſtus fervidus alter.

In ſacrario oſtenditur tintinnabulum, quo utebatur Romanus, cum ex rupe ſpecui eminente panem Benedicto ſubminiſtrabat.

ROMA SECUNDO.

* Tivoli.

III. Sublacus unius diei itinere Roma diſtat. * Tibur in itinere obvium propter anguſtias temporis a nobis prætermiſſum. In diverſorio proximo, cum reficiendis equis pabula quærimus, negavit hoſpes, nempe ut nos ea nocte apud ſe retineret. Memini aliquando nobis Arona Mediolanum revertentibus, cum à fabro ferrario clavos aliquot ad ferrum equi firmandum peteremus; religione ſe teneri, quo minus id faceret, reſpondit vir bonus, integrum ferrum eſſe neceſſarium. Sic illi viatoribus illudunt nonnumquam. Hoc tamen habent commodum & liberale, quod peregrinum atque advenam irridere, vel ferociore dicto aut facto quemquam, niſi provocati, laceſſere nefas putant. Albula fluviolo, cujus aqua fervens, ripæ ſulphureo colore infuſcatæ, pertranſito, inde Romam denuo appulimus.

XIII. Sanctæ Luciæ die feſto ſollemnes gratiarum actiones quotannis Deo fiunt in baſilica Lateranenſi ob memoriam converſionis Henrici IV Francorum regis, cujus ſtatua ex ære ad porticum ejuſdem baſilicæ lateralem poſita eſt. Monumentum hujuſce converſionis cernitur e regione eccleſiæ ſancti Antonii, ubi religioſi Galli degunt, prope ſanctam Mariam-majorem, erecto ſigno crucis cum inſcriptione: quam quia nebulones quidam ex parte violarunt, integram huc referre non pigebit.

D. O. M.
CLEMENTE IIX. P. M.
AD MEMORIAM
ABSOLUTIONIS HENRICI IV FRANCIÆ
ET NAVARRÆ REGIS CHRISTIANISSIMI,
Q. F. A. D. XV. KAL. OCTOB.
CIↃ IↃ XCV.

XVI. Scheleſtratus nobis dono dedit librum ſuum de Concilio Conſtantienſi: ſequenti vero die oſtendit codices Vaticanos, quibus uſus eſt in iſto libro contra Mamburgum,

ut probaret hæc verba Seſſionis quartæ, *quoad reformationem in capite & in membris*, in antiquis Concilii codicibus deſiderari. Unus codex habet (quod Scheleſtratus ipſe bona fide non diſſimulavit) hunc articulum Seſſionis quartæ non integre fuiſſe lectum, ſed ſuppleri ex Seſſione ſequenti. An 1685. Decemb.

XXV. Natali Domini ſacrum Præſepe in baſilica ſanctæ Mariæ-majoris expoſitum erat ſuper altare in quodam reliquiario, domunculæ inſtar fabricato, longitudine duorum circiter pedum, latitudine non integri unius pedis. Ligni partes carioſæ ſimul colligatæ ſunt.

Inde tranſito Coliſæo venimus ad Oratorium ſancti Sebaſtiani, in monte Palatino ſitum, prope arcum Titi Auguſti, quem arcum *Ad ſeptem Lucernas* appellatum invenimus a ſeptifido candelabro templi Jeroſolymitani, illi inciſo ob memoriam ſubactæ civitatis. Eamdem ob cauſam *Arcum recordationis* dictum opinamur in Deſcriptione urbis Romæ, quam in tomo IV Analectorum retulimus. In prædicto oratorio ſancti Sebaſtiani (Sebaſtianellum vocant) retro altare, veteres parieti appoſitæ ſunt picturæ. Has Conſtantinus Caïetanus excudi curavit, ratus in eis repræſentari ſanctum Benedictum inter apoſtolos Petrum a dextris, & Paulum a ſiniſtris. Verum potius eſt imago beatiſſimæ Virginis, uti colligitur tum ex facie oblonga & imberbi, tum ex lineo panno circa collum, ſanctimonialium inſtar; tum ex velo a capite dependente; tum denique ex adjunctis verſibus, quos partim mox referemus. Illud tamen obſtare videtur, quod manum dextram extendit benedicentis in morem, tenetque librum manu ſiniſtra. Sed cum cetera conveniant, hæc neutiquam a ſententia recedere nos cogunt. In ſuperiori parte parietis cernitur Chriſti Domini cum ejus monogrammate effigies, habentis manus expanſas ſuper Epiſcopum, græcanico ritu indutum, adhærente Diacono: ſiniſtram vero porrectam ad feminam quamdam, quæ puſionem in cunis ipſi offert, adſtante ſubdiacono cum libro. Radiatas habent omnes, etiam mulier, coronas. quod indicium eſt probatæ ac receptæ ſanctitatis. Ad pedes eorum multitudo agnorum, quales in antiquis muſivis & picturis paſſim occurrunt. In ordine medio varii depinguntur ſancti, in medio Epiſcopus manibus hinc inde ad pectus ſupine porrectis, cum duobus utrimque Seraphinis, qui Chriſti monogramma una manu, alia labarum gerunt cum triſagio. Sub eorum pedibus inſcripti erant

An. 1685. Decemb. ſex verſus ſemeſi, ex quibus hæc tantum expiſcari potuimus.

Virgo Redemtoris genitrix & ſplendida mater,

....X R I....

... Sebaſtiano vota...

... illuſtris medicus....

.... capiat veſtris cæleſtia regna.

Primum ex his verſibus referri non poteſt niſi ad beatiſſimam Virginem, quæ in infimo (ut diximus) ordine media inter apoſtolos Petrum & Paulum depicta eſt. Sub eorum pedibus hæc inſcriptio legitur.

EGO BENEDICTUS PRB. ET MONACHUS PINGERE FECI.

Conſtantinus legit PP. I. id eſt, *Papa primus*. Verum conſulta uſque tertio ſcriptura, indubie ita legendum eſſe cenſuimus, PRB. id eſt *Presbyter*. Etſi enim aliquid de ſecundæ ac tertiæ litteræ characteribus detritum eſt, remanent tamen ſufficientia veſtigia ad lectionem noſtram confirmandam. Neſcio an Benedictus ille idem ſit cum Benedicto preſbytero, qui vitam Damaſi Papæ, rogante Petro eccleſiæ ſancti Laurentii ad Damaſum preſbytero, in litteras retulit, qualis a Sarazanio edita eſt. Sed de illis picturis ſatis.

Inde ad antiquiſſimam ſancti Georgii in Velo-aureo baſilicam, quæ fere numquam patet, adivimus. Eodem modo conſtructa eſt, atque aliæ veteres baſilicæ, nempe abſque fornice & laqueari, præterquam in apſide. Altare majus apſidi obverſum eſt, ita ut ſacerdos populum ſpectet. Sic ad ſanctum Petrum in Vaticano, in Lateranenſi baſilica,ad ſanctam Mariam-majorem, ad ſanctum Clementem, ad ſanctos Petrum & Marcellinum, ad ſanctam Mariam trans Tiberim, ad ſanctum Chryſogonum, & ad ſanctam Cæciliam, (ſed non ad ſanctum Paulum), & in aliis non paucis, quarum portæ Orientem ſpectant. quæ ratio movit, ut ſacerdos ad populum converſus ſacra faceret, ne ab Oriente oculos ac faciem orando, ac ſacris operando averteret.

Non longe ab ſancto Georgio eſt templum ſancti Theodori, quod olim Romuli fanum erat, rotundo opere, ſed abſque ornatu. Nicolai V nomen in porta hinc inde primis dumtaxat litteris deſignatum eſt, cum inſignibus pontificiis. In illud templum ſeptem octove gradibus abrupte deſcenditur propter ſoli elevationem.

XXVIII. Bibliothecæ Barbarinæ forulos, annuente cum eximia benevolentia eminentiſſimo Carolo Cardinale, revolvere cœpimus. Nulla Romæ poſt Vaticanam numeroſior. Ad eam nos deduxit amicus noſter Guillelmus Leſlæus Scotus, Theologus Cardinalis familiaris; nobiſque ſe facilem exhibuit eruditus bibliothecæ præfectus Petrinus, canonicus Præneſtinenſis. Invenimus in primis collectionem Africæ Conciliorum, quam Lucas Holſtenius meditabatur: ſed imperfectum opus & inelaboratum, ſine rerum ordine, nihil non editum continet. Inedita ſunt *acta Concilii Tridentini* per Gabriëlem Palæotum Cardinalem; item *Vicecomitis epiſtolæ* de rebus ejuſdem Concilii ad Cardinalem Borromæum, cum Pii IV commonitorio ad eumdem Vicecomitem. Ad hæc *Nicolai Fabricii Peyreſchi epiſtolæ* ad diverſos. Ibidem *Codex Canonum* miræ antiquitatis, itemque *Ordo Romanus* vetuſtiſſimus. Rurſus ex minime vulgatis epiſtola Proſperi Phaneli Calabri, monachi Caſinatis, *an Chriſtus Dominus in cæna Emauntina uſus fuerit ſigno crucis ad benedicendum panem.* quod ipſe negat. Multa ex variis codicibus deſcripſimus: Chronicon Sublacenſe, fragmenta Chronici ſancti Vincentii ad Vulturnum a Cheſnio prætermiſſa, cujus Chronici autographum ibidem habetur. In illo autographo variæ depinguntur figuræ, Abbatis una cum baculo non recurvo, ſed in T deſinente. Vincentius diaconus & martyr pingitur cum ſtola ex humero ſiniſtro dependente, & manipulo digitis extra pollicem impoſito. Item monachus cum tunica alba & ſubatro ſcapulari, quod tribus redimiculis ad utrumque latus adſtrictum eſt. Denique, ne ſimus nimii, pro *Zmilla*, quod nomen Reginæ legitur apud Cheſnium tomi tertii pag. 683. in codice habetur *Ymilla.* Ex eadem Bibliotheca eruimus *Proſperi Sanctacrucii*, Nuntii apoſtolici in Gallia, libros tres commentariorum *de civilibus Galliarum diſſenſionibus* tempore Caroli IX. quibus Proſper præſens adfuit.

XXX. Dominica Miſſam celebravimus ad ſanctum Paulum, ubi vidimus ligneam Crucifixi effigiem, quem ſancta Brigida ſibi loquentem audiſſe perhibetur. Ad ſanctos Coſmam & Damianum vetus Crucifixi figura talari veſte induta eſt. quod de quibuſdam aliis obſervavimus. Exſtabat olim ſupra portam veteris ſancti Petri baſilicæ Vaticanæ imago Crucifixi, a collo ad pedes operta, opere muſivo depicta per Johannem papam VII. cujus imaginis typum exhibuit Angelus Rocca in libro

An. 1685. Decemb. ſuo de Particula ſanctæ Crucis.

XXXI. Cum inter loquendum de eccleſiaſticis rebus ſermo incidiſſet de fermento, quod Romani Pontifices antiquitus per eccleſias mittebant, Joſephus Maria Thomaſius dixit ſe probare id, quod de ejuſmodi fermento in noſtro Itinere Germanico obſervatum erat, nempe nihil aliud eſſe quam Euchariſtiam conſecratam: alia ſibi ejuſdem ſententiæ ſuppetere argumenta, quæ nobis ſuppeditavit. Porro hujuſce ritus originem ſibi videri referendam ad Zephyrinum papam, de quo legitur in Propylæo ad tomum I Aprilis Bollandiani, eum feciſſe hoc conſtitutum, *ut patenas vitreas ante ſacerdotes in eccleſia miniſtri portarent, dum epiſcopus Miſſam celebraret.* Hujus autem muneris miniſtros fuiſſe acolythos, e quorum numero fuerit
„ ille Tharſicius, qui cum quodam die deferret Chriſti corporis
„ ſacramenta, nec vellet ea diſcutientibus prodere paganis; tam-
„ diu eſt fuſtibus ac lapidibus maceratus ab eis, quouſque exha-
„ laret ſpiritum, ut in Martyrologio Uſuardi legitur ad XVIII Kal. Sept. Subjunxit Thomaſius mirari ſe, ex Amalario neminem obſervaſſe, quod antiphonæ olim poſt ſingulos cujuſque pſalmi verſus repetitæ fuerint: reſponſoria integra a cantore primum decantata ad verſum; deinde a choro repetita; & poſt verſum a cantore cantatum, iterum a clero repetita: ſecus in Gallia. Verum hæc ipſe fuſius in Præfatione ad ſuum Antiphonale, & nos quoque alias.

An. 1686. Januario VI. Cum ſolita humanitatis & obſequiorum officia amicis noſtris de more perſolviſſemus, ad viſendam ſanctæ Crucis in Jeruſalem bibliothecam, cujus jam ſuperius mentio facta eſt, non ſemel nos contulimus, favente humaniſſimo & religioſiſſimo abbate Coſmo Annono Mediolanenſi. Inter illa quæ deſcripſimus, non ultimo loco cenſendum eſt ſancti Anaſtaſii martyris miraculum, factum in ejus baſilica ad Aquas-ſalvias tempore Conſtantini papæ, octavo ſæculo ineunte. In pervetuſto codice, qui fuit quondam monaſterii Nonantulenſis, *de acquiſito domni Leopardi abbatis*, anno undenongenteſimo ordinati, continetque excerpta ex Hieronymi commentario in Pſalmos, præmiſſa ejuſdem epiſtola ad Sunniam & Fretelam; primo loco habentur Litaniæ veteres, in quibus Confeſſores inter laudantur *Polycarpus, Eleutherius, Grammatius, Conſtantius, Damaſus, Innocentius, Gelaſius, Victor, Poſſidonius, Oroſius, Priſcus, Ruffus, Rufinus, Paulus, Paulinus, Felix, Lucius, Fortunatus, Dona-*

tus, *Benedictus*, *Maurus*, *Antonius*, *Effrem*, *Euphroſinus*, *Sabinus*, *Probus*, &c. Superſunt in illa ſanctæ Crucis bibliotheca codices numero CLXXII. Bibliothecarius Carolus Emmanuel Scottus, itidem Mediolanenſis, humaniſſimus adoleſcens, operam ſuam nobis contulit.

XIII. Eminentiſſimus Cardinalis Capiſucchius ad ſuam audientiam nos benigne invitavit admiſitque. In ſermone familiari actum eſt de ſententia piæ memoriæ Cardinalis Bonæ de Azymo, quam ſibi non probari dixit. Actum eſt etiam de Gotheſcalco & de Prædeſtinatianis, quos nequaquam ficticios eſſe Cardinalis cenſet. Idipſum nuperrime Seraphinus Piccinardus e Prædicatorum cœtu demonſtrandum ſuſcepit, edito Patavii libro anno ſuperiori ſub titulo *Prædeſtinatus*.

Per hoſce dies, cum baſilicam, quæ Ara-cæli vocatur, adiſſemus, expoſito illic magna cum pompa Cardinalis Savelli recens mortui cadavere, quatuor famuli in quatuor funeris angulis ampliſſima flabella movebant ad abigendas muſcas, quæ per id tempus non admodum infeſtæ erant. Sed ita præcipiunt cæremoniarum leges. Eo in loco Jovis Capitolini quondam templum ſtabat. Gradibus centum viginti in baſilicam ſcanditur. Ibi olim Benedictini verſabantur. Eccleſiæ machinam ſuſtinent columnæ marmoreæ : tholum ornant elegantes picturæ. Ad ſiniſtram altaris partem ſacellum & ara cum quatuor columnis, ſub qua corpus ſanctæ Helenæ in urna porphyretica jacere creditur. tametſi ad Altivillarenſe Campaniæ noſtræ monaſterium tranſlatum fuiſſe quidam veteres Galli ſcriptores tradunt. Non longe inde abeſt eccleſia & xenodochium beatæ Mariæ de Conſolatione : ubi quædam Antonia teſtamento mandavit, cadaver ſuum in oſſeam compagem redigi ad uſum medicorum. quod ab illuſtri quodam Sancto recentiori itidem de ſuo præceptum fuiſſe accepimus.

XV. Cœmeterium recentiſſime detectum eſt ad portam Majorem prope aquæductum Sixti V. quod cœmeterium Caſtuli eſſe exiſtimant. Integri loculi reperti, integræ etiam quibuſdam in locis inſcriptiones, quarum una erat cujuſdam feminæ A BALINEU AUGUSTAE. In loculis Martyrum erant vitra ſanguinis maculis adhuc rubentia.

Poſt ſex dies iterum eodem reverſi, quædam corpora, quæ

AN. 1686. JANUARIO ſanctorum eſſe creduntur, e tumulis extulimus, procurante Fabretto. Ex illis quorum corpora ſuſtulimus, tres nominibus ſuis deſignati erant, EXSUPERIUS, MACEDONIUS *bonæ memoriæ* dictus, tametſi anno ætatis dumtaxat duodecimo deceſſiſſe dicitur in lapide adjuncto; & alius, cujus nomen litteris græcis adſcriptum erat, ſed verbis latinis. Ad illud quod mihi conceſſum eſt corpus ex gratia eminentiſſimi Cardinalis Carpinei, nullum nomen exſtabat, ſed tantum vitrum cum ferreo inſtrumento dentato, quod martyrii inſtrumentum eſſe putant.

XVII. In feſto ſancti Antonii, ad eccleſiam Patrum Gallorum prope ſanctam Mariam-majorem ritus nobis inſolitus viſus eſt, ut quidquid equorum eſt in urbe, ducantur cum ſuis phaleris ad plateam eccleſiæ, ubi aqua luſtrali ab uno e Patribus omnes & ſinguli adſperguntur, dato annuo cenſu. Qui ſecus faxit, ſi quid equis adverſi contigerit, id piaculo vertitur.

XVIII. Cœmeterium Pontiani ad portam nomine Portuenſem, alias *ad Urſum pileatum* dictum eſt, diverſum a cœmeterio ſanctæ Bibianæ itidem *ad Urſum pileatum*: ubi prope eccleſiam ſanctæ Martyris re vera urſus pileatus ex marmore fictus cernitur. Ad illud Pontiani cœmeterium nos deduxerunt amici Ciampinus, Fabrettus, & Scheleſtratus. In eo ſuperſunt aliquæ picturæ antiquiſſimæ, in his ſanctorum Abdonis, Sennis, & Milis, atque aliæ, in Roma ſubterranea expreſſæ. Superſunt etiam ædiculæ aliquot, & fons ad baptizandum: quod probat adjuncta pictura de baptiſmo Chriſti Domini per Johannem. Loculi omnes vacui ſunt, corporibus alio delatis. Hollandus quidam hæreticus, haud ignobilis, cui nomen Albertus, his imaginibus lociſque conſpectis, errorem nuper ejuraſſe dicitur, & ad Franciſcanos ſtrictioris obſervantiæ convolaſſe, apud quos vivit etiam nunc, Franciſcus de Hollandia nuncupatus. Inter alia ibidem invenimus quædam fragmenta marmorum, in quibus ex una parte inſcriptiones paganorum erant, ex alia Chriſtianorum. Quippe Chriſtianis mos erat, ut e ſepulcris gentilium lapides revellerent in ſuos uſus: & relicta ex ea parte, quæ interiora Chriſtiani tumuli ſpectabat, profana inſcriptione, aliam in exteriori apponerent ritu Chriſtiano. Ejus facti exempla occurrunt in Roma ſubterranea, uti ſuperius monuimus. Sic etiam gentilium integra mauſolea ſibi aptabant Chriſtiani: quod de ſepulcris

Fliſci

Fliſci Cardinalis, & Innocentii IV jam obſervavimus. In eodem cœmeterio item repertum a nobis eſt idoli Ægyptiaci (ut videbatur) fragmentum. Hinc ſuſpicio nata eſt, aliquos gentilium ibidem ſepultos fuiſſe. Verum Fabrettus ſuſpicionem diſcuſſit, atque hoc idolum interſigne fuiſſe ad diſcernendam aliquam Chriſtiani hominis ſepulturam aſſeruit. Chriſtianos quippe aliquando numericis notis, ut ſuperius vidimus, aliquando inſcriptione peculiari, aut ſane quovis, quod in manus occurrebat, indicio unos ab alteris tumulos diſtinxiſſe; & quidem hoc idolum ab aliquo ad eumdem uſum adhibitum. Nec mirum, cum profanis aliquando ſepulcris & inſcriptionibus Chriſtiani ipſi uterentur, & numiſmata imperatorum aliquando ſuis ſepulcris infoderent, ex Romæ ſubterraneæ lib. III cap. XXII. At fortaſſe caſu iſtuc delatum ſit iſtud idolum; aut potius fragmentum fuerit Lazari mortui faſciis involuti, ut in antiquis Chriſtianorum ſepulcris repræſentari ſolet, ſpecie non multum diſſimili ab idoli ægyptiaci figura. Quidquid ſit, Chriſtianorum ſepulturas cum gentilium ſepulcris permiſtas non fuiſſe conſtat. Adeo enim pagani Chriſtianos abhorrebant, ut ſuos cum eorum oſſibus cineres confundi paſſuri non fuiſſent. Equidem aliquando martyrum cadavera pagani cum profanis miſcuere, ſed cum facinoroſis aut Judæis. Sic ſancti Vitalis & Agricola, teſtante Ambroſio, *ſepulti erant Judæorum ſolo inter ipſorum ſepulcra*: ſic Julianus Apoſtata ſanctorum reliquias cum oſſibus contemtiſſimis per ludibrium permiſceri juſſerat, qua de re conqueritur Gregorius Nazianzenus in oratione ſecunda contra Julianum: ſic denique reliquias Neſtabi & Zenonis cum oſſibus camelorum & aſinorum commiſtas fuiſſe, auctor eſt Sozomenus. Quid? quod Chriſtianorum cœmeteria plerumque gentilibus ignota erant, in iiſque latebant Chriſtiani contra violentiam perſecutorum. Hujus rei unicum aſſerimus teſtimonium ex primaria inſcriptione, in cœmeterio Calliſti reperta, quæ exſtat in Romæ ſubterraneæ lib III cap. XXII.

AN. 1686. JANUARIO

Sozom. lib. 5. c. 8.

✠

ALEXANDER MORTUS NON EST, SED VIVIT

Super aſtra, & corpus in hoc tumulo quieſcit. Vitam explevit cum Antonino Imp. qui ubi multum beneficii anteve-

S

An. 1686. Januario *nire prævideret, pro gratia odium reddit. Genua enim flectens vero Deo ſacrificaturus ad ſupplicia ducitur. O tempora infauſta! quibus inter ſacra & vota ne in cavernis quidem ſalvari poſſimus. Quid miſerius vita? ſed quid miſerius morte? cum ab amicis & parentibus ſepeliri nequeant! Tandem in cælo coruſcat. Parum vixit, qui vixit* IV. X *Temp.*

Cavernæ illæ erant ſine dubio cœmeteria, in quibus Chriſtiani ſacra faciebant, & ſeſe occultabant. Si de Antonino Pio (ut videtur) in hac indubitatæ antiquitatis inſcriptione mentio eſt; idoneum inde elicietur argumentum contra Henrici Dodvvelli (qui ſuis alias armis facile revinci poteſt) opinationem de paucitate Martyrum, cum in diſſertatione XI inter Cyprianicas contendit, non plures, quam quos Juſtinus in ſecunda Apologia ſua, quæ hodie prima eſt, memorat, nempe Ptolemæum, Lucium, & forte illam, cujus meminit, feminam quamdam, Antonini Pii principatu Romæ affectos martyrio fuiſſe. Idem Dodvvellus ibidem aſſerit, *nullius martyris in probis monumentis exſtare memoriam, qui paſſus ſit ſub Hadriano*, quod refellitur ex ſequenti inſcriptione, poſt ſuperiorem adducta in Roma ſubterranea, ex cœmeterio itidem Calliſti.

TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS,
MARIUS ADOLESCENS DUX MILITUM, QUI
SATIS VIXIT, DUM VITAM PRO CHRISTO
CUM SANGUINE CONSUNSIT, IN PACE TANDEM
QUIEVIT. BENE MERENTES CUM LACRYMIS
ET METU POSUERUNT ID. VI.

Metus ille ſine dubio oriebatur ex fervore perſecutionis, quæ vigebat tempore Hadriani, quod de Antonini etiam tempore inſcriptio prior conteſtatur. Hæc duo argumenta, quæ aliud nobis agentibus occurrerunt, non dubiam ſpem ingerunt de aliis multis contra Dodvvellum inveniendis, ſi quis accuratam navaret operam. Certe Prudentius, quem in ſuam cauſam trahit Dodvvellus, *innumeros* Romæ Martyres ſepultos fuiſſe teſtatur his verſibus hymni XI περὶ στεφάνων,

Innumeros cineres ſanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Chriſto Valeriane ſacer
Inciſos tumulis titulos. Tu ſingula quæris
Nomina? Difficile eſt ut replicare queam.
Tantos juſtorum populos furor impius hauſit,
Cum coleret patrios Troïa Roma deos.
Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur
Martyris, aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia tumbas
Marmora, quæ ſolum ſignificant numerum.
Quanta virûm jaceant congeſtis corpora acervis
Noſſe licet, quorum nomina nulla legis.
Sexaginta illic defoſſas mole ſub una
Relliquias memini me didiciſſe hominum,
Quorum ſolus habet comperta vocabula Chriſtus.

Ex his manifeſtum eſt, primis illis temporibus non tam accurata fuiſſe Kalendaria, ut omnium martyrum nomina non ſolum exteris in locis, verum etiam in iis, ubi paſſi fuerant, in numerato eſſent. Ecce Prudentius plurima Romæ ſe vidiſſe ait ſepulcra Martyrum, quorum nomina ſoli Chriſto nota eſſent. Neque vero etiam eorum, qui nomina adſcripta habebant, memoria in Kalendariis conſervata eſt, ut de Alexandro & Mario mox laudatis conſtat, qui in Martyrologio Romano (ſi non fallimur) locum non habent: neque etiam CONSTANTIUS, qui veneno ſibi propinato, vitam non niſi ferro pro Chriſto amiſit. quod teſtatur patena vitrea in cœmeterio ſanctæ Agnetis reperta. His adde * PRIMITIUM fortiſſimum martyrem ex cœmeterio Oſtriano; * GAUDENTIUM ex Agnetiano, qui ſub Veſpaſiano; & GORDIANUM, Galliæ nuncium, jugulatum *pro fide cum familia tota.* cujus epitaphium integrum mox referemus. Denique in quonam Kalendario memorantur *Marcella & Chriſti Martyres* CCCCL. quorum inſcriptiones exſtant in Romæ ſubterraneæ lib. IV cap. XXXVII. Ad hæc, ſi extra Romam paullisper evagari licet, ſanctorum Gervaſii & Protaſii, priuſquam eorum corpora detexiſſet Ambroſius, nomina Mediolanenſes penitus ignorabant, eorumque ſepulcra. *Evaſimus non mediocrem,* ait Ambroſius, *pudoris ſarcinam: patronos habebamus, & neſciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præſtare majoribus: ſanctorum Martyrum cognitionem, quam illi amiſerant, nos adepti ſumus.*

* Romæ ſubt. lib. 3. c. 22. pag. 692.
* Ibid. pag. 602.
Ambroſ. epiſt. 56.

An. 1686. Januario

Sed ut ad id unde digreſſi ſumus revertamur, etſi paganis occulta & ignota paſſim fuerint Chriſtianorum cœmeteria, quandoque tamen ab eis detecta fuerunt. Id confirmat teſtis indubitatus Tertullianus in Apologetici cap. XXXVII. ubi ait, paganos in bacchanalium furiis, nec mortuis peperciſſe Chriſtianis, *quos illi de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, avulſerint ac diſtraxerint.* Et certe difficile erat, ut ne hæc cœmeteria in notitiam paganorum aliquando venirent per falſos fratres, qui ad idolorum cultum relabebantur. Verum ab ejuſmodi cœmeteriis potius abhorrebant pagani, quorum cineres aut in ſuis prædiis, aut in patentibus ad vias tumulis, aut in ſeparatis ædiculis caverniſque ſepeliri mos erat, ut viſu hodie quoque conſpicitur. Pauperibus & infimæ ſortis hominibus extra portam Exquilinam communis ſepultura tribuebatur in loco, cui teſte Varrone *Puticuli* vocabulum erat, de quo Horatius in lib. I Sat. VIII.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulcrum.

Atque ut ſceleratis quibuſdam locus in illis Chriſtianorum ſepulturis a paganis, dedecoris cauſa, datus fuiſſet; non dubium quin Chriſtiani, qui certis ſignis & teſſeris mortuos ſuos diſtinguebant, eoſdem ſceleratos inde poſtea remoturi fuiſſent, ſi quos pagani ad violanda Chriſtianorum cœmeteria eo intuliſſent.


Certe in cœmeteria illa magna ſemper veterum Chriſtianorum religio & reverentia fuit, ut ex Hieronymo conſtat, qui ſingulis Dominicis, more aliorum, cœmeteria illa frequentabat: nec umquam nata eſt eis ſuſpicio, hæc loca a gentilibus hoc modo violata fuiſſe. *Diis Manibus* inſcripta erant pleraque gentilium ſepulcra. Unde Prudentius contra Symmachum lib. I.

Ipſa Patrum monumenta probant: DIIS MANIBUS *illic*
Marmora ſecta lego, quæcumque latina vetuſtas
Cuſtodit cineres.

quæ verba *Diis Manibus*, licet quidam Chriſtiani ex reliquiis gentilitatis primitus retinuerint, ut ſuperius obſervatum; tamen aliis notis religionem Chriſtianam deſignabant, ſive cruce aut monogrammate Chriſti, ſive palmis, ſeu cordium expreſſionibus, columbis, agnis, ſive aliis indiciis. quæ quidem non ſunt Martyrum indicia, ut infinitis conſtat exemplis, ſed Chriſtianorum. Pro certis Martyrum indiciis ſunt vitrea vaſa martyrum ſanguine intincta, qualia referuntur in Romæ ſub-

terraneæ lib. III cap: XXII. vel inſtrumenta martyrii: cer- An. 1686. Januario
tiſſima ſigna, inſcriptiones antiquæ martyrium atteſtantes. In illis Chriſtianorum inſcriptionibus aliquando invenitur *Domus æterna*, ut Romæ ſubterraneæ lib. IV cap. XVIII. ex ritu gentilium, qui corporum reſurrectionem ignorabant. Aliquando duo in eodem loculo corpora jacebant, qui loculi *biſomi* dicebantur; immo homines ipſi *biſomi*, apud Gruterum. Plerique, *Grut. pag.* MLIII. 7.
non tamen omnes, converſis ad Orientem oculis compoſiti. quod in Chriſti ſepultura obſervatum eſt, teſte Beda ex Adamnano. Ut mirum ſit, recentiori hoc ævo antiquum morem pro ſacerdotibus fuiſſe quibuſdam in locis mutatum: quod diſcrimen patres noſtri, etiam epiſcopi & pontifices, ignorarunt, ut ex antiquis mauſoleis & ſepulcris manifeſtum eſt. In loculis biſomis haud quaquam unum, alteri cadaver ſuperponere licebat, ſed ad latus locare. Teſtes hujuſce ritus inſcriptiones, ut Johannis Cartaparii apud Baronium ad annum MIV. teſtis & canon XV Concilii Autiſiodorenſis: *Non licet mortuum ſuper mortuum mitti.* Apud Gruterum lepidum eſt epi- *Grut. pag.* MLII. 8.
gramma hominis Chriſtiani, Feliciani Veronenſis, qui rationem hanc reddit, cur ſolus quieſcere velit: nempe *ut in die cenſorio ſine impedimento facilius reſurgeret.*

Antequam hinc diſcedamus, Gordiani martyris, de quo ſuperius, Galliæ nuncii ſeu legati, epitaphium ex Romæ ſubterraneæ *Rom. ſubt.* p. 599.
lib. III cap. XXII referendum eſt: propterea quod hoc inſigne, & fortaſſe unicum ſit ſpecimen veteris Gallorum ſcripturæ, *qui in publicis privatiſque rationibus,* ut ſcribit Julius Cæſar in Commentariorum lib. VI. *græcis litteris utebantur.* quod quidem patet ex ſubjecto epitaphio, ubi litteræ græcæ Runicis inſertæ ſunt.



Hoc epitaphium ſic redditum eſt in Roma ſubterranea. *Hic Gordianus, Galliæ nuncius, jugulatus pro fide cum familia tota quieſcunt in pace. Theophila ancilla fecit.* Hæreo an legendum ſit *Theophila*, an potius *Ytphila.*

An. 1686. Januario. XXV. In feſto converſionis ſancti Pauli illuſtriſſimus abbas Johannes Palagius Romanus, e nobili Florentinorum familia, nos cum amico noſtro Diroyſio doctore Sorbonico & Taya abbate ad ſanctum Anaſtaſium, qui *ad Guttam jugiter manantem* antiquitus, poſtea ad *Tres-fontes* dictus eſt, in ſua rheda deduxit, ubi Miſſam celebravimus, vidimuſque præclaram ſancti Anaſtaſii martyris imaginem, de qua in ſecundo Concilio Nicæno contra imaginum effractores actum eſt. Antiquiſſimæ iſtius imaginis ectypum hoc loco exhibere viſum eſt in memoriam hujuſce Concilii, in cujus actione quarta Hadriani Papæ Legati ad imaginis præſentiam fugari dæmones teſtati ſunt: id quod probat miraculum ſuo loco edendum, quod ante prædictum Concilium initio ſæculi octavi contigit, a teſte oculato deſcriptum. Tres eo in loco fontes ſunt, unde inditum loco nomen, ad viam Oſtienſem: totidemque baſilicæ, una ſancti Anaſtaſii, altera ſancti Pauli: (ubi tres alii fontes, eo in loco quo ſancti Pauli caput amputatum, tres ſaltus feciſſe perhibetur, ſcaturiunt, lacteum ſaporem etiam nunc retinentes:) tertia, ubi ſanctus Bernardus abbas Clarævallenſis ſcalam ad cælos pertingentem vidiſſe fertur, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Scala-cæli, rotundo opere conſtructa. Bernardus alter, qui poſtea ſummus Pontifex Eugenii tertii nomine exſtitit, abbas fuit illius cœnobii, quod ad paucos nunc monachos redactum eſt. Officinæ regulares vetuſtate obſoletæ. In clauſtro infirmorum variæ ſunt picturæ, in quibus antiquus Ciſtercienſium habitus exhibetur. Depicti quippe illic cernuntur monachi & converſi laborantes, itemque alii funus ducentes, omnes cum capellis ſeu calanticis, quæ totum caput tegunt, abjecto capitio. Unus prope ſacerdotem ſacris veſtibus indutum ſtat monachus cum cuculla, quæ capitium videtur non habere. In eodem clauſtro Kalendarium feſtorum, quæ per totum annum in Ordine celebrari olim mos erat, item depictum eſt. Fugientes litteras atque picturas illuſtriſſ. Commendator a Puteo depingi curavit. Picturæ utræque annos quadringentos excedunt. Abbas loci fuit Ferdinandus Ughellus, in primaria eccleſia ſepultus ad latus epiſtolæ cum hoc epitaphio, quod Franciſci Barbarini Cardinalis mandato illic appoſitum eſt.

FERDINANDO. UGHELLO

Hujus. monaſterii. Abbati


ter Ital ad pag

An. 1686. Januario

Mirare. noſtri. grande. ſæculi. decus
Virtutibus. laboribus. modeſtia
Cui. debet. Italia. ſacros. Antiſtites
Qui. traxit. e. mortis. ſepulcro. tot. viros
Perire. mortis. in. ſinu. numquam. poteſt.
Obiit. XIIII. *Kal. Jun. an.* M. DC. LXX. *æt.* LXXV.
FRANC. EPISCOPUS. OSTIENSIS
De. ſuo. ceteriſque. Italiæ. Epiſcopatibus
B. M. poſuit

Poſt prandium Palagius nos deduxit in ædes conſanguinei ſui nobilis & illuſtriſſimi Equitis & Commendatoris Caroli a Puteo, in quo modeſtia, pietas & humanitas domicilium fixiſſe videntur, uti & omnes fere gratiæ picturarum exquiſitarum totius antiquitatis Romanæ, ne quid de libris & numiſmatibus dicamus. Totus Virgilius, totuſque Terentius elegantiſſimis picturis expreſſi: varia apud eumdem ſpecimina fanorum, templorum, & baſilicarum. Inter illius muſei tabellas magni fiunt illæ ſeptem Eccleſiæ Sacramentorum ingenioſæ picturæ auctore Nicolao Poſſino Gallo, tantopere etiam apud Romanos commendato: qui in eccleſia ſancti Laurentii in Lucina ſepultus eſt. Locupletiſſimum illud muſeum magna ex parte inſtruxit Caroli germanus nobilis Eques & Commendator Caſſianus a Puteo, vir antiquitatis curioſiſſimus, & Lynceæ artis ſtudioſus indagator: cui Carolus Datus oratione parentavit; obſervavitque inter ampliſſimæ dignitatis viros, qui ex illa familia prodierunt, Ludovicum a Puteo in caſtris Chriſtianiſſimi regis Franciſci 1. quondam militaſſe unius cohortis præfectum. Hæc lubentiſſime de Puteana gente commemoramus grati animi cauſa in Carolum, cujus humanitati multum obſtricti ſumus. Hujus muſei curam habet Johannes Baptiſta Marinellus, vir officioſiſſimus.

XXIX. Præter bibliothecam pontificiam, quæ in Vaticano ſplendidiſſima habetur, alia Vaticanæ baſilicæ propria eſt, in qua codices ultra centum, quidam optimæ notæ aſſervantur. In hanc bibliothecam aditus nobis conceſſus eſt per humaniſſimum virum Joſephum Balduinum ejus cuſtodem. Codices rariores & pretioſiores hi ſunt. *Hilarii Pictavenſis* Epiſcopi

An. 1686. Januario

opera, ſcripta ab annis fere mille ducentis: *Joſephi antiquitates Judaicæ: Catena græca* ex Patribus: *Bedæ Martyrologium* auctum, ſed antiquum, cum Sacramentali: *Anſelmi Lucenſis* epiſcopi Decretum: *Hildeberti* Cenomannenſis & *Bernardi* epiſtolæ; *Ammianus Marcellinus: Perſii Satyræ*, itemque *Terentii Comœdiæ* antiquiſſimæ. In illo Bedæ Martyrologio ad XII Kal. Aprilis, *Aſſumtio ſancti Benedicti:* & V Id. Julii, *Depoſitio ſancti Benedicti*. In Litaniis pro ſabbato ſancto quidam Sancti invocantur hoc modo: *ſancte Gregorie, ſancte Auguſtine, ſancte Ambroſie, ſancte Hieronyme, ſancte Beda, ſancte Antonie, ſancte Paule, ſancte Baſilie, ſancte Benedicte, ſancte Maure, ſancte Placide.* Quod ſanctus Beda in loco tam illuſtri collocetur, illud in cauſa eſt, quod ex antiquis monumentis credatur ſepultus in baſilica Vaticana: ſive fuerit alius a Beda Anglico, ſive ille ipſe, ut jam dudum Romanis perſuaſum eſt. Sane Romanus, ſancti Petri ante annos quingentos canonicus, in deſcriptione baſilicæ ſancti Petri inſignem facit de Beda mentionem. *Requieſcit etiam ante portam argenteam*, inquit, *ſub rota ſcilicet porphyretica, ut a noſtris majoribus accepimus, venerabilis Beda presbyter, qui fecit homilias: & ejus ob reverentiam antiqui noſtri penitus non tranſiebant per eam, nec nos tranſire permittebant.* In quibuſdam etiam Kalendariis duo notantur Bedæ, unus Anglicus Maii die XXVI. alter Italus, qui junior, decimo Aprilis, monachus Gavellenſis cœnobii prope * Rodigium: cujus reliquiæ Genuam tranſlatæ ſunt. Sed hæc non ſunt hujus loci.

* *Rovigo*

Eadem die poſt meridiem habita eſt ſacra Indicis Congregatio in Vaticano, in qua ſententia dicta per illuſtriſſimum Pallavicinum, Johannis Launoii liber de regia in matrimonium poteſtate in indicem relatus eſt, decreto Cardinalium, qui novem omnino tunc aderant cum R. P. Joſepho Clariono, Magiſtro ſacri Palatii, & Patre Blanco Secretario Congregationis. Ex ſchedula ego quoque monitus ſum illi Congregationi intereſſe ad promendum qualecumque ſuffragium meum ſuper quibuſdam libris Voſſianis de diluvio non univerſali. De eodem argumento antea dixerant tres alii. Is enim in illa Congregatione mos obtinet, ut Conſultores deputati duo vel tres pro rei gravitate ſententiam ſuam de propoſito libro pronuntient, ſcriptoque conſignent. Hoc ſcriptum mox ſecretario Congregationis traditur in manus: qui rationes votorum in

compendium

compendium redactas ad Cardinales denuo refert, ex qua relatione Cardinales ſtatuunt quod ſibi conſultius videtur. Aliud tribunal eſt ſacræ Inquiſitionis in libros, qui ob notam hæreſeos damnandi veniunt: qua in congregatione conſultores non viva voce, ſed ſcripto tantum ſuffragium ſuum exprimunt. AN. 1686. JANUARIO

II. Cum in bibliotheca Barbarina verſaremur, duo accepimus obſervatione haud indigna. Unum eſt, Ludovicum XIII felicis memoriæ ab Urbano VIII clam rogatum, ut a fœdere Suecico, de quo maxime Auſtriaci conquerebantur, reſiliret: propria manu citra cujuſquam conſilium reſcripſiſſe, ſe ad id præſtandum promtiſſimum eſſe, atque etiam ad arma ſimul cum Auſtriacis convertenda contra hæreticos Germanos & Gallos, ſi modo Auſtriaci a protectione fratris ſui, qui Bruxellas ſeceſſerat, abſtinerent, & a ſerendis fovendiſque motuum ac diſcordiarum ſeminariis in Gallia per hæreticos. Quod Urbanus cum Oratori Regis Catholici ſignificaſſet, Oratorem ſcripſiſſe hac de re in Hiſpaniam: ſed reſponſum datum fuiſſe nullum. Autographa hæc epiſtola in archivo Barbarino aſſervatur. Alterum notatu dignum eſt, quod Urbanus ab Hiſpanis quibuſdam interpellatus de concedendis indulgentiis ob cultum cujuſdam ſancti, cui VIAR nomen inditum erat, negaverit Pontifex id ſe facturum, niſi prius reſciret, quis & qualis eſſet ille ſanctus, & quo tandem argumento ejus ſanctitas probaretur. Allatus eſt lapis, in quo hæ litteræ reliquæ erant, S. VIAR. At periti judicarunt fragmentum eſſe veteris inſcriptionis, in qua quidam *Præfectus viarum* laudabatur. FEBRUAR.

VIII. Celebrata Miſſa in baſilica Vaticana, luſtravimus ſubterraneam loci eccleſiam, in qua permulta ſuperſunt vetera monumenta. Illic ſepulti ſunt, præter alios, Otto ſecundus imperator, & Amalricus de Monteforti. De his cryptis exſtant libri ſingulares. Verum in illis libris nulla, ſi bene memini, mentio eſt de inventione illic facta mauſolei Honorii imperatoris & duarum ejus conjugum, Mariæ & Thermantiæ, Stiliconis filiarum. Hæc inventio facta eſt anno MDXLIII. quo anno Bullingerus Vadiano ſcribens eam refert his verbis. *Erant hæc cadavera palliis aureis involuta, ipſæque calvariæ aureis cinctæ diadematibus... Oſſa adhuc cohærentia ſimul cum veſtibus ſtatim ad attactum ſenſumque aëris abierunt in pulve-*

AN. 1686. FEBRUAR. *rem. Aurum ex veſtibus collectum & purgatum ponderabat libras circiter* LXXX. *In pectore alterius maſſa racemi ſpecie dependebat, compoſita ex auro, adamante, ſmaragdo, atque aliis gemmis. Appoſita erant & vaſa aliquot perforata forma clepſydrarum, odoris gratia concinnata.* Cetera lege ſis in eadem epiſtola, quæ exſtat inter philologicas editas a Goldaſto.

IX. Interfuimus ſollemnibus ſacris de ſancto Marone in eccleſia Maronitarum: eodemque die Neapoli ab illuſtriſſ. Petro Andrea Andreino accepimus antiquam inſcriptionem de quodam milite veterano, uno ex his, quos Auguſtus Miſeni poſuerat ad pontem cuſtodiendum, ibidem inter rudera nuperrime repertam.

D. M.
M. PETRONI. VALEN
TIS. VETER. EX. CLAS. PR. MIS.
PETRONIA. PRIMA. PATRONO. BENEMERENTI.

Idem nobis copiam fecit epiſtolæ ab ſe ſcriptæ ad Franciſcum Antonium Picchiattum de duabus glyphicis gemmis: quarum una anularis ex lapide lazzoli, Romæ in quadam vinea extra portam Lateranenſem reperta, ſtantem figuram exhibet, militari habitu inſignitam, haſtæ ſiniſtra innixam, pedibus ſcuto hærente: ad dexteram vero, quæ mutila eſt, columna cernitur cum imaguncula Victoriæ, militem coronare geſtientis. quod vir doctus interpretatur de M. Sergio Silo, qui ſecundo ſtipendio dexteram manum perdidit, teſte Plinio apud Fulvium Urſinum, & ſtipendiis duobus ter & vicies vulneratus eſt. Altera gemma Capuæ inventa ex eo genere amethyſtorum eſt, quod Græci *Pederotes* appellabant. In hac gemma cælatæ ſunt geminæ figuræ, a capite uſque ad umbiculum referentes pulcherrimum adoleſcentem, & paris formæ puellam; cetera deſinentes in delphinos: ita ut adoleſcens ſiniſtra manu inter humerum & brachium temonem regat; dextra vero uxori ſuæ opem ferat, catulum in pectore geſtanti, dum eadem altero brachio alterum catulum ab undis retrahit, delphini capiti innixum. Nereum & Doridem, Oceani & Thethyos natos, his figuris deſignari idem Andreinus exiſtimat.

X. Eccleſia beatæ Mariæ de Capella trans Tiberim, olim ſanctæ *Mariæ ad Pineam* vocabatur, ut legimus in veteri inſcriptione, quæ ſic habet. *Anno Domini* M X C *Indict.* XIII. *men-*


Iter Ital. ad pag. 177.
ASCVLT
FILIP R
CEPTA
MAGIS
TRIETI
CLINA A
VREM C
ORDIS
TVI·

ſe Mart. die XXV. *dedicata eſt hæc eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ appellatur ad Pineam, per Epiſcopos urbis, id eſt V. Savinenſem & Johannem Tuſcolanenſ. tempore domni Urbani* II *Papæ, in qua ſunt reliquiæ ex veſtimentis ſanctæ Mariæ Virginis, rel. Petri apoſtoli, Cornelii PP. Caliſti PP. Felicis PP. Yppoliti mart. Anaſtaſii mart. Melix, Marmeniæ mart.* AN. 1686. FEBRUAR.

Damaſo vitam poſt mortem, Chriſte Redemptor.

In hac inſcriptione advertere juvat, Sabinenſem & Tuſculanenſem *Urbis Epiſcopos* (quod proinde vocabulum Romani Pontificis ſuffraganeis commune erat) appellari. Hinc explicari poteſt quod legimus in chartario Farfenſi, nempe quod DODO EPISCOPUS SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ *dedit libras quinque pro rebus poſt mortem, id eſt eccleſiam ſanctæ Mariæ cum caſamento ipſo Caſſiano. Actum menſe Octobri, temporibus Benedicti* VIII. In alio diplomate illi ſuffraganei vocantur Romani epiſcopi. Dodo mox laudatus videtur fuiſſe epiſcopus Sabinenſis, omiſſus apud Ughellum.

In eadem tranſtiberina regione exſtat antiquiſſima eccleſia ſancti Benedicti in Piſcinula, hodie parochialis, in cujus majori altari eſt effigies paullo minus antiqua ſancti Benedicti, cuculla induti cum ſtrictiſſimis manicis, capitio tantiſper ſub mentum defluente, barba neglecta, qui Regulam manu tenet: qualem hic in appoſita pictura cernere eſt. Ad latus Evangelii ara eſt ſancti Laurentii, & paullo infra ſepultura Conſtantini Caïetani abſque epitaphio. Obiit die VII menſis Septembris anni M DC L, ætatis anno LXXXV. Hinc corrigendus Ughellus, qui ejus obitum ad menſem Julium refert. Mortis cauſa non tam ex decrepita ætate, quam ex dolore concepta, quod quidam Siculus, ejus familiaris, multos codices antiquos, aliaque monumenta ſibi clam abſtuliſſet. Ex eodem prædictæ eccleſiæ latere prope veſtibulum ædicula eſt beatæ Mariæ, tota muſivo quondam ornata, in cujus pariete ad aram depicta eſt imago ſanctiſſimæ Virginis, brachio dextro filium tenentis crucem præferentem. Illic oraſſe, & prope habitaſſe ferunt Benedictum puerum, cujus palatii rudera & macerias in proximo oſtendunt. In deſcenſu ex inferiori tribuna (ut vocant) alia imago eſt ſancti Benedicti valde antiqua. Navis ædificium fulciunt marmoreæ columnæ. In horto baſis eſt aræ profanæ cum hac inſcriptione. *Si quis hanc aram læſerit, habeat genium iratum Pop. Rom. & numina divorum.* Alia iiſdem

Ughell. to. 5. Ital. col. 207.

An. 1686. Februar. omnino verbis legitur apud Fabrettum. Ejuſmodi imprecationes ethnicis familiares erant. Nonnulla huc exempla referre juvat. Inſcriptio extra portam Aureliam, hodie ſancti Pancratii, reperta ſic habet.

C. TULIUS. C. L.
BARNAEUS
OLLA. EJUS. SI. QUI
OUVIOLARIT. AD
INFEROS. NON RECIPIATUR.

Ollæ figulinæ erant ad cineres mortuorum continendos. Alia in cippo marmoreo conſimilis ibidem reperta anno M DC III.

L. CAECILIUS. L.
ET. Ɔ. L. FLORUS
VIXIT. ANNOS. XVI
ET. MENSIBUS. VII. QUI
HIC. MIXERIT. AUT
CACARIT. HABEAT
DEOS. SUPEROS. ET
INFEROS. IRATOS.

Littera C inverſa *Caïam* ſignificat ex Quintiliano in lib. I cap. VII. Brevior alia apud Reineſium pag. M.

QUISQUIS. HOC. SUSTULERIT. AUT. LAESERIT. ULTIMUS. SUORUM. MORIATUR.

Ejuſmodi formulas Chriſtiani itidem, ethnicorum exemplo, in ſuis ſepulcris adhibuerunt. Unam habes apud Gruterum pag. M LXII. Alterius fragmentum ex baſilica ſanctæ Mariæ in *Coſmedin* Fabrettus nobis communicavit.

...S. HUNC. TITULUM
...A. PLASHANTRA. SEPUL
...MORA QUE CLAUDUNT
...SSE POTES XRI ANCIL
...TA NOMI ....ANNA
...ENS VELAMINE SACRO
...GRAVIT AD XPM
...SEPULCRUM VIOLARE
...ET SIT ALIENUS A REGNO DEI.

Alia itidem Romæ reperta ad viam Nomentanam prope ſphæricum templum ſanctæ Conſtantiæ. AN. 1686. FEBRUAR.

MALE. PEREAT. INSEPULTUS
JACEAT. NON. RESURGAT
CUM. JUDA. PARTEM. HABEAT
SI. QUIS. SEPULCRUM
HUNC. VIOLARIT.

XIII. Priuſquam Romæ valediceremus, viſum eſt adire Farfam, inſigne noſtri Ordinis monaſterium, quod Roma diſtat XXV paſſuum millibus, impoſitum dorſo montis Acutiani, in territorio Sabinenſi. Noſter Johannes Durandus ſe nobis ſocium adjunxit ad levandum ſcriptionis laborem. Nulla apud Farfam hominum frequentia, præterquam in duobus feſtis Annuntiationis & Nativitatis beatæ Mariæ loci patronæ, cujus imaginem a ſancto Luca depictam oſtentant cum clave ædiculæ Lauretanæ. Inſalubris eo in loco per æſtatem aër cogit monachos ſolum mutare, & in cœnobium Salvatoris, octo inde millibus diſſitum, demigrare: Abbas vero in opidum Faram, quod Farfæ proximum eſt, interim ſecedit. Abbas loci regularis (nam Cardinalis Barbarinus titulum habet) reverendiſſimus Pater Severinus ab Aſculo, vir humanitatis & doctrinæ non vulgaris, archivum loci, codices mſſ. omnia denique nobis magno cum affectu exhibuit. In bibliotheca non admodum copioſa vetus exſtat *Lectionarium*, ex quo quædam acta Martyrum collegimus. Editiones item quædam antiquiores ibidem inveniuntur: *Origenis contra Celſum*, Sixto IV dicata: *Chryſoſtomi homiliæ in Matthæum* ex recenſione Thomæ Januenſis de Valerano, qui in Præfatione ad Severinum de Pedepennis Bitontinum, Ordinis noſtri monachum, ipſum laudat, quod multum in recognoſcendis illis homiliis inſudarit; itemque domni Lucæ ſtudium ingens, *qui hos Chryſoſtomi ſermones elegantiſſime tranſtulit*. Nec omittendum opus *Bonifacii Simonetæ*, doctoris ac monaſterii Cornu abbatis, *de hiſtoria perſecutionum Chriſtianarum*, in ſex libros per epiſtolas redactum: in quarum prima Carolum VIII Francorum regem mirifice laudat, in ſecunda Guillelmum de Rupeforti equitem. In epiſtola VII ad Alviſum monachum Ciſtercienſem, ait ſe ejus conſilio hoc opus ſuſcepiſſe. Editum eſt Mediolani anno MCCCCLXXXVIII. Prolixius eſſet dicere, quot & quanta ex archivo, & ex

An. 1686. Februar. præclaris chartaceis monaſterii libris excerpſerimus. His peractis Romam reverſi ſumus.

XVI. Duæ ſunt in Urbe, præter jam laudatas, bibliothecæ celebres, una in collegio Sapientiæ, altera in Capranico. Sapientiæ gymnaſium originem ſuam acceptam refert Leoni x. qui diſperſa per Urbem ſtudia in hoc unum redegit, inchoatis ædificiis, quæ ſub Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, ſubſequentibuſque Pontificibus incrementum paullatim accepere: donec Alexander VII totam fabricam, Borromino architecto, abſolvit anno MDCLX. Inſtructa etiam ab eodem bibliotheca inſignis, cujus ædificium magnificæ totius collegii ſtructuræ apprime reſpondet. Magna ibi librorum copia, ſed veteres codices pauci. Eo tranſlata eſt Alexandri juſſu bibliotheca Conſtantini Caïetani. Ibidem ſex cathedras, præter alias jam dotatas, inſtituit idem Pontifex: quarum una eſt de controverſiis Fidei, altera de hiſtoria eccleſiaſtica, ceteræ de jure tam canonico quam civili. Præclara ſane inſtitutio: ſed ſi fundatorum votis & ædificiorum ſplendori frequentia ſtudentium reſponderet. Ibidem Syriacas litteras docuit Abrahamus Echellenſis: cujus affinis Fauſtus Naironus Maronita bibliothecam nobis humaniſſime oſtendit, & diſſertationem ſuam de origine ac religione Maronitarum dono dedit.

Collegium & bibliotheca Capranica Dominicum de Capranica Cardinalem habent auctorem. Ejus vitam ſcripſit Baptiſta Poggius, eamdemque eruditus vir Stephanus Baluzius typis vulgavit in tomo tertio Miſcellaneorum. Ædificaverat ſibi Dominicus ædes in regione Columnæ, in quibus *decrevit bibliothecam ad communem doctorum hominum utilitatem, congeſtis ibidem libris, quos magna impenſa, in omni doctrinarum genere ad duo millia voluminum coëgerat.* Angelus ejus frater *domum ſuo uſui reſervavit: ſed ne laudabilis voluntas fratris irrita eſſet, contiguum illi gymnaſium magnificentius excitavit.* Dominicus obiit anno MCCCCLVIII. Hæc bibliotheca duce Palagio facile nobis patuit per humaniſſimum gymnaſii rectorem. Codices plerique ad Jus pertinent: ex aliis præcipui ſunt *Joſephus de antiquitatibus Judaicis*, idemque *de bello Judaico.* Item *Martyrologium ſive Datarium ſecundum ritum S. R. E.* Præmittuntur prologi vulgati Hieronymi, Bedæ, & Uſuardi in Martyrologium. Uſuardum aliis præfert auctor; propterea quod *ejus opus magis habetur in uſu apud multas eccleſias.* Et re quidem vera

ante annos centum Uſuardi Martyrologium receptum erat in eccleſia Romana, ut ex antiquis editionibus conſtat. Reperitur etiam ibidem Concilium Conſtantienſe abſque vulgata clauſula quartæ Seſſionis. Item *Profeſſio quam fecit Benedictus Caietanus*, poſtea dictus Bonifacius VIII, poſt ſuam aſſumtionem anno MCCXCIV, cum gloſſa ſuper eamdem: cujus gloſſæ auctor ait, ſe prædictam profeſſionem reperiſſe multis in locis, nempe *in Diurno libro, & in fine Mallonis ſancti Petri, in domo Cæleſtinorum Pariſius, atque in pluribus locis in Francia*, aſſerentibus qui eam exhibebant, *quod Bonifacius Papa* VIII *miſerat Regi Franciæ, ſcire volenti, an habuiſſet ipſe introitum canonicum in Papatu. Et inter alia quæ Rex allegabat, quod ad hoc Romanus Pontifex teneretur, inducebat epiſtolam papæ Pelagii Gilberto* (legendum *Childeberto*) *regi Franciæ pro cauſa ſimili deſtinatam. Hanc etiam eamdem vel ſimilem Profeſſionem faciebant alii novi quatuor Patriarchæ ſydonaliter, eamque ſubſcriptam ſibi mittebant invicem & Principi in ſua novitate, ut patet per Gregorium: & hoc idem clare oſtendunt hiſtoriæ Romanorum pontificum Eugenii & Zachariæ*. Ita gloſſator. Alia eſt hæc formula ab illis, quæ ſunt in Diurno vulgato. Epiſtola ad Childebertum, cujus gloſſator meminit, eſt Pelagii I. edita primum a Sirmundo in tomo I Galliæ Conciliorum.

XVIII. De baſilica ſanctæ Mariæ in *Coſmedin* ſeu *ad Os veritatis*, obſervandum eſt id, quod in eccleſiis Caſinenſi & Sublacenſi advertimus, nempe recenſionem cenſuum ad portam baſilicæ lapidibus inſculptam eſſe. Ibi enim ad ſiniſtram ingredientium hæc leguntur. *Hæc tibi præclara Virgo cæleſtis, Regina ſancta, ſuperexaltata & glorioſa Domina Dei genitrix Maria, de tua tibi offero dona ego humillimus ſervulus tuus Uſtathius immeritus dux, quem tibi deſerviri, & huic ſanctæ Diaconiæ diſpenſatorem effici juſſiſti, tradens de propriis meis facultatibus in uſus iſtius ſanctæ diaconiæ, pro ſuſtentatione Chriſti pauperum & omnium hic deſervientium Diaconiſtarum, ob meorum veniam delictorum, hæc inferius adſcripta loca, id eſt fundum Pompeïanum cum caſis & vineis fundorum* &c. *Item ego Georgius glorioſiſſimus offero unc. tres, fundum Atticum* &c. *ubaricas, quod ſunt in fundo Arrani, quæ data ſunt ab heredibus germanæ meæ Emelæ, cui data ſunt ab heredibus Pauli..... Et quidem hac conditione, ut Presbyter qui pro tempore fuerit, facturus quotidianas Miſſas, accipiat a Patre ſolidos tres* &c.

An. 1686. Februar.

Ex his intelligitur, in antiquiſſima illa baſilica, quæ titulus eſt etiam nunc Diaconi Cardinalis, exſtitiſſe olim domicilium Diaconiſtarum & pauperum, quibus non tantum Diaconus, ſed etiam quidam *Pater* ſeu Sacerdos præfectus erat. In Diurno libro habetur privilegium ad inſtituendum Diaconum in ejuſmodi diaconiis: ubi præſcribitur, ut *quando lucina perficitur*, id eſt ad Lucernarium, *omnes diaconites & pauperes Chriſti* Kyrie eleison *exclamare ſtudeant*. Porro unita erat hæc eccleſia monaſterio ſancti Pauli extra Urbem ante Leonem x. qui unionem illam ſolvit anno M D XIII. ut in ejuſdem eccleſiæ porticu legitur. Juxta altare majus, dedicatio ejus per Calliſtum II facta memoratur menſis Maii die ſexta, anno M C XXIII, Indict. I. & inter varias reliquias a Gelaſio II conceſſas, & a Calliſto in altari repoſitas, recenſentur reliquiæ *Petri Abbacyri, & Johannis; Marmeniæ martyris, ſanctæ Sumenæ*, & aliorum. Proximum eſt templum beatæ Mariæ de Sole, olim ſolis fanum: & e vicino aliud ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ quadratum, quondam vetus delubrum. Hæc in via ad portam Oſtienſem, ubi pyramidalis tumulus C. Ceſtii VII viri epulonum, quod Petrarcha ſepulcrum Remi eſſe opinatus eſt, tametſi integra etiam nunc cum bipedalibus litteris inſcriptione.

Diurn. pag. 132.

XXI. Feria V ante carniſprivium, eccleſiarum in Urbe ſtationes percurri ſolent decantandis pſalmis, hymnis & roſario: quod præſtant Romani, bini, terni, aut plures ſimul procedentes. Ad portam Oſtienſem ſinguli ad ſanctum Paulum egredientes teſſeram in prandium accipiunt, in hortis Matthæianis ſumendum, ubi ſuper herbas diſcumbitur. Præſunt huic pio inſtituto Patres Oratorii Eccleſiæ novæ, qui cibos omnibus & ſingulis parabiles, &, ut pænitentes decet, frugales exhibent. Nec hoc dedignantur etiam Cardinales. Intererat hoc anno eminentiſſimus Cardinalis Cibo: aderamus & nos cum aliis numero non exiguo, ſcilicet ultra ſex millia. Cardinalis nos de ſuo bellario honoravit. Prandentibus miniſtrabant ex Procerum numero plerique Prælati, & alii, præter Oratorii Patres, quos inter Marcheſius, & Colloredus: cui purpura cardinalitia nuperrime, quantumvis reluctanti, pro humili, quo tunc præcinctus erat, linteo impoſita eſt.

XIX. Baſilica ſancti Gregorii, olim ſancti Andreæ, in monte Cælio ſeu clivo Scauri, quam Camaldulenſes incolunt, ab eodem ſancto Pontifice conſtructa eſt in ædibus paternis: ubi

ubi & ipſe monachus fuit. De eo hæc legimus in veteri libello de ejus vita apud Patres Oratorii Romani. *Beatus Gregorius, qui fuit Præſul eccleſiæ, antequam fieret Patriarcha, monachus erat in monaſterio ſancti Andreæ apoſtoli, quod appellatur clibi Tauri, juxta ſanctorum martyrum Johannis & Pauli. Erat autem abbas ejuſdem monaſterii: mater vero ejus beata Silvia manebat tunc prope portam beati Pauli apoſtoli, in loco, qui vulgo vocatur Cella-nova.* Gregorii reliquiæ ſub ara majori jacent. Extra baſilicam tria exſtant ſacella, quæ Cardinalis Baronius inſtauravit: unum beatæ Silviæ Gregorii matris: alterum ſancti Andreæ: tertium ipſius Gregorii, ubi menſa marmorea, in qua egenos recreaſſe creditur.

Vicina eſt antiqua ſanctorum Johannis & Pauli baſilica, nuper Dominicanis Anglis conceſſa. Illic Mapheus Veggius reperit elegans epigramma Gratiæ Alexandriæ, ethnicæ matronæ, quæ, in Chriſtianarum quarumdam dedecus, *filios ſuos propriis uberibus* educaſſe laudatur. Hoc epigramma refert Mapheus in libro primo de educatione liberorum.

XXII. Ad urbem Portuenſem profecti ſumus cum Ciampino, Fabretto, Scheleſtrato, Laurentio de Zaccagnis, Taya, atque cum Bernovio & Auzuto noſtratibus. Ibi portus quondam Trajani, & emporium celebre: uti & apud Oſtia, quæ urbs duobus inde millibus diſtat; nunc triſtia urbium cadavera. In Portu reliquiæ ſuperſunt veteris templi & murorum urbis. Baſilica ſancti Hyppoliti, quæ olim primaria erat, nunc ad tugurioli formam redacta eſt. Ibidem puteus cernitur, in quem projectus beatus martyr. In domo epiſcopali, in qua unicus degit colonus, ſacellum eſt pro eccleſia cathedrali. Ubique in gyrum ſolitudo ingens in fertili & amœno loco, ſed ita inſalubri ob longam & diuturnam deſertionem, ut raros agrorum cultores aura corrumpat. In domo epiſcopali hos verſus deſcripſimus.

Squallebant Portus ædes; urbs tota jacebat,
Vix etiam paucis ſtabat & ara Dei.
Cædibus aſſiduis, diriſque expoſta rapinis
Rura, nec in tuto jam locus ullus erat.
Nec mare navigiis aptum, nec Tibridis unda:
Ipſe ſuis humeris nauta ferebat opes.
Corneus a ſævis purgavit littora monſtris.
Hinc nova miraris ſurgere templa, domus.

An. 1686. Februar.

Inde vides altum flumen, tuta oſtia nautis,
Et didiciſſe fretum ſubdere colla jugo.

M D LXXXIII.

Ex Portu Oſtia civitas a nobis viſa eſt, cujus rudera, ſi temporis oportunitas affuiſſet, lubenter inviſiſſemus propter antiquam urbis dignitatem & prærogativam, cui conceſſum eſt, ut Romanæ eccleſiæ Pontifices ordinet, *non aliquis epiſcopus metropolitanus, ſed de proximo Oſtienſis epiſcopus*, ut loquitur Auguſtinus in breviculo collationum cum Donatiſtis, collat. tertiæ diei, cap. x.

XXVII. Feria IV cinerum poſt ſollemnem Miſſam in capella pontificia, facta eſt Cardinalium proceſſio ad ſanctam Sabinam, ubi prima Quadrageſimæ ſtatio antiquitus inſtituta eſt. Cardinales abſente Pontifice admodum pauci cum ſuis pileis, ſubſequente famulitio, ſuper mulas proceſſerunt e Vaticano ad prædictam ſtationem. Pontifex, cum per otium & valetudinem licet, huic ſupplicationi intereſſe ſolet.

XXVIII. Eminentiſſimus Cardinalis Eſtræus, ut ſuæ in nos humanitati cumulum apponeret, brevi diſceſſuros in villa Benedicti denuo excepit. Benedictus abbas, villæ conditor, libellum de villa ſua, emblematis argutiſque variarum linguarum ſententiis refertum, nobis conceſſit. Pridie hujus diei illuſtriſſimus Sluſius, quem cum hæc ſcribimus in ſacrum Cardinalium collegium magno omnium plauſu cooptatum eſſe intelligimus, duo utrique noſtrum numiſmata, ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XI nomine ſignata, unum aureum, aliud argenteum dedit in pignus ſuæ in nos benevolentiæ, cujus æternum memores erimus.

Martio. I. Bellorius a nobis laudatus non ſemel, ut nos in Galliam reverſuros perpetui apud ſe hoſpitii jure donaret, exemplum nobis conceſſit duplicis egregiæ teſſeræ hoſpitalitatis ex ænea tabula, quam ex Hiſpania, id eſt ex bibliotheca Laurentii *Ramirez* de Prado, Matrito Romam allatam per Camillum Maximum patriarcham Jeroſolymitanum, Bellorius ipſe in ſuo muſeo nunc aſſervat. Prima teſſera ſpectat univerſas familias Deſoncorum & Tridiavorum ex opido Zoëlarum: altera privatas perſonas. Hanc tabulam, prout in lamina ærea jacet, huc retulimus.

An 1686. Martio.

M Licinio crasso
L. calpurnio. pisone cos.*
IIII. KL. MAIAS.

* anno Chr. XXVII.

GENTILITAS. DESONCORUM. EX. GENTE. ZOELARUM ET. GENTILITAS. TRIDIAVORUM. EX. GENTE. IDEM ZOELARUM. HOSPITIUM. VETUSTUM. ANTIQUOM RENOVAVERUNT. EIQUE. OMNES. ALISALIUM. IN. FIDEM. CLIENTELAMQUE. SUAM. SUORUMQUE. LIBERORUM. POSTERORUMQUE. RECEPERUNT. EGERUNT ARAUSABII. CAENI. ET. TURAIUS. CLOUTI. DOCIUS. FLAESI MAGILO. CLOUTI. BODECIUS. BURRALLELAESUS. CLUTAMI PER. ABIENUM. PENTILI. MAGISTRATUM. ZOELARUM

ACTUM. CURUNDA

GLABRIONE. ET. HOMULIO. COS.* V. IDUS. JULIAS IDEM. GENTILITAS. DESONCORUM. ET. GENTILITAS TRIDIAVORUM. IN. EANDEM. CLIENTELAM. EADEM FOEDERA. RECEPERUNT. EX. GENTE. AVOLGIGORUM SEMPRONIUM. PERPETUUM. ORNIACUM. ET. EX. GENTE VISALIGORUM. ANTONIUM. ARQIUM. ET. EX. GENTE CABRUAGENIGORUM. FLAVIUM. FRONTONEM. ZOELAS

* anno Chr. CLII.

EGERUNT
L. DOMITIUS, SILO. ET
L. FLAVIUS. SEVERUS
ASTURICAE

IV. Pridie quam Roma diſcederemus, viſum eſt illuſtriſſimo Platellæ Prodatario, ſanctæ Mariæ Rotundæ canonico & archiviſtæ, ut ejuſdem loci veteres codices examinaremus. Omnes ſunt ad uſum eccleſiæ, Paſſionaria, Kalendaria, libri Miſſales, & Sacramentorum: reliqui codices exinde alio aſportati. Unum hoc Romanæ elegantiæ & magnificentiæ monumentum integrum ſuperſtat poſt tot urbis deprædationes & ruinas. Hoc eſt Pantheon, quod in honorem omnium, quos profana gentilitas deorum nomine cenſuit, M. Agrippa, Auguſti gener, exſtruxit. Plinius hoc templum ponit inter pulcherrima, illudque architecti adeo admirantur, teſte Villalpando, ut vocent abſolutiſſimum opus, & exemplar conſummatiſſimæ architecturæ. Ad ejus exemplum Spitigneus, Boëmiæ dux, eccleſiam ſancti Viti Pragæ conſtruxit anno M LX. Pares ſunt in longitudine, latitudine, & altitudine menſuræ,

Chronic. Saxon. mſ.


An. 1686. Martio. videlicet pedum centum quinquaginta octo, & amplius. Columnæ in porticu viginti octo ex lapide ægyptiaco miræ magnitudinis, altitudine pedum quadraginta cum aliquot particulis. In interioribus columnæ totidem, ſed multo minores. Ad templum aſſcendebatur gradibus ſeptem: tectum opertum erat tegulis æneis prægrandibus: trabes in porticu itidem ex ære: ex quibus æneæ baldachini ſancti Petri columnæ Urbani VIII juſſu conflatæ ſunt. Apertum eſt templum in ſummo, unde lux in interiora ſubit. Illic tumulum habet præclarum illud pictorum decus Raphaël Urbinas, cum ſequenti elogio, brevi quidem, ſed perquam honorifico.

Hic ſitus eſt Raphael, timuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

Non divellendus a Raphaële illuſtris ejus concivis & cognominis Raphaël Fabrettus, ſæpius jam a nobis laudatus, qui poſt noſtrum ex Urbe diſceſſum nobis ſignificavit, Romæ ad Tiberis Ripam majorem reperta fuiſſe noviſſime diverſa ex marmore ponderum ſpecimina, ex quibus antiqua Romanorum libra illuſtrari poteſt. Unum eſt cum littera S. ſemis, id eſt ſemilibram deſignante: quod cum recentiori pondere comparatum, ſex uncias juſte appendit. Alterum magis integrum cum eadem nota eſt unciarum $6\frac{1}{4}$. Tertium cum nota I. eſt unciarum $13\frac{1}{16}$. Quartum cum duplici II. unciarum $23\frac{12}{16}$. Hæc omnia æquabilia ſunt, & ſine manubrio, quo ſequentia inſtructa erant. Primum ex his præferens numerum X. eſt librarum 9. cum unciis 10. Secundum cum nota XX. efficit lib. 18. cum unciis 8. Tertium denique cum nota XXX. æquivalet lib. 29. Ex quibus intelligitur, pondera hæc non omnino æqualia fuiſſe: quorum forſan aliqua erant ad pondus aridorum, alia ad liquidorum.

Idem vir clariſſimus die XVIII Februarii anni currentis MDCLXXXVII ſub monte Teſtaceo, de quo ſuperius mentio injecta eſt, invenit gentis Ruſticeliæ ſepulcrum: cujus baſis & corona ex lapide Albano conſtant, reliquum ex topho ſatis firmo. Ejus ſpecimen hic apponimus.

AN. 1686. MARTIO.



Epigraphe lapidi Tiburtino inſculpta erat in hanc ſententiam.

AMBEIVIA. L. F. MATER
L. RUSTICELIUS. C. F. SCA.
M. RUSTICELIUS. C. F. SCA.
Q. RUSTICELIUS. C. F. SCA.
LARCIA. L. F. UXOR.

Gens Ruſticelia erat ex Scaptia Tribu, quæ nomen accepit, teſte Feſto, ab urbe Scaptia, quam Plinius in Latio locat. P. Scaptius P. F. Gabinam viam ornari, ac refici ſua impenſa curavit, apud Gruterum C. L. Porro prædictum ſepulcrum habet longitudinis pedes XXX. totidemque latitudinis. Ad latus ejus dextrum repertus fuerat anno ſuperiori ſequens cippus pariter e Tiburtino lapide, modo pro limine proximæ cellæ vinariæ inſerviens.

CIPPUS. PRIM
US. DEFIXUS
ERAT. CONTR
ANGULU
M. DEXTERI
OREM. MO
NUMENTI
RUSTICELI. ET
ABERAT. AB. TR

An. 1686. Martio.

UNCO. MON
UMENTI. P. V
ET. AB. STRUCT
URA. AQUAE
CLUSARIS. P. VS

Numquam Roma diſcederemus, ſi hoc modo ſingulas Romanas antiquitates, etiam quæ in libris editis deſunt, recenſeremus. Sed valeat tandem Roma, valeant & Romani.

ITER SENAS.

V. Feria tertia poſt Dominicam primam Quadrageſimæ, cum noſtra obſequia & gratiarum actiones amicis noſtris perſolviſſemus, ex Urbe Florentiam verſus diſceſſimus, ultra pontem Mulvium deducti ab amicis, Diroyſio, Bernovio, Auzuto, & aliis: eodemque die apud Roncilionem pernoctavimus.

VI. Altera poſt noſtrum ex Urbe diſceſſum die Viterbium prætergreſſis, per tempus nobis haud quaquam licuit adire bibliothecam Latini Latinii Viterbienſis, Canonicis ejuſdem urbis ab eo legatam. Viſitur in ædibus prætorianis Annæ Viterbienſis ex Ordine Prædicatorum depicta effigies, qui fucatis & ementitis librorum & inſcriptionum veterum titulis viros doctos ſuo tempore deluſit. Huic Beroſi Antiquitates Babylonicas, & Manethonis Chronicon tribuunt * periti critici; variaſque inſcriptiones, cum græcas, tum latinas: quas ab ſe ſubornatas humo infodi, ac poſt aliquantum temporis inde effodi, quo antiquitatis ſpeciem eis affingeret, doloſe curabat. Ejuſmodi ſunt nonnullæ ædibus prætorianis inſculptæ, quarum una Deſiderii Langobardorum regis, qua Aſtolfi deceſſoris ſui abrogat decreta, Grutero fucum fecit. Hujus rei occaſione memini legere in ſcriptis libris quamdam ejuſdem farinæ inſcriptionem, *Diis pedibus* nuncupatam, de qua inferius dicemus. Gaſpar Varrerius Luſitanus præter alios perſonatum Beroſum eleganti validaque cenſura confodit.

** V. Gerard. Voſſ. de Hiſt. Lat. pag. 609.*

Pranſis apud Montem-Flaſconis, hoſpitium præbuit vicus ſancti Laurentii ad Volſinienſem ampliſſimum lacum. Duobus proximis diebus, Aquæ-pendentis opidum, tum Radicofani, unde incipit ditio Magni Hetruriæ Ducis: poſtea Scala in noctem inde primam, Senæ in alteram nobis occurrerunt: quæ civitas lapidibus coctis tota ſtrata eſt.

IX. Sabbato apud Senas eccleſiæ metropolitanæ ſeu Domus elegantem fabricam, ſed maxime pavimentum, marmoreis ſegmentis depictum, quale nuſquam alibi invenitur, non ſine admiratione vidimus. Altare majus, ſolito more converſum ad Orientem, inſignes ex ære fuſili ſtatuas habet; & ſuper altare exſtat ſanctiſſimi Sacramenti repoſitorium ex eadem materia. Ante hoc altare octo ex candida cera funalia (quod apud Italos ſingulare, quibus oleum id præſtat) perpetuo ardent ex pia inſtitutione Avæ nobiliſſimæ Magdeburgenſis feminæ: quæ cum olim Senas veniſſet, non procul a civitate cœnobium ſub Regula ſancti Benedicti conſtruxit, ac veſte monaſtica ibidem induta, mirabili exemplo vitam traduxit & abſolvit. Tempus non exprimit Ughellus, ex quo hæc retulimus. In eadem eccleſia chori ſedilia pone altare etiam ſubalares fornices occupant. Sacella ex utroque latere ad majorem uſque portam egregie ornata; ſed in primis beatiſſimæ Virginis capella cum ſphærica turre, tota interius ex marmore conſtans, impenſis Alexandri VII. cujus ſtatua ibidem cum aliis indigenarum Pontificum ſtatuis conſpicitur. Ex adverſo cernitur ejuſdem figuræ capella ſancti Johannis Baptiſtæ. Octo vulgo numerantur Pontifices ex Senis vel ex Senenſium ditione oriundi. Gregorius * VII. Alexander III. Pius II. & Pius III. Marcellus II. Paulus V. Alexander VII. quibus Bonifacium VI adjungunt, adduntque Nicolai II electionem Senis in Concilio factam, qui decretum tulit, ut deinceps Pontifex nonniſi a Cardinalibus eligeretur. Dum ejuſmodi ſtatuas intueremur, occurrit memoriæ id quod in Colomeſii Singularibus legitur, ſtatuam pſeudopapiſſæ Johannæ inter illas pontificias locum habuiſſe uſque ad annum MDCXXXIV. quo anno Johannes Launoius Doctor Pariſienſis Senas profectus, ipſam ſtatuam in cathedrali eccleſia etiam tunc ſtantem ſe vidiſſe aſſerit in Diſſertatione de auctoritate negantis argumenti: ac proinde Baronio illuſum fuiſſe, cum in litteris ad Florimundum Raimundum ſcribens, disjectam & comminutam ſtatuam ſibi ipſe gratulatur. Oculis omnia luſtravimus accurate, nec quidquam de illa ſtatua aut videre, aut reſcire potuimus. Rem poſtea maturius examinavit illuſtriſſimus abbas Jacobus Mignanellus, atque ænigma ſolvit in litteris, quas per Magliabecum nobis tranſmitti curavit. Quippe ſtatuam illam fabuloſæ Johannæ, quæ poſt refectam ſub hæc noviſſima ſæcula baſilicam, obtinente fabula, fabri-

AN. 1686. MARTIO.

* *Ital. ſac. to. 3. col. 620.*

* aliis Romanus.

An. 1686. Martio. cata fuerat; demum Clementis VIII pontificatu, cooperante cum Magno Duce ad Baronii preces archiepiſcopo loci Cardinale Tarugio, non penitus quidem fuiſſe comminutam: ſed mutatis formæ muliebris lineamentis, ex femina factam Zachariæ pontificis figuram, appoſito ZACHARIÆ nomine, ne qua ſuſpicio in poſterum hac de re ob ſervatam ſtatuæ materiam ſuboriri poſſet. En vera ac genuina facti hiſtoria. Ad latus aquilonare eccleſiæ Pius II egregiam bibliothecam conſtruxit, inſtruxitque: ſed modo ſoli libri, qui ad cantum pertinent, ibi ſuperſunt, numero quadraginta, cum præclaris ex minio picturis, qui pro temporum diverſitate ad chori uſum mutantur. In pariete utrimque elegantiſſimæ picturæ Pii II geſta præcipua repræſentant. In medio ſuper columnam conſiſtunt tres Gratiæ ex ære: quarum una inſtar abeuntis, duæ ſpecie redeuntium, morali quippe documento, facta una gratia, geminas auctori provenire.

Senis eccleſiæ Dominicanorum & Franciſcanorum ingentes. In hac ſanctus Bernardinus cuſtodis officium geſſit: in illa vixit ſancta Catharina Senenſis. Apud Patres Auguſtinianos, quorum eccleſia ſanctum Martinum Turonenſem patronum habet, Pater Oliva Generalis inſtructiſſimam bibliothecam in publicos uſus nuper inſtituit. Mox laudatus Jacobus Mignanellus, cui a Magliabeco eramus commendati, nos per urbis loca comitari non eſt gravatus; reverſos in ſuis ædibus amice excepit. Pater ejus inter majores ſuos numerat ejuſdem generis Cardinalem Fabium Mignanellum: mater ex Ptolomæorum gente, Bernardum Ptolomæum, inſtituti Montis Oliveti auctorem inter ſuos agnoſcit.

FLORENTIA ET LOCA VICINA.

Eodem die flante rigidiſſimo vento Senis egreſſi, ſequenti Florentiam pervenimus: ubi, tamquam in primario renatarum artium domicilio, ultra unum menſem ſubſtitimus.

XI. De Florentia id experti ſumus, quod Petrus Delphinus, Camaldulenſium ſummus præfectus, in epiſtola quadam inedita ſcribit ad Vincentium Quirinum Venetum, qui Florentiam profectus, ſe illius civitatis elegantia, morumque comitate mirifice captum fuiſſe Petro ſcripſerat. Reſpondit Petrus in hunc modum. *Placituram tibi Florentiam numquam dubitavi. Eſt enim ejuſmodi, ſi ædes ſacras, ſi profanas, ſi xenodochia*

&

& alias ſtructuras miro artificio exædificatas conſideres, quæ ob ſui venuſtatem & elegantiam omnibus placere debeat. Quæ ſint iſtorum civium ingenia, qui mores & ſtudia; ex illorum congreſſu facile potuiſti advertere. Quam ob rem ſi a civitatis antiſtite & aliis tum religioſis, tum primariis civibus officioſe habitus es, atque humaniter acceptus; non eſt quod mei gratia id factum putes. Non enim es tu is, qui latere diu apud Florentinos potueris: cum ſuapte natura procul odorentur hominum præſtantiam, & ſapientibus atque eruditis mirifice deferant. Hactenus Petrus. Etſi vero non ii ſumus, quibus deferri ob eam præſtantiam poſſit: attamen ſive propter amicorum commendationem, ſeu propter ejus a quo miſſi eramus dignitatem, a Florentinis nihil nobis non conceſſum eſt. Hanc gratiam in primis acceptam referimus sereniſſimo Principi Magno Hetruriæ Duci, qui, cum Senis eſſet, comperto ex litteris Magliabeci noſtro Florentiam adventu, juſſit ut non ſolum Laurentiana Mediceorum bibliotheca, ſed etiam omnes Florentinæ in noſtros uſus eſſent reſeratæ; nobiſque ſuppeditaretur amanuenſis ad ea deſcribenda, quibus opus haberemus. Rem exſecutus eſt illuſtriſſimus Antonius Magliabecus, ex longo litterarum commercio nobis jam dudum amiciſſimus: quo duce ac monſtratore, quicquid librorum in bibliothecis Florentinis propoſito noſtro magis conveniebat, didicimus. Is enim ea præditus eſt ſagacitate, nihil ut ipſum lateat; ea memoria, ut omnes libros habeat in numerato, ipſe muſeum inambulans, & viva quædam bibliotheca. An. 1686. Martio.

Dum cum illo fabularemur, dum congeſtos librorum acervos apud eum revolveremus, eo advenit R. P. Petrus Pinotus, a ſancto Ludovico cognominatus, Fulienſium Gallorum in monaſterio Pacis Prior, qui pro ſua humanitate nos in ſuum cœnobium, volentes quidem ac lubenter aſſentientes, traxit; ibidemque paterna caritate tractavit. Idem nos poſtridie deduxit in audientiam Magni Principis Ferdinandi, (is Magni Ducis primogenitus filius) qui nobis favorem ſuum gallicis verbis promiſit, factiſque præſtitit. Verum cum Patrum Fulienſium monaſterium extra urbem ſitum ſit, coacti ſumus, non ſine amica hoſpitum noſtrorum expoſtulatione, hoſpitium accipere in abbatia ſanctæ Mariæ: cujus loci abbas reverendiſſimus Pater Candidus ab Aſculo nihil non egit, ut ad ſe diverteremus. Aſſenſimus tandem, & per aliquot quibus Florentiæ manſimus hebdomadas, humaniſſimi abbatis & monachorum ejus caritas in

AN. 1686. MARTIO. nos ſemper conſtans & eadem perſeveravit. Interim eruditum virum Henricum Noriſium convenimus in conventu Patrum Auguſtinianorum de Spiritu-ſancto: cujus eccleſia more veterum baſilicarum per Remp. Florentinam magnifice exſtructa; majus vero altare, totum lapillis conſtans, cum baldachino a Florentinis ante annos centum impenſis octoginta quatuor millium nummorum fabrefactum eſt. Cœnobii ædes magnificentia non impares.

Non abſimilis eſt ſanctæ Mariæ Novellæ, ubi Dominicani verſantur, elegans eccleſia, quam Michaël Angelus à Bonarota ſuam *Sponſam* ſolebat appellare. In ea ſepultus pius ille Joſeph Patriarcha CP. tempore Synodi Florentinæ, quæ ipſo in loco habita eſt. In clauſtro primo veteres ſunt picturæ de creatione mundi, quarum una ſacrificium Abelis & Caïni exhibet cum hoc vulgari Politiani verſu retrogrado.

Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo.

Abel ex parte directæ lectionis pictus eſt: Caïnus ex adverſa, quæ ipſi convenit. Inſignis eſt etiam ibidem bibliotheca, libris editis inſtructior, quam manu exaratis: quorum primas tenent Johannis Caroli Florentini, ejuſdem conventus alumni, opera: in his vitæ inſignium virorum, qui in illo conventu floruerunt, Chriſtophoro Landino viro clariſſimo nuncupatæ. Hic Landinus Angeli Politiani præceptor fuit, ejuſque corpus inter Pratum-vetus & Puppium, quæ loca ſunt agri Florentini Camaldulum verſus, incorruptum jacere dicitur. Vitæ autem illæ, quas deſcripſit Johannes Carolus, ſunt Johannis Salernitani, primi fundatoris domus ſanctæ Mariæ Novellæ; Aldobrandini Calvacanti, Urbevetani quondam epiſcopi; Simonis Salterelli, Piſani antiſtitis; Angeli Acciaïoli, præſulis Florentini; Alexii Strozzæ, theologi præſtantiſſimi; Guidonis Regiolani, & Johannis Dominici Raguſini antiſtitis ac S. R. E. cardinalis, qui fuit fundator conventus Prædicatorum Feſulenſium, de quibus poſtea dicemus. Pure & terſe ſcribit hic auctor, qui alium librum anno M CCCC LXI edidit dialogi modo, qui inſcribitur, *Liber dierum Lucenſium*, continens deplorationes illorum temporum.

XII. Sacris in eccleſia beatæ Mariæ de Annuntiata, ubi Servitæ degunt, celebratis, vidimus loci bibliothecam, quæ codices manu ſcriptos non paucos habet. Nihil humanius optimis

illis Patribus, qui omnem facultatem inveſtigandæ bibliothecæ non modo conceſſerunt, ſed nos etiam apud ſe hoſpitari propemodum coëgerunt. Inde multa excerpſimus ex quodam libro cui titulus eſt, *Gubernaculum Conciliorum*, ad Julianum de Cæſarinis, tit. ſancti Angeli Cardinalem, ſcripto tempore Concilii Baſileenſis a quodam Nicolao prædicatore Hiſpano, diſciplinæ eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimo, qui & ipſe Concilio Conſtantienſi interfuerat. Ibidem etiam invenimus quoddam ſcriptum, ſub nomine Hieronymi *de duodecim Doctoribus* ſui temporis vulgatum, quem cum alio codice ſanctæ Crucis contulimus. Apud illam Annuntiatæ eccleſiam frequens eſt Fidelium concurſus ob imaginem beatiſſimæ Virginis, quam a quodam Bartholomæo (Johannem alii appellant) inchoatam, ab Angelo abſolutam fuiſſe tradunt.

An. 1686. Martio.

Dominicus Johannes Florentinus ex Ordine Prædicatorum in carmine ſuo de vita beatæ Virginis, & de Florentinis ejus eccleſiis, quod quatuor libris ſcripſit ad Petrum Mediceum, Senioris Coſmi filium, ejuſdem eccleſiæ inſtauratorem; multa dicit de hac eccleſia, deſcribitque atrium ejuſdem variis ornatum figuris in ſignum miraculorum, pictis & fictis, quæ etiam nunc ibidem videntur. Laudat inſuper Philippum Benitium, ejuſdem loci quondam Patrem, mira pollentem virtute:

Oſſa modo cujus ſita ſunt veneranda Tuderti
Mortua, portentis vivificata novis.

Laudat & Marianum, qui ſuo tempore vivebat, itidem loci Patrem, de quo plura ſcripta ſunt in Dialogo Pauli Florentini de origine Ordinis ſervorum beatæ Mariæ ad Petrum item Mediceum: quem Dialogum ex Laurentiana bibliotheca habemus. In quodam codice hujus bibliothecæ, ubi contenta initio referuntur, inter alia notatur *VVillelmus Theodoricenſis de officiis eccleſiaſticis*: ſed liber iſte avulſus e codice fuerat. Ibidem R. P. Auguſtinus nobis oſtendit librum ſuum de Doctoratu, quem prelo ſubjicere meditatur.

XIII. Nulla poſt Laurentianam bibliotheca Florentiæ libris vetuſtis magis referta eſt, quam bibliotheca ſanctæ Crucis, quæ præclara domus eſt Minorum conventualium. Bibliotheca hæc ampliſſima ſolos mſſ. codices habet, ad quos inſpiciendos facilem acceſſum habuimus. *Liber Anſelmi de corpore Chriſti*, qui in editis deſideratur, non levis eſſet momenti,

An. 1686. Martio. ſi codex foret correctior. Eſt & aliud ejuſdem argumenti opus ex Patribus, quorum nullus affertur Paſchaſio Radberto poſterior. quod opus Gezonis abbatis eſſe poſtea deprehendimus. Alius codex ſancti Johannis Chryſoſtomi in Matthæum homilias XXVI Aniano interprete, ſubſequentes a Georgio Trapezuntio in Latinum verſas complectitur. In alio codice habetur alia verſio earumdem homiliarum numero XC. a Burgundione Judice, origine Piſano, facta *domino Papa Eugenio III præcipiente, anno Dominicæ Incarnationis* MCLI, *Indict.* XV, *in Kal. Decembris,* uti Burgundio ipſe in fine teſtatur, qui alia tum Chryſoſtomi, tum Johannis Damaſceni latine vertit. De hoc lege Laurentii Pignorii epiſtolam XXXIX. Porro viginti ſex homilias priores, nec plures, nec pauciores, ab Aniano vetere interprete in Latinum tranſlatas fuiſſe, ex aliis item codicibus antiquis perſpectum habemus. In alio codice ſanctæ Crucis exſtant Goffridi Vindocinenſis epiſtolæ: ex quibus quadrageſima tertia eſt *ad Robertum de Arbruſcello, ſanctimonialium de Fonte Ebraudi procuratorem.* Codex ſcriptus eſt auctoris ætate. Verum hæc epiſtola non officit Roberti ſanctitati; neque alia item Marbodi epiſcopi Redonenſis: utpote quæ falſos tantum rumores continent, a malevolis ſparſos in Robertum, quem inculpata vita, alia auctorum æqualium teſtimonia, ceteraque omnia ab his calumniis abunde purgant. Sed de his hactenus. Præclara eſt ibidem Jacobi Angeli ad Chryſoloram epiſtola de Gregorii XII electione. Non inter infimos ejuſdem bibliothecæ codices cenſendum eſt Pontificale Romanum, in quo ſingularia quædam leguntur, maxime in viſitatione infirmorum, & in mortuorum tumulatione. Sacerdos ad infirmum procedit cum oleo ſancto, aqua benedicta, & cinere ſacro. Infirmus à ſacerdote interrogatus, cur ſe accerſierit, reſpondet: *Ut confitear Domino & tibi peccata mea, & ut vice Dei tu illa mihi condones, & des mihi pænitentiam, & infundas ſancti Spiritus unctionem.* Dehinc promittit, ſe, ſi convaluerit, *unctionem ſanctam cuſtoditurum.* Tum facta ſuper ejus pectus cruce cum aqua benedicta & cinere, Sacerdos cilicium eidem ſuperimponit. Poſtea *ſuſcepta confeſſione, & indicta pænitentia,* ſequuntur Pſalmi pænitentiales; iiſque decurſis adoratio crucis per infirmum. Deinde *tradit ei ſacerdos euchariſtiam dominici corporis, intincto vino tali intinctione ſanctificato.* Demum fit unctio ſolito more. In ſepeliendo mortuo hæc præci-

pue obſervantur. Ante defuncti abſolutionem, *de mandato Rectoris Pater ſpiritualis venit in medium, & reddit teſtimonium pro defuncto, ſi fuerit unctus, ſi confeſſus: & de vita ſua audito teſtimonio, ſæpe dictus Rector quærit a cuncto clero, & dicit: Placet vobis ut abſolvatur frater iſte defunctus? Reſpondent, Placet. Tunc Rector rogat de voluntate omnium eum qui major eſt inter eos, vel qui primus fuit in oratione, ut ipſe abſolvat. Ille vero cui injungitur, dicit, Orate omnes. Pater noſter. In memoria. Abſolve. Finita oratione, jam dictus Rector præcipit diaconis & ſubdiaconis, ut accipiant feretrum. Illi accipientes deportant eum ad tumulum.* Hæc quia ſingularia ſunt, lectoribus rerum eccleſiaſticarum ſtudioſis non ingrata fore exiſtimavimus. Hactenus de bibliotheca ſanctæ Crucis. AN. 1686. MARTIO.

In ejuſdem loci eccleſia, quæ ſane ampliſſima eſt, inſigniorum pictorum eximiæ ſunt tabellæ: præclara item mauſolea illuſtrium virorum, Leonardi Bruni Aretini, & ex adverſo Caroli Marſuppini, qui ambo Reip. Florentinæ Cancellarii, atque litteris clari exſtitere. Leonardo hoc epitaphium inſcriptum eſt.

Poſtquam Leonardus e vita migravit,
Hiſtoria luget, eloquentia muta eſt:
Ferturque Muſas, tum græcas, tum latinas,
Lacrimas tenere non potuiſſe.

Matthæus Palmerius Florentinus, in libello de Temporibus, quem Petro Coſmi Senioris filio nuncupavit, Leonardi obitum refert ad annum M CCCC XLIII his verbis: *Leonardus Brunus hiſtoriographus Florentiæ moritur* VII *Idus Martii, ætatis ſuæ anno* LXXIIII. Neque Caroli Marſuppini elogium prætermittendum, quod hoc epigrammate concluditur.

Siſte, vides magnum quæ ſervant marmora vatem,
Ingenio cujus non ſatis orbis erat.
Quæ natura, polus, quæ mos ferat, omnia novit
Karolus, ætatis gloria magna ſuæ.
Auſoniæ & Graïæ crines nunc ſolvite Muſæ:
Occidit heu! veſtri fama decuſque chori.

Duo iſti tumuli exſtant in ſumma navi ſanctæ Crucis: in infima vero monumentum Michaëlis Angeli a Bona-rota, cum dimidia ejus effigie, tribuſque præclaris ſtatuis, quæ pingendi, ſculpendi, & ædificandi artes, quibus is excellebat, repræſentant, cum hocce epitaphio.

An. 1686.
Martio.

MICHAËLI ANGELO BONAROTIO,
E VETUSTA SIMONIORUM FAMILIA,
SCULPTORI, PICTORI, ET ARCHITECTO,
FAMA OMNIBUS NOTISSIMO.

LEONARDUS *patruo amantiſſ. & de ſe optime merito, Tranſlatis Roma ejus oſſibus, atque in hoc templo major. ſuor. ſepulcro conditis, cohortante ſereniſſ.* COSMO *Med. Magno Hetruriæ Duce P. C.*

Ann. ſal. CIƆ. IƆ. LXX.

VIXIT ANN. LXXXVIII. M. XI. D. XV.

Ejus obitus Romæ contigit die XVII Februarii, anno Domini MDLXIV. Extra baſilicam ſanctæ Crucis, ad ædes Novitiorum ſepultus eſt celebris ille mathematicus Galilæus Galilæi Florentinus, qui obiit anno MDCXLII. die IX Januarii, ætatis ſuæ anno LXXVIII.

Hæc etſi pluribus diebus a nobis obſervata, in unum tamen diem conjecta ſunt: quo die Magni Ducis cimelia, ſigna, picturaſque nobis commonſtravit cum Magliabeco Noriſius, qui numiſmatum & cimeliorum curam habet. Opus eſſet peritiſſimo rerum æſtimatore ad definiendum pretium tot inæſtimabilium rerum, quæ in veteri palatio aſſervantur: certe neque earum numerum, neque vocabula condigna afferre poſſumus. In his atque aliis quæ Romæ vidimus ſignis mirari licet priſcorum artificum ingenium & induſtriam, qui rem mutam atque inanem, veluti ſpirantem ac loquentem reddere potuerunt; & quod eſt mirabilius, ita paſſiones animi repræſentare, ut rigidum marmor, quod neque lætari, neque dolere poteſt, ſimile triſtanti ac ridenti conſpicias. Una paſſim in his ſignis atque etiam in picturis verecundia deſideratur, quam vel nullam, vel ſolum dimidiatam exhibebant illi veteres. At forte ignoſcendum paganis, ſed non Chriſtianis, qui in ipſis etiam locis ſacris, ad ipſas aras pudorem ſpectantium nonnumquam offendunt. Cum in perfectiſſimorum ſignorum æſtimatione hæreamus, occurrit præ aliis in galeria (ut vocant) ſereniſſimi Ducis imperfecta Bruti ſtatua dimidia, cujus vultum cum ſculptor dimidiatis tantum lineamentis exhibuiſſet, ad cetera ſupplenda hoc diſtichon appoſuit.

Dum Bruti effigiem ſculptor de marmore fingit,
In mentem ſceleris venit, & abſtinuit.

Singularis eſt uno in conclavi collectio multarum tabellarum, in quibus pictores ſe ipſos expreſſerunt: quas inter non poſtrema eſt Bruni noſtratis nobiliſſimi pictoris effigies. An. 1686. Martio.

XIV. Litteris a ſereniſſimo Duce acceptis, in Laurentianam bibliothecam introducti ſumus per Magliabecum: ibique multos dies inveſtigandis deſcribendiſque codicibus antiquis impendimus. Illuſtriſſimus Johannes Baptiſta Freſcobaldius, Laurentianis Canonicis præpoſitus, cui a Principe iterato commendati fuimus, nobis facilem illuc acceſſum cum ſcriptore præbuit: ſemperque ad officia paratiſſimus fuit Alexander de Magnis, bibliothecæ pro tempore curator. Adjacet bibliothecæ eccleſia ſancti Laurentii, Ambroſiana olim dicta a ſancto Ambroſio, qui eam ſanctis Vitali & Agricolæ nuncupavit. Hanc vero in eam, quæ nunc cernitur, formam conſtruxit Coſmus Senior, qui ad gradus majoris aræ cum uno, ſed perquam honorifico, *Patris Patriæ* titulo, qui ipſi Senatusconſulto decretus eſt, ſub humili lapide jacet. De tanto viro, tamque de litteris benemerito id jure dici poteſt quod Plinius junior ſcripſit de Titinio Capitone. "Vir erat optimus, & inter præcipua ſæculi ſui ornamenta numerandus. Colebat ſtudia, ſtudioſos amabat, fovebat, provehebat; multorumque qui aliqua componebant, portus, ſinus, præmium, omnium exemplum: ipſarum denique litterarum jam ſeneſcentium reductor ac reformator." *Plin. lib. 8. epiſt. 12.* Clauſtrum Canonicorum baſilicæ adhæret, & ſuper clauſtrum ex una parte bibliotheca: cujus ædificium delineavit Michaël Angelus Bona-rota. Scamna veteri more hinc inde ſunt diſpoſita, & ſuper ſcamna codices numero tria millia ſeptem. Eorum indicem brevi (ut ſperatur) edendum accuratiorem texit Franciſcus Maria Ducci, ſcribendi græce & hebraice peritus. Bibliothecæ altera pars dotis nomine Catharinæ Mediceæ ceſſit, in bibliothecam regiam tranſlata. Prope ſcalam, quæ ad bibliothecam aſſcenſum præbet, exſtat Pauli Jovii ſtatua ex marmore cum hac inſcriptione.

PAULO JOVIO NOVOCOMEN. EPISC. NUCERINO,
HISTORIARUM SUI TEMPORIS SCRIPTORI,
SEPULCRUM QUOD SIBI TESTAMENTO DECREVERAT,
POSTERI EJUS INTEGRA FIDE POSUERUNT,
INDULGENTIA MAXIMORUM OPTIMORUMQUE COSMI
ET FRANCISCI ETRURIÆ DUCUM ANNO M D LXXIV.

AN. 1686. MARTIO. E vicino eſt monumentum Antonii Cioſii Juriſconſulti celeberrimi, qui obiit anno M D LXXV.

Cum nullus fere in urbe Florentina locus ſit, ubi aliquod Mediceæ magnificentiæ aut pietatis monumentum non exſtet; nullum tamen auguſtius, quam hoc in loco ubi baſilica Laurentiana, & collegium Canonicorum ibidem inſtitutum, Mediceæ gentis pietatem; magnificentiam ſepulcra Ducum, Angeli Bonarotii opus inſigne; & conditorium illud, quovis auro pretioſius, quod a Ferdinando M. inchoatum necdum abſolutum eſt, tametſi ab annis octoginta a labore non ceſſarint artifices: amorem denique in litteras & bonas artes, quas ab interitu ante annos ducentos Medicei revocarunt, hæc ipſa, de qua loquimur, bibliotheca, quæ in publicos uſus ex Magni Ducis indulgentia patet. Non eſt opus ſingillatim omnia & ſingula recenſere, quæ ex illa bibliotheca deſcripſimus. In Græcis deſcribendis Antonius Maria Salvinius vir, latine & græce, ne quid de aliis linguis dicamus, exercitatiſſimus; in Latinis Franciſcus de Stephanis clericus, adjutores fuere. Ex Latinis inde habemus inter alia *Zenobii epiſcopi vitam*, quæ Simplicianum ſancti Ambroſii amicum ac ſucceſſorem præfert auctorem, quod tamen præſtare nolim; deinde *Humberti Cardinalis libros tres* contra Simoniacos & contra inveſtituras: ex græcis *Origenis librum contra ſectas & hæreſes*, ſed mutilum ab ea parte, quæ refutationem continebat; & *acta* cujuſdam *Jacobi neophyti* ex Judæis, qui cum contra ſententiam Heraclii principatu, baptizatus fuiſſet, poſt ſuſceptum Sacramentum ita in fide confirmatus eſt, ut etiam diſputationem adverſus ſuos populares ſuſtinuerit, ad vindicandam religionem Chriſtianam. In illis actis illud obſervatione dignum eſt, quod Jacobus exemplo Pauli apoſtoli, qui ſe legis ſuæ ſtudioſiſſimum ante ſuam converſionem fuiſſe prædicabat, ait ſe pridem adeo Chriſtianis infenſum fuiſſe, ut apud Ptolemaidem libros eorum ex epiſcopio abſtulerit; & eos quidem, qui ad vetus & novum Teſtamentum pertinent, ſecum aſportaverit: at codices ſanctorum Patrum, Baſilii, Gregorii, Epiphanii, Ambroſii, Ephraimi, & Antiochi nomina præferentes, flammis tradiderit. Alii libri in illa bibliotheca inſigniores ſunt *Pauli Oroſii libri* VI, litteris quadratis ab annis mille ſcripti; mutilus codex ad caput XVIII libri primi. Legitur hæc epigraphe initio libri VI. CONFECTUS CODEX INSTATIONE MAGISTRI VVILIA-

RIC

RIC ANTIQUARII. ORA PRO ME SCRIBTORE SIC DOMINUM HABERE PROTECTOREM. An titulus operis fuerit *Ormeſta*, ex mutilo codicis principio diſci non poteſt. Præter ea *Ciceronis epiſtolæ ad Atticum* in veterrimo codice cum tranſpoſitione, quæ in antiquis editionibus reperitur; *Taciti hiſtoriæ lib.* V ex bibliotheca Fuldenſi, quo ex codice prima horum librorum editio Romæ anno M D XV accurata eſt: *Plotini liber* in præexiſtentiam animarum græce, ineditus: & alii. Unus codex ex corio antiquiſſimus ibidem exſtat, continens librum *Heſter*, hebraice ſine punctis ſcriptum, abſque ſcriptura in adverſa foliorum parte. Ibidem habentur *VViclefi opera*, id eſt primo *tractatus magiſtri Johannis VVyclyf de fundatione pſeudofratrum; tractatus de Chriſto & Antichriſto; De contrarietate duorum dominorum: De citationibus frivolis & aliis verſutiis Antichriſti: De nova prævaricantia mandatorum: Speculum Eccleſiæ militantis: Dialogus inter veritatem & mendacium: Alius dialogus quatuor libris in alathiam, pſeuſtin, & phroneſin: De dominis & ſervis*. Nec ab re erit obſervare, in eadem bibliotheca hiſtoriam *Daretis Phrygii*, quicumque ſit impoſtor ille, *de exitu Trojanorum, & de eorumdem excidio*, exſtare in codice ante annos octingentos exarato: in cujus fine habentur verſus de ſancto Patricio, & de Cellano abbate, tempore Tranſmari epiſcopi Noviomenſis. Nec illud prætermittendum, quod in libro Burnetti Latini Florentini, qui inſcribitur, *Theſaurus de origine & natura omnium rerum*, gallice primum, deinde italice ab auctore compoſitus, Burnettus in capite primo, poſtquam ſibi objecit quemdam interrogantem, cur, Italus cum ſit, in *Romana ſeu Francica lingua* ſcripſerit? reſpondet ſe id feciſſe duas ob cauſas: unam, quod in Francia tunc verſaretur: alteram, quod Francica lingua ceteris aliis gratior eſſet atque univerſalior. *percio che la parlatura Franciеſcha e piu dilectevole & piu comuna che tutti li altri linguaggi*. Hujus auctoris liber italice vulgatus eſt. Præterimus *hiſtoriam Bernardi Oricellarii de bello Italico*, ſeu de adventu Caroli VIII Francorum regis in Italiam: qua in hiſtoria moderatio, ſcriptori probo conveniens, & alienus a ſtudiis partium animus deſiderantur. Recens eſt, ſed tamen non ſpernendus codex *de viris quibuſdam illuſtribus apud Arabes, per Johannem Leonem Africanum ex ea lingua in maternam traductis*. Hactenus de bibliotheca Laurentiana.

AN. 1686. MARTIO.

XIX. Cœnobium Angelorum apud Florentiam, Ambroſii

An. 1686. Martio.

viri eruditiſſimi & aliorum Camaldulenſium Patrum inſigniorum ſeceſſu illuſtre, pauca retinet ex illa librorum ſupellectile, quam optimi Patres illi collegerant. Superſunt tamen nonnulli codices haud contemnendi, quos, concedente humaniſſimo abbate Romualdo, examinavimus, partimque deſcripſimus. Majoris momenti *epiſtolæ quatuor Lini Colucii Salutati* Cancellarii Florentini, in cauſa Schiſmatis ſcriptæ, I ad Cardinales Gallicos, II Petro de Corſinis Cardinali, III Marchioni Brandeburgenſi, IV Innocentio ſeptimo. Exſtat aliud opus Pauli Orlandini monachi ejuſdem cœnobii, & poſtea Ordinis præpoſiti generalis, dictum *Heptaticum*, inſcriptum Antonio Puccio, epiſcopo Piſtorienſi & Nuncio apoſtolico ad Helvetios. Argumentum eſt de virtutibus & de triplici Theologia, conjuncta, diſcreta & miſta, de interpretatione Scripturarum ſanctarum contra vanos ariolos: e quibus arguit nonnullos, qui jactitabant, anno Domini MDXXX Antichriſtum eſſe prædicaturum, & Eccleſiam catholicam penitus exſtinguendam: quorum hominum probationes vaniſſimas eſſe demonſtrat. Agit vero præcipue contra quemdam aſtrologum Cremonenſem, & contra alium Florentinum, qui Franciſcus de Mileto vocabatur, duoſque præcipuos conſcripſit libros, quorum alteri *Convivium*, alteri *Quatrivium* titulos dedit. Porro auctor in eo refutando ait ſe *Theologorum Pariſienſium more*, decem ejus argumenta proferre; ac poſtea totidem regulas, quibus Mileti argumenta refutantur. Antonius Franciſcus Caramellus, eruditus Theologiæ lector in eodem monaſterio Angelorum, multis nos officiis obſtrinxit, litteris ad amicos juvit, & quaſdam conciones ſuas editas dono dedit.

XXIV. Sed regrediamur modo ad humaniſſimos hoſpites noſtros abbatiæ Florentinæ, quæ Hugonem Tuſciæ Marchionem auctorem habuit ante annos ſeptingentos. Eum Marchionem Brandeburgenſem perperam fingunt Andreas Notarius Florentinus, & Laurentius Cyathus ex eadem urbe, qui de ipſius Hugonis vita libellos compoſuerunt. In bibliotheca multi ſunt codices græci bonæ notæ, præter latinos. E græcis *Philonis opera* philoſophica & de vita Moſis, item liber de opere ſex dierum: *Chryſoſtomi homiliæ* in Geneſim non ſemel, ejuſdemque varii ſermones: *Catena in Matthæum*, item alia *in Lucam*, utraque veterrima. *Gregorii Nazianzeni ſermones*; *Acta ſanctorum* venerandæ antiquitatis: *Thucididis hiſtoria*; item *He-*

rodoti, & *Polybii*, bonæ notæ; *Euſebii hiſtoria* mediæ ætatis; *Platonis* pleraque opera in multis codicibus; *Luciani ſermones* LXXX, aliaque ejuſdem. *Acta Concilii Florentini*, item *Scholarii ſermones* ad Patres ejuſdem Concilii: denique, ut multa alia prætermittamus, codex antiquus optimæ notæ, in quo *Xenophontis* varia opera, *Dionyſius Halicarnaſſæus* de compoſitione navium, & *Theophraſti characteres*. Hæc de græcis. In latinis, codex annorum DCCC *Rufini hiſtoriam* comprehendit: alius *hiſtoriam Auguſtam*, alius denique *Quintiliani inſtitutiones* eleganter ſcriptas. Poſtremo *Teuzonis monachi commentarius* in Regulam ſancti Benedicti, cum prævia epiſtola ad Odelricum epiſcopum. Vivebat Teuzo iſte ante annos ſexcentos, ſcilicet tempore beati Johannis Gualberti. Hæc omnia argumento ſunt, litterarum, maxime græcarum, ſtudia in illa ſanctæ Mariæ Abbatia olim viguiſſe. Inſigne vero eſt illius loci monachorum elogium ex epiſtola Iſidori Clarii ad Ambroſium ejuſdem cœnobii abbatem, qua verſionem tractatus Nili monachi de Chriſtiana philoſophia ab ſe factam eidem mittit emendandam. quæ auctoris illuſtris epiſtola, quoniam inedita eſt, atque ad commendanda iſtius loci monachorum ſtudia pertinet, huc referenda nobis eſt.

Iſidorus monachus Ambroſio abbatiæ Florentinæ Abbati. S. P. D.

Anno præterito cum in Caſinenſi illo monte, vel potius paradiſo conſiſterem, nihil mihi adeo cordi fuit, quam ut iis potiſſimum intenderem, quæ me ad hujus mundi contemptum maxime provocarent, ac ſacri illius loci ſolitudinem ſuaviſſimam ſuaviorem redderent. Verum cum me ad id mihi non ſufficere viderem, ſanctorumque volumina, quæ mihi ſuppetias ferrent, avidius exquirerem; nonnulli ex fratribus, tunc inibi mecum commorantes, mihi retulerant eſſe in loci illius bibliotheca quamplurima opera, tum græca, tum latina, a præclariſſimis Ordinis monaſtici viris, & diſertiſſime & ſanctiſſime ſcripta, quæ voluntati meæ ſatis abundeque facere, ac meo propoſito conducere poſſent. Accurro properus, moxque omnia curioſus, aviduſque revolvo: & inter cetera forte mihi obvius fuit tractatus quidam Nili monachi, doctrina & vitæ ſanctimonia conſpicui, de Chriſtiana philoſophia. Allexit auctor, & tituli novitas ad legendum: legi & relegi diligenter. Cumque ex ejus lectione multum mihi profuiſſe viderer, cuperemque illum ſemper apud me eſſe, ſimulque ut menti tenacius inhæreret, e græco latinum

AN. 1686. MARTIO. *feci. Sed cum me tempus deficeret, (nam propediem diſcedere, & Romam venire cogebar) in ipſo vertendo nulla verborum elegantia uſus fui: cujus rei etiam cauſa fuit, quod mihi ſoli vertere, nec aliis legendum tradere tunc animus erat. At ubi audivi filios tuos in philoſophiæ ſtudio ſummis viribus incumbere, mutavi ſententiam. nam dandum mihi vitio duxi, ſi non & ipſe, eo modo quo poſſem, illis auxilio eſſem. Hunc igitur de philoſophia tractatum, quia emendandi otium non eſt, ita ut verteram, tibi ut corrigas, illis ut legant miſi. Excipe itaque obſecro, reverende Pater, Nilum ſanctiſſimum ac doctiſſimum monachum, pannis meis vilibus obſitum: in quo filii tui, non veſtes meas tritas & laceras, ſed formam illius angelicam ſpecioſamque conſiderabunt. Quod ſi religioſa ejus candidaque converſatione delectati, cum ipſo frequentius colloquentur; ex ejus profecto doctrina multo melius ac multo felicius proficient, quam ex Ariſtotelicis libris hactenus profecerint. Vale Pater cum filiis. Romæ* XVIII *Kal. Septembris* MDXXXIIII.

Hactenus Iſidori epiſtola, quam cum ſua verſione deſcriptam habemus ex bibliotheca ejuſdem Abbatiæ: ubi optimus Pater Eugenius Gamburrinus Abbas modo verſatur, ſcriptis ſuis genealogicis & ſtudio in Regem & Francicam gentem non minus, quam genere notus.

Non longe inde abeſt metropolitana beatiſſimæ Virginis eccleſia ampliſſima, quæ a Flore nomen habet. Hæc tota exterius ex quadrato ſculptove marmore eximie ac magnificentiſſime conſtrui cœpit anno M CC XCIV. Exterior baſilicæ ambitus elegantia vix ulli ſecundus. Teſtudo Michaëli Angelo Bona-rotæ viſa admirabilis; turris adjuncta itidem ex marmore altiſſima eſt, ad quam per gradus amplius quadringentos aſſcenditur. Turris architectus fuit Jottus pictor quondam celeberrimus; Philippus teſtudinis, mortuus XV. Kal. Maïas anno M CCCC XLVI. uti ejus epitaphium docet, baſilicæ parieti appoſitum ad auſtralem principis portæ ingreſſum. Ibidem cælatum eſt ſequens Jotti epitaphium auctore Politiano.

Ille ego ſum, per quem pictura exſtincta revixit:
Cui quam recta manus, tam fuit & facies.
Naturæ deerat noſtræ quod defuit arti:
Plus licuit nulli pingere, nec melius.
Miraris turrim egregiam ſacro ære ſonantem?
Hæc quoque de modulo crevit ad aſtra meo.
Denique ſum Jottus, quid opus fuit illa referre?

AN. 1686. MARTIO.

Hoc nomen longi carminis inſtar erit.
Obiit anno M CCC XXXVI. *Cives poſ. B. M.*
M CCCC LXXXX.

In eadem baſilica ſepultus eſt Marcilius Ficinus.

In area principis templi portæ objecta conſpicitur præſtantiſſima ſancti Johannis Baptiſtæ ædicula, ex templo Martis in baptiſterium converſa. Ejus valvis ex ære, quæ ex ternis partibus introëuntibus patent, variæ novi ac veteris Teſtamenti hiſtoriæ inſculptæ ſunt. Unam ex his valvis effinxit anno M CCC XXX Andreas Ugolini, Piſanus: Laurentius Florentinus alias duas inenarrabili ſculpti æris arte anno M CCCC XXI inchoavit, nec minori quam quinquaginta annorum ſpatio, teſte Matthæo Palmerio, perfecit. Has duas dum Michaël Angelus Bona-rota olim ſtupens intueretur, percontanti quid de his ſentiret, reſpondit dignas eſſe paradiſo, quod quidam his verſibus reddidit. *Palmer. in mſ. lib. de Temporib.*

Dum cernit valvas aurato ex ære nitentes
In templo Michaël Angelus, obſtupuit.
Attonituſque diu, ſic alta ſilentia rupit:
O divinum opus! o janua digna polo!

Balthaſſar Coſſa, ſub nomine Johannis XXIII Pontifex dictus, ibidem humatus eſt.

XXVIII. Cum Magliabeco iter inſtituimus in abbatiam Feſulanam Canonicorum regularium Congregationis olim ſancti Fridiani Lucenſis, nunc Lateranenſis. Iter breve quidem nobis, cum hic locus Florentia non amplius quam duobus paſſuum millibus diſtet: ſed longum Magliabeco, qui numquam extra ſolum urbis ſuæ Florentinæ pedem movit: niſi quod ſemel in vita ad Pratum opidum, decimo ab urbe milliari, juſſu Principis adire coactus eſt.

Felix qui propriis ævum tranſegit in arvis, *Claud. in epigram.*
Ipſa domus puerum quem videt, ipſa ſenem.

Iter Feſulas eſt per portam ſancti Galli, dixeris Gallorum, quæ ab adventu Caroli VIII Francorum regis in Italiam occluſa, non ante feſtivum ſereniſſimæ Duciſſæ ingreſſum ab annis viginti denuo aperta eſt. Trajecto pedibus ſiccis Mugnione poëtis decantato, occurrit in declivi montis abbatia Feſulana, noſtri quondam Ordinis, quam Coſmus ſenior ejus inſtaurator Canonicis regularibus attribuit, expenſis in id opus & in bibliothecam octoginta quatuor millibus aureorum. In

An. 1686. Martio. hanc abbatiam admiſſi ſumus cum omni humanitate, tum a reverendiſſimo loci Abbate, tum a ceteris religioſis Canonicis, in primis a Patre Guinigio, illuſtriſſimi Archiepiſcopi Ravennenſis nepote, qui ſuos Theologiam docet. Eccleſia ſancto Bartholomæo ſacra. Præ aliis bibliothecæ codicibus ſingulare eſt *Sozomeni Presbyteri Piſtorienſis* ac Florentiæ educati *Chronicon* ab orbe condito ad ſua tempora, ut in Præfatione loquitur. Conſtat duobus magnis voluminibus, quorum poſterius deſinit in anno M CC XCII. Quidam tamen auctorem ſerius vixiſſe, & ad ſæculum XVI perveniſſe exiſtimant. Quamquam ſuperiora ſæcula, quibus nondum politior litteratura reſtitui cœpta erat, ſtilus auctoris ſapit, ipſique litterarum characteres. In fine voluminis primi laudat auctor Veſpaſianum librarium iis verbis, quæ huc referre juvat. *Haud te Veſpaſiane librarie, urbiſque Florentinæ civis, ſilentio præterire in hujus primi voluminis calce mihi eſt conſilium. Namque ſi Ciceronis coætaneus fuiſſes, te peroptime dignum ſuis aureis litterarum monumentis decoraſſet, immortalemque feciſſet. Tu profecto in hoc noſtro deteriori ſæculo Hebraicæ, Græcæ, atque Latinæ linguarum, omnium voluminum dignorum memoratu notitiam, eorumque auctores memoriæ tradidiſti. Quam ob rem ad te utique omnes Romanæ atque aliarum eccleſiarum Pontifices, Reges, Principes, aliique trium linguarum eruditi, ſi humanitatis cognitionem cupiunt, greſſus ſuos dirigunt. Ego autem ipſe, ut pro veritate loquar, auxilio tuo in doctorum virorum documentis ab eis relictis potiſſimum uſus ſum: quorum multa mihi a te demonſtrata, ac deinde diligenter perquiſita, in hoc primo noſtro volumine conſerui. Eſto ergo immortalis, ut ita dixerim, dummodo hæc mea ſcripta, ſatis inepte pro ingenioli mei facultate prolata, tu etiam permanebis.* In ſecundo ejuſdem Sozomeni volumine ad annum DCCC LIII fit mentio de Johanna pſeudopapiſſa; & ad annum M CC XC de miraculo Euchariſtiæ, quod apud Pariſios evenit: ubi Judæus quidam pepigit cum femina Chriſtiana, ut ad ſe corpus Chriſti deferret, quod in ferventem aquam projecit.

Floruit in eadem abbatia (ne quid dicamus de Petro Martyre apoſtata) Matthæus Boſſus, cujus epiſtolæ & ſcripta omnia Bononiæ apud Victorium Benatum edita ſunt anno M DC XXVII. Vixit ſub finem ſæculi XV. nempe tempore Pici Mirandulæ & Angeli Politiani, qui identidem illuc cum Boſſo ſecedebant. Inſignis eſt ea de re Politiani epiſtola ad Lau-

rentium Mediceum, quam, quia rariſſima eſt, hoc loco exhibere quoddam operæ pretium videtur. An. 1686. Martio.

Angelus Politianus Laurentio Medici patrono ſuo S.

Sapienter, ut cætera Laurenti facis, qui ſanctos iſtos extremæ Quadrageſimæ dies conſumere in Agnano tuo malueris, quam Florentiæ. Quis enim tutior portus, in quem de tantis occupationum fluctibus enates, quam Tyrrheni litoris amœniſſimus iſte ſinus atque ſeceſſus, ubi quaſi quoddam naturæ certamen ſit & gratiæ? Sed ego quoque tuum imitatus exemplum, ceu fugitivus urbis, aſſiduus in Feſulano fui, cum Pico Mirandula meo; cœnobiumque illud ambo regularium Canonicorum frequentavimus, avi tui ſumptibus exſtructum. Quin abbas in eo Matthæus Boſſus Veronenſis, homo ſanctis moribus integerrimaque vita, ſed & litteris politioribus mire cultus, ita nos humanitate ſua quadam tenuit, & ſuavitate ſermonis, ut ab eo digreſſi, mox ego & Picus ſoli propemodum relicti, (quod antea fere non accidebat) nec eſſe alter alteri jam ſatis videremur. Hoc ille arbitror ſentiens, dialogum nobis a ſe compoſitum DE SALUTARIBUS ANIMI GAUDIIS *obtulit quaſi vicarium: cujus materia ſtyluſque nos ita cepit, ut quamdiu quidem legebamus, facile auctoris præſentia careremus. Eum igitur ego dialogum mitto ad te quoque, Laurenti, quem ſubter pineta iſta leges ad aquæ caput. Delectaberis arbitror argumento, ſenſibus, indole, nitore, varietate, copia; nec in eo tamen domeſticas quoque laudes deſiderabis: ac ſi tuus etiam acceſſerit calculus, dabitur opera protinus, ut in multa liber exemplaria transfundatur. Vale.*

Hæc Politiani epiſtola præfixa eſt libro Matthæi Boſſi *de veris ac ſalutaribus animi gaudiis* editionis anni M CCCC XCI. nec alibi (quod quidem ſciamus) recuſa.

Ex abbatia Feſulana divertimus ad proximum Dominicanorum vitæ ſtrictioris & obſervantioris cœnobium: ubi olim ſanctus Antoninus vitæ religioſæ tirocinia poſuit; vixitque Santes Pagninus. Inde Marchio Guadagnus nos in vicinam ſuam villam deduxit. Prope faſtigium montis ſita erat civitas Feſulana, nunc fere in ſolitudinem redacta: ubi ſupereſt ſancti Romuli cathedralis, & aliæ plures eccleſiæ, quam caſæ. Epiſcopus Florentiæ degit. In declivi montis & in ſubjecta planitie infinitæ ſunt villæ amœniſſimæ.

XXIX. Bibliothecam ſereniſſimi Ducis, egregie inſtructam, cum Magliabeco ejus curatore revolvimus in palatio;

An. 1686. Martio. quod olim à Pittis ædificatum eſt, ea magnificentia & amplitudine, quæ potentiſſimum Principem decuiſſet. In porticu inferiori ad ingreſſum, ingentis molis cernitur lapis magneticus, ſed ab igne tactus: in extrema parte ſtatua mulæ, quæ ad palatii conſtructionem lapides, ligna, columnas, vexit, conduxit, traxit, ut in appoſito diſticho legitur. Tanta apud Italos rerum præteritarum religio eſt, ut ne quidem animantia ab hac cura excipiant: cujus rei vetera & nova exempla ſuppetunt, non tantum libris, ſed & marmoribus conſignata. Florentiæ ad ripam Arni exſtat inſcriptio lapidi inſculpta, quam ſæculo ſuperiori Carolus Capellus, legatus Venetus, equo ſuo in obſidione Florentiæ cæſo poni curavit. Sic Hadrianus Auguſtus *epitaphium equo ſuo compoſuit*; idemque equos & canes ſic amavit, ut eis *ſepulcra conſtitueret*, teſtante Spartiano. Hinc apparet ejuſmodi monumentorum, quæ hominibus & brutis animantibus communia eſſe poſſunt, quanta ſit vanitas, niſi aliud monumentum, quovis ære ac marmore perennius, homines veris ſolidiſque virtutibus ſibi ipſi erigere curent. Non prætermittemus hoc loco id quod legitur ex Sebaſtiano Maccio in collectione inedita veterum inſcriptionum apud Cardinalem Chigium, de quodam mulæ ficto epitaphio, quod viris eruditis nonnullis fucum fecit, opinantibus id eſſe antiquum, & a P. Craſſo mulæ ſuæ inſcriptum, quod ſic incipit, DIS PEDIBUS SAXUM *&c.* ubi alludit auctor ad ſollemnes inſcriptiones *Diis Manibus*. Thomas Porcacchius inter alios hoc epitaphium pro genuino & antiquo habuit in libro funeralium: immo Alexander VII in adverſariis ſuis notat, id repertum fuiſſe prope ſanctum Petrum. Verum, ut Maccius refert ex Annibale de Graſſis Bononienſi Jaccentiæ epiſcopo, hoc epitaphium confictum fuit a Paride de Graſſis, ſculptumque ex marmore, atque ejuſdem juſſu ſepultum in quadam ejus vinea. Poſt hæc fingens ſe velle quaſdam arbores plantare, juſſit foveam & ſcrobem eo in loco fieri, ubi marmor abditum erat. Cum vero fodiendo illud eſſet inventum, id de ſua mula prædictum fuiſſe dixit. Res vero cum acta eſſet per jocum, multos annos marmor ut derelictum ibidem reſtitit, ac deinde antiquitatis ſpecie multos decepit. Similem hiſtoriolam refert Varrerius in Beroſi cenſura. Ejuſdem farinæ videtur eſſe epitaphium *Luſciniæ philumenæ* DIS AVIBUS, apud Jacobum Sponium in tomo tertio ejus itinerum. De his hactenus.

Poſt

Poſt concionem, quæ ad ſanctæ Felicitatis parthenona e noſtris a Patre Appiano Soc. Jeſu habita eſt, illuſtriſſ. Benvenutus ejus loci Præpoſitus ſeu Prior nobiſcum varia inſtrumenta communicavit, ſuamque obſervationem de pede Liutprandi, cujus mentio frequens in priſcis actis, homo doctus & humaniſſimus, magni Principis Ferdinandi nuper inſtitutor & præceptor. Sanctæ Felicitatis cœnobium Nicolaus Papa II tum, cum Florentinam eccleſiam epiſcopus regeret, inſtauravit. De pede Liutprandi in pauca conferre juvat eruditi viri obſervationem. Apud Cheſnium in tomo ſecundo Hiſtoriæ Francorum fit mentio de pede Liutprandi ex codice Novalicienſi in hæc verba. *His quoque diebus Liutprandus rex Longobardorum apud Italiam ſtrenue regnabat: qui tantæ longitudinis fertur pedes habuiſſe, ut ad cubitum humanum metirentur. Horum vero pedum menſura pro conſuetudine inter Longobardos tenetur in metiendis arvis uſque in præſentem diem: ita ut pedes ejus in pertica fune* XII *fiat tabula.* Subdit vir doctus, noſtra etiam hac tempeſtate hujus pedis menſuram ad agros dimetiendos uſui eſſe in tota Inſubria, licet in Tuſcia ſit abrogata; eamque corrupto vocabulo *Aliprandi pedem* apud Mediolanenſes appellari, quam in uncias XII partiuntur. Sex pedes apud ipſos Trabuccum efficiunt; duo Trabucci Jucatam: quæ in ſe multiplicata Tabulam conſtituit; & XXIV Tabulæ Perticam componunt. Denique Pes Liutprandi ad noſtrum morem compoſitus, Pariſienſem pedem regium continet, & inſuper ipſius pedis trientem. An. 1686. Martio.

XXX. Invitati ad ſancti Spiritus cœnobium ab erudito Noriſio, vidimus materias ab ipſo diſpoſitas ad hiſtoriam Donatiſtarum. Ut extremam operi manum apponeret hortati ſumus. Ille neſcio quas excuſationes prætendit. Interim in tractandis numiſmatibus totus occupatur: ſeque ex eis annum ipſum Incarnationis Chriſti Domini brevi demonſtraturum confidit in libro *de Æris & epochis Syromacedonum*, quem prelo maturum habet. Poſt prandium luſtrata eſt a nobis ſancti Marci bibliotheca, Coſmi Senioris opus; quam auxit Nicolaus de Nicolis, a quo veteres codices non pauci Patribus illis Dominicanis ante annos ducentos legati ſunt. Ibi religioſiſſime vivunt boni Patres, eodem ritu atque in conventu Feſulano. Atque ut paucis dicam, in urbe Florentia, immo & in Hetruria tota, inſignis præ ceteris Italiæ locis viget religio cura & ſtudio Magni

An. 1686. Martio. Ducis, qui exemplo ſuo ſubditis præeſt. In eccleſia ſancti Marci corpus beati Antonini Florentini antiſtitis magno honore colitur. Ibidem ad aquilonarem navis partem Johannes Picus a Mirandula monumentum habet cum hoc epitaphio.

D. M. S.

Joannes jacet hic Mirandula: cetera norunt
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

Ob. an. ſal. M CCCC LXXXXIIII. *vix. an.* XXXVI.

Hieronymus Benivenius, ne disjunctus poſt mortem locus oſſa ſepararet, quorum animos in vita conjunxit amor, hac humo ſuppoſita poni curavit.

Ob. an. M D XXXVI. *vix. an.* LXXXIX. *menſ.* VI.

E regione ſepultus eſt, ſed ſine inſcriptione, Angelus Politianus, Johannis amicus, qui obiit anno M D IX.

In bibliotheca ejuſdem loci habentur *Gaudentii Brixienſis* epiſcopi conciones: *Prædeſtinatus* a Sirmundo editus, abſque titulo in codice annorum quingentorum: *Tertulliani* opera in tribus voluminibus annorum trecentorum: item *Plinii Secundi* & *Sidonii Apollinaris* epiſtolæ. Habetur etiam ibidem, poſt varias Athanaſii & aliorum litteras ſub nomine *Johannis Chryſoſtomi epiſtola ad Cæſarium monachum*, typis vulgata in Hollandia non ſine mendis, ac denuo apud Anglos & Hollandos (uti audio) iterum recuſa. Ejuſdem epiſtolæ exemplum, quod a Petro Martyre (qui illam epiſtolam laudavit primus) ex Florentino codice deſcriptum fuiſſe veri ſimile eſt, Romæ in Altaempenſi bibliotheca vidimus.

Aprili. VII. Dominica in Palmis apud ſenatorem Dati, Caroli Dati filium, nobis oſtenſum eſt inſigne opus Michaëlis Mercati Miniatenſis, inſcriptum *Metallotheca:* quo in opere de omni metallorum genere erudite tractatur, eorumque figuræ æri inciſæ exhibentur. Hoc opus ineditum laudavit Baronius in tomo I Annalium, ubi de myrrha Chriſto Domino in Cruce porrecta. Idem auctor librum ſcripſit de Obeliſcis.

VIII. Florentia ad tempus relicta, Aretium verſus contendimus per Feginum opidum & amœnas Arni ripas: eoque nobis ſequenti die ante meridiem accedentibus obviam venit cum rheda ſua reverendiſſimus abbas e noſtris Johannes Baptiſta Beccius a Caſtilione, multorum auctor anagrammatum & elogiorum de Ludovico Magno; noſque cum multa humanitate in abbatiam ſuam, quæ ſanctas martyres Lucillam & Floram

titulares ac tutelares habet, deduxit. Archivum loci optime ordinatum, in quo nullum antiquius diploma invenimus, quam Hugonis & Lotharii regum, datum anno DCCCCXXXIX. in gratiam monaſterii jam conſtructi: cujus tamen primordia recentiores in tempus Ottonis III rejiciunt. Situm erat olim monaſterium altero extra urbem milliari. Poſtea majorem ſeu cathedralem ſancti Petri eccleſiam, in qua ſepultus Gregorius X, adivimus; tum antiquiſſimam ſanctæ Mariæ collegiatam baſilicam; deinde Camaldulenſium eccleſiam, quam ſanctæ Mariæ *in Gradibus* appellant, a ſancto Donato epiſcopo & martyre quondam frequentatam: ac demum monaſterium ſancti Bernardi Olivetanorum, quod ſuper fundamenta veteris amphitheatri conſtructum eſt. In eccleſia majore quædam monumenta ſupereſſe dicuntur: ſed ea ob ſacros dies (hanc enim excuſationem nobis obtendit illuſtriſſimus Decanus) videre nobis haud licuit. Aretii olim Reſpublica erat, Florentinæ poſtmodum mancipata. Sed cum jugum excutere conarentur Aretini, iterum ſub jugum redacti ſunt auxiliantibus Francis. quod Carolo VIII regnante contigit. Singulare factum, quod tunc accidit, narrat in quadam epiſtola Petrus Delphinus, Camaldulenſium generalis præfectus, nimirum in lib. VII epiſtola XXXV ad Petrum epiſcopum Patavinum: quod in vulgatis litteris ab ipſo reſectum & cancellatum, ita ex veteri codice reſtituimus poſt iſta verba verſus XIII. *redigendus eſt poteſtatem.* quibus hæc ſubdit vetus codex. *Et audi indicium. Me apud Aretium agente, dejectus eſt de pinnaculo templi noſtri lapideus Leo, inſigne Florentinorum, atque in puteum proximum demerſus. Ingreſſo urbem Gallorum exercitu, eductus eſt Leo, & in medio celebriori vico poſito coacti ſunt Aretini, quotquot eo die illac pertranſibant, genua flectere, ac de infidelitate ſua atque defectione veniam poſtulare. Audio tamen commendaſſe illos Regem Florentino Dominio, ne in rebellem populum violentius ſæviant, neve pro meritis ulciſci in eum pergant. Quod utrum ſint facturi, haud ita multo poſt re ipſa experientur, qui nimia dominandi libidine ſunt decepti. Conceperant animis ſpem melioris ſtatus, qui mediocri bono debuerant eſſe contenti, ne ſe ſe in periculum capitis atque in diſcrimen minus prudenter injicerent. Jactura &c.* ut in editis.

An. 1686. Aprili.

X. Feria quarta majoris hebdomadæ ante Paſcha, rigidiſſimus ventus cum nobis in faciem ſæviret, ab Alverniæ ſacro monte adeundo (is ab Aretio paſſuum octodecim millibus di-

An. 1686. Aprili. ſtat) nos prohibuit, fuitque in cauſa, ut recta in Camaldulenſem Eremum tenderemus. Laterina, Raſina, Bibiena, cui Muſolea vicina, & Soſium opidula, in litteris Ambroſii & Petri Delphini paſſim memorata, nobis in ipſo itinere obvia fuerunt. Poſt Soſium, conſcenſo arduo monte, deſcendimus ad Fontem-bonum, in anguſta valle inter abietum ſilvas ingentes & abruptos montes ad torrentem ſitum: ubi cœnobium eſt ad hoſpites excipiendos. Illic ad viginti eremitæ degunt, ſed vitam quaſi cœnobiticam ducentes, ſubminiſtrantque omnia neceſſaria ad ſacram Eremum, quæ altero inde milliari in monte invio ac prærupto poſita eſt. Eremitæ hic fere quadraginta, præter laïcos fratres, in cellis ſeparatis piiſſime vivunt, remoti ab omni hominum conſortio: adeo ut nec viris ſæcularibus niſi rarus illuc acceſſus, nec feminis propius quam paſſibus ab eremitorio ducentis concedatur. Recluſi item duo illic in ſumma ſolitudine vitam agunt, nec niſi ternis ante Paſcha diebus, quibus divinis officiis interſunt, cappa, non cuculla induti, extra cellas procedunt. Cellæ olim ſine ambitu murorum. Infirmis abſtinentia remittitur numquam in Eremo, ſed apud Fontem-bonum. Eorum præpoſitus *Major* dictus, ſub cujus diſciplina ſex ejuſdem Congregationis eremitoria vivunt. R. P. Bonaventura ex opido Laterinenſi, tunc Majoris officio fungens, nos cum omni caritatis & benevolentiæ officio excepit, multaque in noſtri gratiam per ſuos deſcribi curavit. Sunt & aliæ duæ ejuſdem inſtituti Congregationes, una Veneta, altera Montis-coronæ, præter Gallicanam. Per illos ſacræ hebdomadis dies in diſtinctis cellis ibidem hoſpitati, libris nihilo minus revolvendis, quantum ſacrorum dierum religio ſinebat, dedimus operam uſque ad feriam tertiam poſt Paſcha. Per totum illud tempus perſeveravit infeſtiſſimus ventus. Nec mirum, cum eo in loco cælum nebuloſum ut plurimum, procelloſum, nivoſum, perpetuæ fere hiemis ſpeciem gerat. Sed adeſt præſens opportunumque remedium, magna ſcilicet copia lignorum. In Oratorio ſepultus eſt ſine lapide & titulo magnus ille Ambroſius, Camaldulenſium quondam ſummus præpoſitus, cum cœnobitarum, tum eremitarum, qui ſub Petro Delphino diſceſſionem a cœnobitis fecerunt. Subit indignatio, ut cum Plinio juniori loquamur, tanti viri poſt tot annos reliquias, neglectumque cinerem ſine titulo, ſine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervaga-

Plin. lib. 6. epiſt. 10.


Iter Ital. ad pag. 181.

ta eſt. Sed potior Ambroſii apud Deum gloria eſt ac memoria. In bibliotheca præter Ambroſii epiſtolas, Hodœporicon, & litteras diverſorum ad eumdem; præterque Petri Delphini volumina quatuor epiſtolarum, & opuſcula Hieronymi de Praga ejuſdem loci eremitæ, ex quibus multa expreſſimus; pauci reliqui ſunt codices veteres ex illis, quos Ambroſius & alii collegerant. Superſunt tantum optimæ notæ Græci tres, nempe *Johannis Chryſoſtomi in Johannem*, atque ejuſdem *homiliæ in Geneſim*; aliæque morales de patientia, eleemoſyna, caritate &c. Alius codex latinus continet varia illuſtrium auctorum elogia *de Manuele Chryſolora*, quæ deſcripta habemus. In illis epiſtolis una eſt Guarini Veronenſis, qui omnes in laudem præceptoris ſui Chryſoloræ in unum collegit, *claro juriſconſulto Jacobo Fabio Veronenſi* inſcripta, cui rogatus mittit Chryſoloræ epitaphium, *quod e Conſtantia vir graviſſimus, ac in omni litterarum genere eruditiſſimus vir, P. Paulus Vergerius, ad me*, ait Guarinus, *miſit, ab eodem ut arbitror confectum. Eſt autem hujuſmodi.*

AN. 1686. APRILI.

Ante aram ſitus eſt D. MANUEL CHRYSOLORAS, *Eques* CP. *ex vetuſto genere Romanorum, qui Conſtantino imperatore migrarunt. vir doctiſſimus, prudentiſſimus, optimus: qui tempore generalis Concilii Conſtantiæ diem obiit, ea æſtimatione, ut ab omnibus ſummo Sacerdotio dignus haberetur.* XVI *Kal. Maias conditus eſt anno incarnati Verbi* MCCCCXV.

In ſacrario aſſervatur *ſancti Romualdi Commentarius in Pſalmos*: in cujus operculo, quod ex ſerico rubeo conſtat, hæc leguntur: *Iſtud Pſalterium ſcripſit & gloſavit manu ſua propria ſanctiſſimus ac beatiſſimus Romualdus, ſicut præceperat ſibi Deus, quando fuit raptus in paradiſum, celebrans Miſſam in eremo Sytriæ, ut ſcribit beatus Petrus Damianus Presbyter Cardinalis in legenda ſua.* Hic commentarius incipit a primo pſalmo in hunc modum: *Beatus vir. Iſte pſalmus proprie de Filio dicitur* &c. Eremi & Fontis-boni ſpecimen hic ob oculos ſubjicere juvat.

XV. Sub meridiem ad Fontem-bonum deſcendimus, archivum luſtraturi, ex quo non pauca in rem noſtram hauſimus. In antiquioribus inſtrumentis *Campus-Malduli*, aliis *Campus amabilis*, ſitus dicitur *in mediis Alpibus, Tuſciam & Romaniam divi-*

An. 1686. Aprili. Greg. M. lib. 8. epiſt. 65. *dentibus.* Theodaldus *ſancti Donati Vicarius* (ſic paſſim Aretini epiſcopi ſe dicunt, quemadmodum à Gregorio M. Mediolanenſis antiſtes *Vicarius ſancti Ambroſii* appellatur) *ob amorem piæ recordationis patris noſtri*, inquit, *Domni* ROMALDI *clariſſimi eremitæ*, communi conſilio Fratrum ſuorum clericorum concedit *domno Petro venerabili eremitæ ad uſum confratrum, eremiticam vitam ſub eo degentium, quamdam eccleſiam in mediis Alpibus, juris epiſcopii ſancti Donati*, *quam nos*, inquit, *rogatu domni* ROMALDI *eremitæ conſecravimus ſub honore & nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſancti Salvatoris.* Et poſt multa: *Hunc ſcilicet locum domnus* ROMALDUS *pius eremitarum pater, delegit & prævidit aptiſſimum congruentiſſimumque fore ad cellulas fratrum eremitarum, ſingillatim in contemplativa vita Deo ſervientium: conſtractaque inibi baſilica ſancti Salvatoris, quinque cellulas cum ſuis tabernaculis ibidem diſtinxit, atque ab invicem ſeparavit. Sed & ſingulis cellulis ſingulos deputavit fratres eremitas, qui ſæcularibus curis & ſollicitudine remota, ſoli divinæ contemplationi inſiſtant. Quibus etiam domnum Petrum venerabilem eremitam, tanquam fidelem miniſtrum & præceptorem, dedit &c. Datum anno dominicæ Inc.* M XXVII. *anno vero pontificatus domni Theodaldi Epiſcopi* V. *menſe Auguſto, Ind.* X. Hoc quaſi primarium Eremi inſtrumentum eſt. Exſtat in multis una charta barbaro ſermone de donatione eccleſiæ ſancti Nicolai in regno Sardiniæ, Guidoni Priori & Camaldulenſibus eremitis inſcripta, conſentiente *domno Conſtantino judice* ſeu rege, cognomine *de Laccon*; & *donna Marcuſa regina, dicta nomine de Gunale*, anno M C XIII. Sigillum ex plumbo appenſum, ex una parte caput Regis inconcinne præfert, ex alia GOSTANTINE REGE. Hæc & alia dum præſente R. P. Majore deſcriberemus, magnam inde capiebat optimus Pater voluptatem; rogabatque ut ſecum tamdiu maneremus, donec omnia, quæ ad componendam ſacri loci hiſtoriam ſufficerent, collegiſſemus. Idem flagitabat cordatus Pater Donatus ejus ſecretarius.

XVI. Verum die ſequenti a bonis illis Patribus avulſi ſumus neceſſitate rerum noſtrarum, quæ nos alio vocabant: indeque diſceſſimus ſuper mulas, quas nobis humaniſſimi illi hoſpites, remiſſis Florentiam conducticiis equis, commodarunt. Egreſſis e Fonte-bono, per viam publicam, qua Florentiam itur, in deſcenſu montis nobis occurrit Montio, caput unius e tribus Comitatibus, qui ad Camaldulum pertinent, cui Pup-

pium caſtrum vicinum eſt: deinde Pratum-vetus ſuper Arnum, ad mille paſſus a fluvii fonte. Demum per continuos (ut ita dicam) ſaltus pervenimus in princeps Ordinis Vallumbroſani monaſterium, quod medio ferme itinere inter Camaldulum & Florentiam ſitum eſt. Abſente loci reverendiſſimo abbate, vices ejus in nos humaniſſime exſecutus eſt R. P. Angelicus Bigazzius abbas, Cellarum eremita, qui locus eſt, haud procul a cœnobio, ſancti Johannis Gualberti ſeceſſu illuſtratus: quo ex loco vir ille Angelicus, comperto proximo noſtro adventu, in abbatiam ſe receperat. Vallumbroſa ſitum habet maxime ſolitarium in clivo altiſſimi montis, qui monaſterio ex parte Orientis incumbit. Proſpectum habet verſus ſeptemtrionem in ſubjectam vallem unius fere milliaris, amne ſeu torrente Vicano irrigatam. In edito montis aggere ſita eſt cella ſancti Johannis Gualberti, in qua mox laudatus Angelicus abbas cum unico ſocio degit: & non longe inde exſtat fagus, ſub qua per multos annos delituit Gualbertus, quæ hactenus, novis ſurculis ſubinde ſuccreſcentibus, ante omnes alias fagos vireſcit, & poſt omnes virorem ſuum conſervat. Sancti Johannis corpus Paſſiniani, unum ejus brachium apud Vallumbroſam habetur cum ejuſdem *Pſalterio* & *Manuali precum* quotidianarum: item acies ſeu acumen clavi dominici, in ſuum monaſterium a ſancto Ludovico Francorum rege (ut perhibent) dono tranſmiſſum: quod ſane acumen in clavo illo, quem ad ſanctum Dionyſium prope Pariſios aſſervamus, deſideratur. In Pſalterii litaniis poſt ſanctos Benedictum & Maurum ſanctus Placidus invocatur. Multæ ſunt ibidem aliæ beatorum domeſticorum reliquiæ, quorum elogia Hieronymus de Raggiola, ejuſdem loci monachus, ſcripſit ad Laurentium Medicem. Hic codex haud vulgatus ſupereſt in bibliotheca cum aliis non multis, uti & Colucii Pierii de Stignano, cancellarii Florentini, libri duo *de ſæculo & religione*, ad Hieronymum de Uzano, Camaldulenſis Ordinis monachum Florentiæ apud ſanctam Mariam de Angelis: quem Hieronymum in ſæculo Nicolai nomen tuliſſe idem auctor tradit. Nec flocci pendendus eſt brevis Anonymi commentarius *de ratione punctandi*, id eſt commata apponendi, apud veteres uſitata. Vallumbroſanorum habitus, olim ferrugineus, nunc penitus niger. Ordinis Præpoſitura generalis quondam in hujus primarii loci abbate perpetua reſidebat: nunc ad eligentium arbitrium in ſingula qua-

An. 1686. Aprili.


An. 1686. Aprili. driennia mutatur. Magna ibidem hoſpitum frequentia, etiam feminarum, quæ in eccleſiam non niſi quatuor vicibus quotannis admittuntur, iis alias conceſſa tantum ſubalari capella ad ſacra audienda: Monaſterii typum hic vides.

XVII. Cum Placido Poltri, religioſo & honeſtiſſimo juvene, reverendiſſimum abbatem convenimus in villa monaſterii, Paterno dicta: ubi vetera inſtrumenta & diplomata cuſtodiuntur. Quædam raptim notavimus, quæ nobis poſtea mox laudatus Placidus & Johannes Aurelius Caſari a Foro-livio, ſacrarii cuſtodes, exſcripta humaniſſime ſubmiſerunt. Ex his unum eſt præcipuum Ittæ, proximi ſancti Hillari parthenonis, modo exciſi, abbatiſſæ, quæ Johannem Gualbertum ejuſque ſocios, amore ſolitudinis ex monaſterio ſancti Miniatis egreſſos in eremum, *quæ Vallis-umbroſa vocatur*, ſuſcepit in prædio ſuo, *Aqua-bella* dicto; eiſque hoc prædium aliaque ſub annuo cenſu conceſſit, adducta exemplo Chuonradi Imperatoris Auguſti & Ghiſlæ Auguſtæ, eorumque filii Heinrici: qui Florentiam ingreſſi, cum Johannis ejuſque ſociorum ſanctam vivendi normam didiciſſent, eiſque relatum eſſet, *illos eccleſiam non habere; Rodulfum Pavibronenſem, dignum Deo præſulem, quia Feſulani, Jacobo exſtincto, nondum habebant conſecratum præſulem*, ad illos direxit, ut ſcilicet ibidem oratorium conſecraret *in honore ſanctæ Mariæ & Michaëlis archangeli, & Bartholomæi & Thomæ apoſtolorum, & ſancti Stephani pontificis, & Benedicti Abbatis, & Nicolai venerabilis Confeſſoris* &c. *Data anno dominicæ Inc. triceſimo nono poſt mille, & anno imperii domni Chuonradi Imperatoris Auguſti tertio-decimo*, V. *Non. Julii, Indict.* VII. Mittimus in præſens alia Imperatorum diplomata, ceteraque Mathildis Marchioniſſæ, aliorumque inſtrumenta.

Cum ad Florentiam ipſo die accederemus, obvias habuimus puellarum & mulierum turbas, quæ cum uno ſacerdote voti cauſa (is ſingulis annis poſt Paſcha in Hetruria mos eſt) ad Vallumbroſam, Camaldulum, & montem Alverniæ proficiſcebantur: ubi in hoſpitiis, ejus rei cauſa dotatis, excipiuntur ſeorſim a viris, qui itidem proprium habent.


XIX. Pandectarum duo egregia volumina cum Magliabeco examinavimus in palatio Magni Ducis. Hæc volumina formæ ſunt prope quadratæ, ita ut altitudo duobus tantum digitis latitudinem ſuperet. Operculum ex ligno villoſum ſericum rubei coloris, atque emblemata ex argento in medio & in

quatuor


ad Pag. 184

quatuor angulis ornant. Characteres ſunt quadrati & medio- cris formæ ; vocabula ſine abbreviatione ubique , & abſque commatis ſimul colligata. Quælibet pagella in duas dividitur columnas , quæ ſingulæ verſus quadraginta quinque continent. Prima ſingulorum verſuum vocabula paſſim minio deſcripta ſunt. Littera S plerumque in medio vocabulo ceteris major eſt. Litteræ hoc fere modo formatæ ſunt.

An. 1686. April.



Primo volumini præmittitur græca epiſtola Tribuniani & aliorum, qui Pandectis componendis operam navarunt, *data* XVII *Kal. Januarias , Juſtiniano perpetuo Auguſto* III. *Coſ.* Poſtea ſequitur index eorum , quæ in duobus voluminibus continentur , cum titulis minio ſcriptis. Primum volumen deſinit in lib. XXIX. atque adeo ſecundum incipit a lib. XXX. In fine prioris poſt ſex verſus græcos , quibus Juſtiniani opus ac Tribuniani commendatur , ab Angelo Politiano relatos , recenti manu Chriſtophorus Landinus ſecretarius ſubſcribit , & poſt eum Marſilius Ficinus die IX Aprilis anni M CCCC XCIV teſtatur ſe interfuiſſe , dum illud epigramma reperiretur. Tum ſubditur. *Petro Berardi de Berardis ſedente Vexillifero juſtitiæ . Quapropter perſpicuum judicamus, hoc volumen proprie fuiſſe ab ipſo Juſtiniano compoſitum , neque ſolum tranſcriptum.* Porro hoc Pandectarum opus Amalphi Piſas , & Piſis Florentiam a Florentinis allatum eſt , quod olim nonniſi *ad funalia* oſtendi , & quidem viris primariis , mos erat , teſte Angelo Politiano : nunc indulgentia Principis hæc gratia facilius conceditur. Porro Pandectas maſculino , non ſequiori genere Florentinos dici debere Antonius Auguſtinus probat tum in Dialogo X de Nummis antiquis , tum in Indice nominum propriorum , ubi de Pandectis.

Polit Miſcell. pag. 546.

XX. Sabbato in Albis iterum Florentia egreſſis Piſas iter fuit. Dominica ſequenti facta eſt proceſſio Equitum ſancti Stephani papæ & martyris , qui ad Capitulum generale ſingulis

A a

An. 1686. Aprili. trienniis ipſa die Piſas convenire ſolent. Ex palatio ſuo ad proximam ſancti Stephani eccleſiam procedebant, præeunte clero ſancti Stephani cum Antiſtite ſeu Priore ipſius eccleſiæ, inſignibus pontificiis ornato; Equites bini pallio candido cum manicis rubeis induti, gladiiſque accincti, numero ferme quadringenti, extremo ordine Dux ſereniſſimus cum ſuo comitatu. Tum ſollemne ſacrum a prædicto Antiſtite celebratum, & ſequenti triduo Capitulum generale.

Eodem die P. Capaſſius Servita, Theologiæ in academia Piſana lector, ſe nobis comitem ac ducem præbuit ad videndam eccleſiam cathedralem. Fabrica veteris architecturæ elegans ex marmore, cum tabulato deaurato & fornice duplici ſubalari, Alexandro Papa II. auctore gloriatur. Tabernaculum ad aſſervandam ſacram Euchariſtiam (quæ in Italicis baſilicis nuſquam ſuſpenſa eſt) totum ex argento recentis operis: tectum ex plumbo cum teſtudine in medio crucis. Valvæ portæ majoris ex ære artificii admirandi. Prope adeſt baptiſterium in primis inſigne: in cujus medio exſtat Fons ſacer rotundo opere, cum multis fonticulis in petra exciſis, in quos forſan baptizandi olim immergebantur. Adhæret altare cum globo ſupra illud concavo, in quo Euchariſtia olim ad uſum (ut veri ſimillimum eſt) recens baptizatorum aſſervabatur. Ad aquilonarem eccleſiæ partem cernitur præclarum omnino cœmeterium, (*Campum ſanctum* appellant) ante annos prope quadringentos conſtructum cum porticibus, quarum parietes longi paſſibus fere CLXXX, vitas Patrum ex una parte, ex alia hiſtorias veteris Teſtamenti egregie depictas exhibent. Inſcriptiones illæ duæ inſignes, quas ſub *Cenotaphiorum Piſanorum* titulo eruditus Noriſius expoſuit, uni parieti inſertæ ſunt. Terra, quæ in media eſt area, Jeroſolymis allata, intra horas quatuor & viginti quodlibet cadaver in eam receptum in cinerem olim redigebat: ita ut intra horas octo tumefieret; tum poſt totidem horas detumeſceret; ac demum poſt alias octo conſumeretur, ut vetus pictura docet eo in loco, ubi Cenotaphia illa Piſana viſuntur. Nunc humo tantiſper refrigerata, ibi cadavera diutius perdurant.

Res nova nonnullis fortaſſe videbitur, quod terra ex Oriente Piſas allata ſit: ſed multa ejus rei alia exempla occurrunt, ut apud Auguſtinum in lib. XXII de Civitate Dei cap. VIII, num. 6, & apud Gregorium Turonenſem in lib. I. de gloria

Martyrum cap. VII. ubi ait, terræ hujuſce particulas aqua ſolere conſpergi, & ex iis *tortulas parvulas formari, ac per diverſas mundi partes tranſmitti*, ex quibus *plerumque infirmi ſanitates hauriunt*. Hinc Donatiſtæ terram, ex Oriente ſi eis afferretur, *adorabant*, teſte Auguſtino in epiſtola LII. Denique Helena Auguſta, Conſtantini M. parens, ex eadem terra magnam copiam attuliſſe Romam dicitur, ex qua ſacellum ſanctæ Crucis, *Jeruſalem* nomine, conſtratum & ferme repletum fuiſſe tradunt Onufrius Panvinius & Severanus. AN. 1686. APRILI.

Apud Piſas Beatrix, Mathildis Comitiſſæ parens, in eccleſia majore ſepulta eſt: cujus mauſoleum deinde ad exteriorem portæ collateralis parietem tranſlatum. Prope hanc eccleſiam exſtat turris campanaria, induſtria architecti ſic inclinata, ut prope caſura videatur, cum octo columnarum ordinibus circa medium. In area meridionali erecta eſt columna & ſuper eam *Talenti menſura, Piſanis a Cæſare miſſa ad menſurandum cenſum*. Hujus rei occaſione redit in memoriam inſcriptio modii Romani, qui in muſeo illuſtriſſimi Petri Andreæ Andreini nobilis Florentini aſſervatur.

MENSURÆ. AD. EXEMPLUM. EARUM. QUÆ. IN CAPITOLIO. SUNT. AUCTORE. SANCTISSIMO AUGUSTO. N. NOBILISSIMO. CAES. PER REGIONES. MISSAE. CURA. D. SIMONIO. JULIANO PRA . . . URB. C. V.

Illud apud Piſas ſingulare, quod non modo eccleſia metropolitana, ſed etiam muri civitatis, ac quidam etiam pontes ſuper Arnum conſtant ex marmore. Matthæus Palmerius librum ſcripſit *de captivitate Piſarum*, quem Florentiæ legimus in bibliotheca Laurentiana. Præfixa eſt epiſtola ejuſdem *Magno & ſpectato viro Nerio Capponio*: in qua mirari ſe dicit auctor, *quod cum plerique aliarum rerum Scriptores ſuos libros excellentibus mittant viris, hoc idem non fecerint Hiſtorici*. Quamquam apud veteres ejus rei exempla non deſunt.

Eodem die * Liburnam adiimus, inſigne emporium, in cujus portu præclara eſt Magni Ferdinandi ſtatua cum quatuor captivis ex ære fuſili. In urbe viginti millia hominum; & quarta pars Judæorum, (Hebræos appellant:) a quibus ita pendet commercium, ut diebus ſabbati, quibus ceſſant ab opere, etiam ferias agant Chriſtiani. Ipſi Judæi in Hetruria nul-

* *Livourne.*

AN. 1686. APRILI. lum diſcriminis inſigne gerunt: alibi pileum rubeo panno coopertum.

XXII. Piſas reverſi, die ſequenti Lucam acceſſimus, Reip. caput, ad Auzerem fluvium, quem ſub *Æſaris* nomine in ſuis elegiis Bartholomæus Beverinus, poëta & orator cultiſſimus, atque amicus, ſi quis alius, cordatiſſimus, eximie deſcribit in hunc modum.

Tu cadis illimis, puriſque argenteus undis:
Suntque tibi Alpinæ pabula prima nives.
Nobilis aërio nam defluis Apennino,
Unde ſuas ducunt Tibris & Arnus opes.
Stant circum horrentes umbroſo vertice colles,
Multaque naſcentes ſilva coronat aquas.
Saxaque propellis, jam tanta ſuperbia parvo:
Spumeus & latum per juga pandis iter.
Vallibus exceptus, ſinuoſo tramite ſerpis:
Atque tibi ripas, ut libet, ipſe facis.
Nec vitreo exhalas nebularum gurgite fumos,
Nec tua ſordenti ſunt vada pigra luto.

Hæc in ſpecimen ex Beverini carminibus referimus, qui non minus terſe ac polite proſa oratione ſcribit. Is nobis perpetuus in urbe Luca comes, tametſi theologicis, aliiſque ſtudiis occupatus. De hoſpitio nobis concedendo cum eo certavit rector eccleſiæ ſancti Petri de Samaldis Salvator Bonamicus, qui nos altera quam acceſſimus die in ſuas ædes invitavit, excepitque amiciſſime. Magna etiam in nos humanitas fuit illuſtriſſimi Abbatis Burlamachi, qui apud Pariſios nobis aliquando notus fuit; atque Marii Florentinii medici, cujus patri Franciſco Mariæ Martyrologii Lucenſis editionem referre debemus acceptam. Martyrologii exemplar, quod vidimus, octingentos annos videtur ſuperare.

XXIV. Bibliotheca eccleſiæ cathedralis, quæ ſancto Martino patrono gaudet, bonos libros, cum editos antiquos, tum manu exaratos habet non paucos, quorum pleroſque Felinus Sandæus epiſcopus conceſſit. In his quidam ſunt non exigui pretii: *Titi Livii fragmenta* Decadum, *Plinii junioris epiſtolæ*, Ad hæc *Otto Friſingenſis* de geſtis Friderici I. & *Pii* II opera hiſtorica. Sed præ ceteris inſignis eſt codex, tempore Caroli Magni ſcriptus, in quo continentur *Euſebii chronicon & hiſtoria; Iſidori* item *chronicon & liber officiorum: Hieronymus & Gen-*

nadius de ſcriptoribus eccleſiaſticis; *liber de geſtis ſummorum Pontificum* deſinens in Hadriano I. ſub nomine Hieronymi : fragmentum *de hæreſibus Græcorum, Judæorum, & Chriſtianorum*, deſinens in Triteïtis : *Regulæ eccleſiaſticæ Apoſtolorum* per Clementem, numero XLIX. Variæ compoſitiones *pro cathmia* ſeu *cadmia*, id eſt de confectione aurichalci, *pro tinctione omnium muſivorum, eorumque deauratione, de muſivis deargentatis, de ſminitis tabulis plumbeis; decoctio plumbi, coctio vitri, tinctio pellium varia, triplex tinctio pandii, quæ fit ſuper pelles; de porphyrio mellino, tinctio veniti; tinctio melina; compoſitio ſmithina; de calce & variis metallis, de lazuro, de chryſographia*, ſeu de modo ſcribendi cum auro liquido. Præter hæc ſequuntur in eodem codice *Gennadius de dogmatibus. Canones Nicæni* numero XXI. Varia item Concilia; decretalis *epiſtola Gelaſii de libris recipiendis : Auguſtini capitula ſeptem* Romam tranſmiſſa, *Si quis rectum in omnibus non credit* &c. Item ejuſdem *liber de quinque hæreſibus, & libri duo de excidio urbis : tum liber de natura rerum*, auctore Jacobo Dei famulo; *Plinius Secundus de diviſione temporum*; ac demum *Genealogiæ totius bibliothecæ*, id eſt librorum ſacrorum, *ex omnibus libris collectæ veteris novique Teſtamenti : in quibus prophetiæ cum nominibus, & tempora omnium prophetarum uſque ad beatum Cyprianum deſignantur, & ad noſtram ætatem quid fuerit geſtum monſtratur, ex hiſtoriis collectum legalium mandatorum.* In fine hujuſce operis hæc leguntur : *A nativitate Domini uſque ad ejus paſſionem anni ſunt* XXXI. *Et à paſſione Domini uſque ad* XXIIII *regis* ... **erici, anni ſunt* D XXXIIII. *Fiunt omnes ab Adam per Legis* ... *uſque ad annum præſentem, anni quinque* * ... *nongenti octoginta quatuor.* Hæc de vetuſtiſſimo illo codice. In alio non minus antiquo recenſetur Ordo Epiſcoporum, qui in urbe Luca fuerunt ordinati. Horum *primus eſt* OBSEQUENTIUS *epiſcopus*, qui tantum ſeptimus apud Ughellum habetur, *ſecundus* FRIDIANUS, & alii ad Laurentium epiſcopum, qui ordine quintus-decimus in prædicto catalogo exhibetur, Ughello XXI. Sancti Fridiani, aliis Frigidiani, eccleſia Canonicorum regularium haud ignobilis, Richardi Anglorum regis, quem ſanctum appellant, tumulo illuſtrata eſt. Hactenus de Lucenſis eccleſiæ bibliotheca, quam annuente illuſtriſſimo Canonico, cui Libertas Moriconi nomen eſt, facile vidimus.

AN. 1686. APRILI.

* *Theoderici.*

* *Supple millia.*

In ejuſdem eccleſiæ archivum nobis acceſſum præbuit emi-

An. 1686. Aprili. nentiſſimus Cardinalis Spinola, Lucæ epiſcopus. Omnia fere diplomata & inſtrumenta ibidem authentica ſuperſunt a tempore Liutprandi. Sub noctem ſacrum Chriſti Domini Vultum, qui pium horrorem ſpectantibus injicit, jubente Cardinale intueri nobis conceſſum eſt. Ex cedro efficta eſt illa imago venerabilis cum veſtibus & ornamentis pretioſiſſimis. In ſumma Lucenſium magna in nos urbanitas fuit, quorum nominibus ſingillatim commemorandis ſuperſedemus. Sed præterire non licet virum doctum & eruditum Jacobum Mariam Cenni Senenſem, Cardinali a ſecretis, qui nobis indicem epiſtolarum Ambroſii Camaldulenſis, & quaſdam ejuſdem auctoris epiſtolas ſubmiſit; immo & libellum de vita Mæcenatis, ab ſe italice compoſitum, dono dedit. Tanta Lucenſium in nos benevolentiæ ſignificatio innatæ eorum urbanitati, & Magliabeci litteris commendaticiis tribuenda eſt.

XXV. Beverinus hiſtoriam Lucanæ civitatis, a ſe eleganter ſcriptam, nobis oſtendit, nondum editam: neque ſperabat facultatem imprimendi facile concedendam a Rep. quæ ſua arcana vulgari non patitur. Unde intacta hactenus Lucenſis hiſtoria. Idem Beverinus Æneiden verſibus italicis reddidit, recuſam non ſemel; vitamque ſanctæ Cæciliæ notis ſuis illuſtratam, cum poëmatiis ſuis in amoris teſtimonium abeuntibus conceſſit. Sectatur inſtitutum Clericorum Matris Dei, qui Ordo Lucæ exordium habuit in eccleſia beatæ Mariæ de Curte Orlandini per Cæſarem Franciottum. Marius Florentinius nobis etiam conceſſit libros duos parentis ſui, nempe tumultuariam Diſquiſitionem de Azymo & fermentato, & Notitias de Mathilde Comitiſſa ſermone italico. Habet & alia optimi parentis ſui poſtuma opera, propediem (uti ſperare nos jubet) vulganda typis. Poſtquam hæc ſcripta erant, non ſine acerbo dolore accepimus, Beverinum Lucæ obiiſſe die XXIV Octobris, gravi reipublicæ litterariæ damno, maxime Italiæ, cujus magnum erat inter doctos & pios ornamentum. Epiſtolam, quam vir piæ memoriæ pridie ſui obitus, quaſi teſtamenti vice, ad nos ſcripſit, hoc loco referri, quæ ſuprema ejus voluntas fuit, Lectori non ingratum fore putamus.

Scribo aliena manu, meo corde, P. R. Reus promiſſi carminis, quo Maximi omnis memoriæ Regis *pietati plauderem, jamdiu me exſolviſſem, niſi ineluctabiles cauſæ volenti conantique interceſſiſſent. Ab ipſo diſceſſu veſtro, ipſis Kalend. Maii, tam dirus æſtus*

pertinaci vapore ac ſiccitate totos quinque perpetuos menſes adeo Etruriam noſtram corripuit: ut afflicta valetudine, fractiſque non corporis modo, ſed etiam animi atque ingenii viribus, ſtudia omnia intermittere coactus ſim, iis tantum exceptis, quæ publicæ profeſſionis munus exigit. Pluries tamen admovere manum ingenti operi conatus ſum, ſed in ipſis experimentis conatus deſtituebant: nec quicquam occurrebat Rege *tanto dignum, & quo nedum ſupra ceteros, ſed infra me quoque non eſſem futurus. Quippe, ut optime noſti, carmina ingenii ac ſpiritus florem exigunt, nec quicquam in eis placere poteſt coactum & expreſſum, & quod prono & labente curſu ſponte non fluat. Itaque rejeceram hanc curam in remiſſiores autumni dies, quibus per ſolitudinem & otium in amœno aliquo receſſu abditus, mihi & muſis vacarem. Sed talia meditantem ſub ipſas Kal. Octobris febris ardens me repente corripuit, quæ maligno vapore venas totumque corpus adeo ſuccendit, ut intra paucos dies me ad mortis portas adegerit. A quibus divina primum clementia, quæ pias aures ſodalium precibus votiſque porrexit; dein ſtudio cl. viri Marii Florentini, cujus virtutem præſens vidiſti, revocatus vivo; ſed ita vivo, ut vix languidum ſpiritum ægre traham. Itaque omnis mihi ſpes plane concidit moliendi aliquid, quod tanto* Rege *dignum, noſtriſque jam editis opuſculis non indignum futurum ſit. Quod utrumque ſcio R. P. & regiæ gloriæ, & quantulæcumque famæ meæ conſulentem remiſſurum. Habet* Rex *Maximus geminum & voluntatis, & ingenii mei pignus: duplex inquam carmen, quo & Mediterraneum Oceano committenti, & e Batavo bello revertenti plauſi. quibus tamquam duobus monumentis, omni ære perennioribus, non illius, ſed mei nominis famam conſecravi. ut proinde te præcipue ſequeſtre veniam facile impetraturus ſim, ſi ægrum ingenium ejus obſequio impendere minime æquum exiſtimaverim. Habes, R. P. contumaciæ meæ cauſas: quas ſi carminis loco Itinerario inſerere non dedignaberis, ſummi honoris loco ponam. Vale una cum doctiſſimo & optimo patre* Germain, *quem utrumque complector animo, ac deoſculor. Valete.... Hanc ex lectulo dictabam, non minus auctore ſuo languidam ægramque: ſed quæ ſumma in* Regem *Maximum veneratione, ſummo in vos amore caleat vigeatque. Scire quoque vos velim, carmina Etruſca propediem, multum aucta, Venetis typis tertio proditura. Conciones & epiſtolæ aliquanto ſilebunt. Annales Lucenſes in pluteis jacent, tempuſque oportunum expectant. Lucæ* x *Kal. Novembris Anno* m dc lxxxvi.

Ex carmine, quo vir ille Ludovico Magno ob commiſſum

An. 1686. Aprili. Oceano Mediterraneum plaudit, hæc in ſpecimen adducimus.

——— ſtupet inſcia tellus,
Miraturque novas claſſes: ſolituſque ſecari
Vomere, ſentit ager celeres innare carinas.
Littora pulſantur, quondam non pervia nautis:
Commiſſumque mari invehitur mare, verſaque retro
Flumina torquet amans placide; fluctuſque maritos
Miſcet Atax cupidæ, pelago mirante, Garumnæ.

* *Piſtoïa.* * Piſtorium civitas, medio Lucam inter & Florentiam intervallo, qua Florentiam ſpectat, viam aperit ad continuas agri amœnitates, quales a Florentia Piſas uſque occurrunt. Priuſquam Florentia diſcederemus, ex Magliabeco reſcieramus, Piſtorii Vincentium Mariam equitem ſollicitum eſſe de interpretatione tabularum quarumdam, quas in cortice ſcriptas exiſtimabat. Illuſtriſſimum virum convenimus: ille nobis tabulas exhibuit, decem aut duodecim foliis ex ligno cera oblito craſſiſſimis conſtantes: in quibus minutiſſimis litteris deſcriptæ ſunt quotidianæ expenſæ Regis Francorum in itinere facto ex urbe Pariſiorum in Belgium per Aſnerias, Pontisaram, Urſicampum, S. Quintini opidum, Bapalmam, Inſulas, Curtracum; & ex Belgio in pagum Turonenſem, aliaſque regni provincias. Incipiunt illæ tabulæ poſt annum M CCC. quas proinde ad Philippum IV (nam Regis nomen in tabulis non exprimitur) referendas exiſtimamus. De cetero nihil continent obſervatione dignum, niſi nomina Militum ſeu Nobilium, qui in Regis comitatu erant.

XXVI. Tertia vice Florentiam reverſis, non prius inde diſcedere viſum eſt, quam ſacellum, pro mauſoleo ſereniſſimorum Ducum ante annos octoginta duos inchoatum, necdum continuo licet artificum labore abſolutum, contemplaremur. Laurentianæ baſilicæ ſacellum adhæret. Teſtudo eſt in octangulum elata, omni pretioſorum lapidum genere decorata ad convexam ſacelli concamerationem, quæ picturis ornanda eſt. In ſex octogoni angulis totidem ſunt Ducum a Coſmo Magno ſtatuæ, aliæ ex marmore, aliæ ex ære. Sub ſingulis ſtatuis ſingulæ urnæ ſepulcrales vacuæ corporibus, quæ in ſubjectis cryptis ſubterraneis reponenda ſunt. Unum ex duobus qui reliqui ſunt angulis occupabit altare cum choro: alterum porta ſacelli, ubi duo alia cenotaphia eſſe debent. Symbola omnium ac ſingularum Hetruriæ civitatum nativis pretioſorum lapidum.

pidum coloribus expreſſa hinc inde conſpiciuntur opere teſſelato. Opus ingentis pretii, a Ferdinando Magno incœptum, ad quod finiendum neceſſarii ſunt (ſi peritis credendum) aurei duo milliones. In baſilica Laurentiana altera capella eſt, in qua ſepulti Laurentius & Julianus Medicei cum eximiis monumentis, Michaëlis Bonarotii arte elaboratis, quæ abſolutiſſimis antiquitatis operibus vix cedunt. AN. 1686. APRILI.

In hortis illuſtriſſimi Marchionis Franciſci Ricardi hanc inter alias probavimus inſcriptionem.

D. M.
FAUSTUS. AUG. LIB.
ADJUTOR. AB. EPIS
TULIS. LAT. VIXIT
ANNIS. XVIIII. M. IIII.
DIEB. XVI. FECIT
ARTEMISIUS. PAE
DAGOGUS. ET. LIB.
PUERO
RARISSIMO.

Alios duos, qui Auguſto erant ab epiſtolis latinis, vide ſis apud Gruterum. *Grut.* DLXXXVIII. 2 & 3.

XXVIII. Illuſtriſſimus Vivianus, Magni Ducis Mathematicus, nobis oſtendit tres priores libros ab ſe compoſitos & editos ſub hoc titulo; *Divinatio in quinque libros deperditos Ariſtæi ſenioris de locis ſolidis.* Superſunt adhuc duo edendi, quos Regi Chriſtianiſſimo dedicare meditatur, a quo honorarium donum annuum antehac accepit. Idem nobis Theonis in Ptolemæum verſionem, ſæculo ſuperiori a Johanne Baptiſta Theophilo, nobili Urbinate, factam, ut ad regiam bibliothecam tranſportaretur, tradidit in manus: quam clariſſimo Thevenoto regiæ bibliothecæ curatori conſignavimus.

I. Dux ſereniſſimus, qui ad hoc uſque tempus Florentia abfuerat, partim Piſis, partim in Monte-Lupi (ubi Ambroſianum eſt palatium cum conventu Minorum Hiſpanicorum) verno tempore verſatus, nobis audientiam conceſſit ea facilitate ac benignitate, ut velis clauſis per dimidiam horam nos privatim alloqui ſit dignatus. Multa de Rege honorificentiſſime dixit, deque ejus ſtudio in catholicam Fidem. Poſtmodum juſſit, ut lectica nobis uſque Bononiam ſuppeditaretur. Deinde ad au- MAIO.

An. 1686. Maio. dientiam Magni Principis Ferdinandi, ac Principis Gaſtonis admiſſi ſumus: in quibus præclara illa Mediceorum indoles, id eſt innata in litteras & litteratos viros propenſio, cum aliis eximiis dotibus deprehenditur.

II. Amicis noſtris vale diximus, in primis amantiſſimis Patribus ex abbatia ſanctæ Mariæ, qui toto illo, quo Florentiæ verſati ſumus tempore, nos ſemper æquali ac conſtanti caritate complexi ſunt exemplo humaniſſimi Candidi abbatis: deinde illuſtriſſimo Magliabeco, qui nos litteris, libris, & perpetuis officiis juvit. Ab eo quippe epiſtolarum Ambroſii Camaldulenſis volumen optimæ notæ, libros editos complures, ineditos non paucos accepimus. In his eſt Petri Apollonii Novarienſis carmen heroicum *de Davide & Golia* ad Laurentium Medicem: quo ex carmine diſcimus ætatem hujuſce auctoris, quem alii ad ſæculum ſeptimum, alii ad decimum, alii ad alia tempora referunt, ut videre licet apud Gerardum Voſſium de Hiſtoricis latinis: ubi *Petrus Apollonius Collutius* appellatur. Idem auctor carmen quatuor libris ſcripſit *de Excidio Jeroſolymitano*. In poſterum itaque nemini futurum eſt dubium, Petrum Apollonium ſub finem ſæculi XV floruiſſe, nempe tempore Laurentii Medicei, cui ſuperius carmen de *Davide & Golia* inſcriptum eſt. Hanc notitiam erudito Magliabeco præter alia multa debemus. Subjunguntur eidem carmini varia ejuſdem auctoris epigrammata: quorum unum epitaphium eſt Pauli II. alterum Sixti IV. cujus vitam ab Onufrio Panvinio ſcriptam habemus.

Cum de relinquenda Florentia cogitamus, amici cujuſdam monitu diſcimus ſupereſſe magnam veterum librorum copiam penes illuſtriſſimum Canonicum Strozzam, qui aliquando Regis Oratoris officium Florentiæ geſſit. Eo nos conferimus, & facultate a viro humaniſſimo facile impetrata, libros, quoad nobis in illis temporis anguſtiis licuit, revolvimus. Præcipui ſunt *Johannis Chryſoſtomi* in primam Apoſtoli ad Timotheum epiſtolam expoſitio, *Ambroſio monacho interprete*: ad Pium II pro felici ex Mantuana peregrinatione reditu *Hieronymi Aretini abbatis* ſanctæ Floræ *congratulatio* in dialogi modum, interlocutore Guidone Antonio, Pii conſanguineo, & ipſo Hieronymo, quem Poggius interlocutorem in Dialogo adverſus hypocriſim non ſine elogio adhibuit. Ad hæc in eadem bibliotheca habetur *Hiſtoria Concilii Tridentini* italice, auctore Marco Antonio Milledoni, Secretario Concilii. Ibidem epitaphium Jacobi

Cardinalis Papienſis deſcripſimus.

AN. 1686. MAIO.

Luca ortus, ſed Sena fuit mihi patria; nomen,
Dum vixi, Jacobus, Piccolomina domus.
Papa Pius ſedem Papienſem detulit: idem
Cardineo ornavit munere: nudus eram.
Quem colui vivens, non linquo mortuus: hic ſum,
Et prope ſancta Patris filius oſſa cubo.
Vivite qui legitis: cæleſtia quærite: noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

BONONIA.

III. Feria ſexta, diſceſſus tandem extremus Florentia fuit. Decimo ab urbe lapide in declivi montis Senarii viſitur Servitarum princeps monaſterium, religione in primis celebre. Prima nobis ſtatio Florentiolæ, quod opidum poſt montem Jovis occurrit: altera Bononiæ in abbatia ſancti Proculi, ad quam in rheda reverendiſſimi Abbatis, quam in noſtri occurſum præmiſerat, deducti fuimus. Bononia urbs ampliſſima & elegans, cujus ædes veſtibulis ſive prothyræis, quæ viam peditum a pluviæ injuria protegunt, præmunitæ. Palatia item in ea urbe præclara, ex quibus unum e præcipuis eſt gentis Ranucciorum, cujus gentis præclarum modo eſt ornamentum Cardinalis hujus nominis, Nuntius apud Regem Chriſtianiſſimum acceptiſſimus. In ea urbe ſubſtitimus per quatuor dies, recreati hoſpitio & officiis reverendiſſimi abbatis ſancti Proculi Ludovici Guerræ Pedemontani, ejuſque loci monachorum e noſtris. Cœnobii ædes Italicam illam artis concinnitatem egregie exprimunt. Ad viſendam urbem dux nobis fuit domnus Caſimirus Freſcotus Burgundus, idemque ſcribendo ſuam nobis impendit operam.

V. Dominica ſalutavimus illuſtriſſimum Comitem Valerium Zani, virum non minus pium, quam doctum; cui Magliabeci litteras reddidimus. Die ſequenti cum ipſo adiimus celebrem abbatiam ſancti Salvatoris, quæ caput eſt Congregationis Canonicorum regularium ſancti Auguſtini. Ibi præclara eſt baſilica recentis architecturæ; inſigniſque bibliotheca, ante annos centum & ſexaginta, libris cum græcis, tum latinis, editis & ineditis inſtructa a Pellegrino Bononienſi, qui ejuſdem Congregationis generalis præpoſitus anno MDXXVI. renuntiatus eſt. Hujus bibliothecæ mentionem facit Mauro-

An. 1686. Maio. lycus,qui ad eam perluſtrandam miſſus eſt anno M D LXXXVI a Philippo ſecundo Hiſpaniarum rege, *ad faciendum*, inquit, *delectum variorum digniorumque codicum manuſcriptorum, tam græcorum, quam latinorum*, quos in bibliothecam ſancti Laurentii Eſcurialis tranſportaret. Superſunt nihilo minus etiam nunc permulti non ſolum editi, ſed & manu exarati libri utriuſque linguæ in eadem bibliotheca, in quam facilis nobis acceſſus fuit ex litteris commendaticiis reverendiſſimi Patris Cerri, ejuſdem Congregationis in Urbe Procuratoris generalis. De quibuſdam codicibus melioris notæ nonnulla obſervare juvat, & primo de græcis. In uno *Athenagoræ legatio* ad Marcum Aurelium & Aurelium Commodum; ejuſdemque *libellus de reſurrectione corporum. Juſtini martyris* moralis *oratio* περὶ μὲν τῆς τῶν προβλήματα τινῶν ἀζογιστου &c. Ejuſdem *paræneſis ad Græcos*, item *de recta Fide. Origenis epiſtola ad Aphicanum*, ut in codice, in editis *Africanum. Cleomedis circularis commentatio* cum commentis Chartophylacis: *Heron de machinis bellicis* cum figuris. In alio codice *Theonas Smyrneus in Platonem.* Denique in alio *Baſilii commentarius in Pſalmos: tum contra Sabellianos, Arrium, Anomæos* &c. Hæc de græcis. Præcipuus e latinis eſt codex venerandæ antiquitatis, *Lactantii inſtitutiones*, item *libros de ira, & de opificio* cum epitome continens; litteris quadratis ſcriptus ante annos mille & centum, collatuſque & emendatus minuto charactere Romano antiquiſſimo. ſed, quod dolendum, periere duo aut tria prima folia, deeſtque præfatio integra: ex qua ſciri potuiſſet, an Conſtantini mentio in eam intruſa ſit. Poſt hunc codices duo epiſtolarum ſancti Cypriani. Non tanti ſunt pretii liber *Bornii de Sala contra Judæos*, & *Hieronymi* olim *Judæi* alter: *Antonii de Senis* epiſcopi Fulginatis ex Ordine Jeſuatorum liber, *Quod unicuique à Deo conſtitutus eſt terminus mortis* &c. Ad hæc *Johannis Antonii Campani* de geſtis & vita Braccii ducis libri ſex: in quorum fine legitur hoc epigramma Cornazani:

Cum caderes, Bracci, belli clariſſime princeps,
Virtutis cecidit ſorte premente jubar.

Obiit XVI *Kal. Novemb.* M CCCC LVIII.

Ex reliquis codicibus tantum tres alios notamus aliquanti momenti. Primus exhibet *generales materias ſermonum & collationum* quatuor libris, auctore quodam regulari Canonico anonymo, qui ante exſtinctos Templarios vivebat.

Totum opus in quatuor libros tributum eſt. Primus liber continet argumenta collationum ſive ſermonum ad ſingulos hominum ſtatus ſub capitulis centum. Secundus continet in capitulis XXV materias generales ſermonum ſecundum feſtorum varietates. Tertius conſtat capitulis XXXIII. in quibus aliæ materiæ generales pro ratione temporum ſuppeditantur. Quartus denique exhibet materias generales pro varietate negotiorum, in Eccleſia, in Conciliis, in Synodis &c. Redeo ad primum librum, in quo auctor ſuggerit materias ſermonum ad Canonicos regulares, Præmonſtratenſes, fratres de Valle Scholarium, fratres de Sacco, fratres Prædicatores, ad Monachos, nigros, albos, & griſeos; ad Eremitas, Cartuſienſes, Grandimontenſes, Templarios; ad fratres Minores, fratres de Trinitate; ad Religioſos in Scholis commorantes, ad Converſos & Converſas variorum Ordinum: quibus ſingulis congrua pro tempore dat monita. In monachis nigris id carpit, "quod pueros in religionem admittant: quod non ſatis exerceantur in ſcientia Scripturarum, nec ſufficienter a majoribus ſuis inſtruantur; nec ſatis intelligant beneficium vocationis ſuæ ad religionem. Griſeos monachos, *ſicut ſunt illi de Tyrone, & quidam alii*, ait quædam accepiſſe de ſeveritate alborum, quædam vero de nigrorum remiſſione, ut pellicia. In capite XXIII ad Eremitas, epiſtola *de vita ſolitaria ad fratres de Monte-Dei* laudatur non ſemel, ejuſque auctor GUILLELMUS *Claræ-vallis*. In capite ſequenti ad Cartuſienſes: *Admonendi ſunt iſti, ut dum ſunt in cella, agant quæ pertinent ad vitam ſolitariam, de quo habetur abunde in epiſtola ad fratres de Monte-Dei.* Et poſt pauca: *Rurſus admonendi ſunt, ut interdum tales fiant & admittantur diſpenſationes, ut tantus rigor tolerabilis reddatur; & ſic fiat rationabile obſequium eorum.* Agit dein de terminis poſſeſſionum, aliiſque rebus; tum laudat ſanctam Cartuſienſium ſimplicitatem. *Non enim habent*, inquit, *aliquam Regulam, ſed ſolum Conſtitutiones ſeu conſuetudines, nec caput unum, nec eſt una domus ſub alia, ſed ſolum conformes ſunt.* Hæc in ſpecimen de primo illo codice ſufficiant.

An. 1686. Maio.

Alter codex continet *P. Candidi Decembrii* epiſtolarum libros octo ineditos, quibus præfixa eſt auctoris epiſtola ad Bartholomæum Mediolanenſem antiſtitem, cujus hortatu epiſtolas ſuas in unum corpus collegit. Ultimus liber totus eſt ad fratrem Antonium Raudenſem alias Panormitanum, Ordinis

AN. 1686. MAIO. Minorum, quem petulanter irridet ob Philippicam ab eo nuper editam. Ad Candidi invectivas reſpondet Jacobus Modoëtienſis. In tertio codice habentur *epiſtolæ Pauli Canonici regularis Veronenſis* ex abbatia ſancti Leonardi : ex quibus nonnullæ obſervationes haud indignæ poſſunt erui. In epiſtola tertia ad Bartholomæum & Nicolaum fratres, petit curari, *quo vaſculum conſletur argenteum, deſuper auro elaboratum, quo ſervari poſſit religioſiſſime ſacratiſſimum corpus Chriſti, uti mos eſt per omnem Eccleſiam Dei.* Tum ſubdit : *Urnam illam eburneam, qua uſi ſumus pro hujuſce cauſa, ſæpe vidiſti, & judicaſti indignam tanto myſterio.* In epiſtola v. de morte patris ſui agit auctor, quæ mors accidit Venetiis anno M CCCC XIII. ſumto Viatico ſacro ante extremam unctionem. Epiſtola XVI inſcripta eſt Franciſco Barbaro, a quo ejus librum *de re uxoria* ſibi promiſſum poſtulat. In fine ultimæ epiſtolæ, quæ eſt XIX, ſequitur epiſtola Gregorii Conrari, apoſtolicæ ſedis Protonotarii, ad illuſtriſſimam virginem Cæciliam de Gonzaga : cui congratulatur, quod, ſpretis mundi oblectamentis, Deo ſe devoverit : hortaturque, ut relictis poëtis, in quorum lectione a Victorino præceptore inſtituta fuerat, legat potius ſanctorum Patrum tractatus, quos de ſancta virginitate & de ſervanda continentia ſcripſerunt : *ſicut Auguſtinus*, inquit, *& Baſilius in eo libro, quem nuper frater* AMBROSIUS *in latinum ſermonem vertit : cui pro ſuis bonis meritis rependat Deus in vita beata.* Deinde hæc de eodem Ambroſio addit : *Multa quidem utilia ex Doctoribus eccleſiaſticis egregie tranſtulit, & plura tranſtuliſſet, ni eum a laboribus humanis immatura mors ſuſtuliſſet.* Et inferius : *Revolve libros Lactantii, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Leonis, Sulpicii, Bernardi, Salviani quoque : cujus libros de Providentia Dei, e Concilio Baſileenſi rediens, de Germanorum ergaſtulis in Italiam deportavi.* Hactenus Gregorius Conrarus ſeu Coriarius, ad quem exſtat Poggii epiſtola, qua objecta quædam in ſuum librum de Nobilitate diluit. Ceterum epigrammatibus antiquæ Urbis, quæ Jacobus Mazochius tempore Leonis X vulgavit, præmittitur manu deſcripta collectio veterum inſcriptionum, ab anonymo erudito facta, ex qua unam proferimus, nempe antiquam ſupplicationem ad transferenda mortuorum corpora Imperatori porrectam, quæ in marmoreo ſepulcro inventa eſt hoc modo.

Qom ante hos dies conjugem & filium amiſerim, oppreſſus neceſſitate corpora eorum fictili ſarcophago commendaverim, donec is locus, quem emeram, ædificaretur, via Flaminia, inter mil. I. *&* III. *euntibus ab urbe parte læva, rogo D. Imp. permittas mihi in eodem loco, in marmoreo ſarcophago, quem mihi modo comparavi, ea corpora colligere: ut quando eſſe deſiero, pariter cum eis ponar. Secretum: Fieri placet. Lubentius Celſus promagiſter ſubcripſi* III *Nonas Novembres, Antione Pollione Coſſ.* An Pudente & Pollione? anno Chriſti CLXVI.

Quatuor a Bononia paſſuum millibus exſtat ejuſdem Congregationis ſancti Salvatoris abbatia beatæ Mariæ de Rheno, ex qua Lucius II ad Pontificatum aſſumtus fuit, antea Gerardus dictus: cujus mentio eſt in Necrologio loci, tum ad XI Kal. Octobris, quo die coronatus eſt anno MCXLIV. tum ad VIII Kal. Septemb. qui dies ejus ſupremus fuit anno ſequenti. Ibidem X *Kal. Novemb. anno Domini* MCLXXXVIII *obiit Faïta, filia olim domini Alberti ab Urſo de Cazanimicis, fratris domini Lucii Papæ* II. Eodem in loco ſepultus eſt anno MCCXVIII Bandinus Legum doctor, de quo hoc epitaphium in prædicto Necrologio:

Bandinus Tuſcus, legum ſplendore coruſcus,
In Piſa natus, jacet hoc tumulo tumulatus.

VII. Baſilica ſancti Petronii, cathedrali ſancti Petri vicina, altare verſus portam converſum habet. In ea deſcripſimus epitaphium Gratiani, qui olim monachus e noſtris, ac Decreti compilator fuit.

D. O. M.
GRATIANI *Cluſini, Cæſarei Jur.*
& Pont. enucleatoris prope divini:
Qui monachus in martyrum Felicis
& Naboris æde, abſolutiſſimum
ibidem opus Decretorum
anno gratiæ M. C. LI. *compilavit:*

An. 1686. Maio.

Monumentum quod illic carie
ruderibuſque obſorduerat;
hic magnificentius renovatum
Johannes Franciſcus Aldrovandus Bononien.
IIII *Dictator, ære publico inſtauravit*
anno ſalutis M. CCCC. LXXXXVIIII.
Idibus Junii, Johanne Bentivolo II.
P. P. remp. feliciter gubernante.

Prædictum ſancti Felicis & ſancti Naboris monaſterium, olim virorum, nunc ſanctimonialium eſt Ordinis noſtri: ubi lapis quondam ad Gratiani oſtium cubiculi poſitus, in ſacrarium poſtea tranſlatus, hos verſus inſcriptos continebat.

Hanc aulæ partem reverenter, lector, adito.
Namque loci monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus opus, quantumlibet arto
Contentus ſepto: quod jam reparando caducum,
Et vetus hoc clauſtrum tolli fuit inde neceſſe.
Id tamen abbate conſtructum eſt Bartholomæo,
Mille trecentenis decies ſeptem atque quaternis
Annis à Chriſto pura de Virgine nato.

Hinc refelluntur qui aſſerunt cum Sigonio in libro II de Pontificibus Bononienſibus, Gratianum in ſancti Proculi cœnobio monachum exſtitiſſe.

Antiquiſſimum eſt Ordinis noſtri, nunc Cæleſtinorum, ſancti Stephani monaſterium, *Jeruſalem* dictum: in cujus area clauſtri vas inſigne ex lapide proſtat, quod ad Cœnam Domini Liutprandus & Hildeprandus reges fieri curarunt, hac inſcriptione in orbem appoſita.

✠ *umilibus vota ſuſcipe Domine*
Dominis dominis noſtris Liutprante &
Ilprante regibus, & domino Barbatu
Epiſcopo ſanctæ eccleſiæ Bononienſis.
Hic in honorem loci religioſi ſua præcepta
obtulerunt, unde unc vas impleatur in Cœnam
Domini Salvatoris. Et ſi quis munera hæc minuerit,
Deus requiret. ✠

Ughellus

Ughellus barbaram hanc inſcriptionem, at mendoſe retulit: ſed quis fuerit illius vaſis uſus non indicavit. Nonnulli viri docti exiſtimant, adhibitum fuiſſe in Cœna Domini ad lotionem pedum. Eſt enim vas capaciſſimum, habens in orbem circiter tredecim pedes, altitudinis unum cum octo pollicibus; & in fundo foramen ad liquorem, ubi neceſſe fuerit, effundendum. Verum cum legimus in præmiſſa inſcriptione, *Præcepta*, atque adeo donationes a Liutprando & Hildeprando factas fuiſſe, *unde vas impleretur in Cœnam Domini*; nihil aliud cogitandum ſuccurrit, quam vino continendo deſtinatum fuiſſe, forte ad illud epulum, quod ipſo die Cœnæ a Fidelibus olim fieri conſuetum erat. In eodem ſancti Stephani cœnobio invenimus libellum de geſtis Bonodii abbatis. Ad ſanctum Michaëlem in Prato nobiliſſimum eſt monaſterium Olivetanorum, cujus ſitu nihil amœnius, nihil jucundius. Bibliotheca, novo opere præclare conſtructa & inſtructa, nonniſi vulgares libros continet. AN. 1686. MAIO.

Archivum urbis, quod duce Valerio Zani inſpeximus, habet quædam vetuſtiſſima diplomata ex eccleſia Ravennenſi, in papyro Niliaca exarata: quorum unum continet donationem ſex unciarum, a Johanne Spatario factam prædictæ eccleſiæ Ravennati. *Actum Imperatore, Conſule, & die ſupra ſcriptis* legitur ante ſubſcriptiones: ſed notæ chronologicæ, quæ initio diplomatis appoſitæ erant, deſunt in mutilo inſtrumento: cui ΜΑΡΙΝΟϹ ΧΡΥϹΟΚΑΤΑΛΑΚΤΗϹ litteris græcis, ſed verbis latinis ſubſcripſit; alii verbis & litteris latinis. Alterum, totum fere lacerum, datum eſt *ſub die quarto Non. Janu. P. C. Flavi Fauſti Junioris V. C.* id eſt anno CCCCXCI. exhibetque conceſſionem cujuſdam matronæ, nomine Mariæ, factam Johanni antiſtiti ejuſdem eccleſiæ Ravennenſis. In palatio, ubi prædictum archivum eſt, exſtant omnia autographa & adverſaria Ulyſſis Aldrovandi Bononienſis.

VIII. Dominicanorum inſigne cœnobium inviſum præterire fuit religio, tum ob reliquias ſancti Dominici, qui ibidem ad ſuperos abiit ſepultuſque eſt, tum ad videndam loci bibliothecam maxime ornatam, libriſque refertam. In ea bibliotheca Ambroſius Camaldulenſis invenit *volumen, ubi geſta Conciliorum veterum pulcherrime deſcripta erant, & in primis Chalcedonenſis Synodi per actiones diſtinctæ, pulcherrimis & antiquiſſimis litteris:* quo in volumine erant *libri Facundi de ipſius Concilii geſtis* con-

AN. 1686. MAIO. tra detrahentes. Sed hunc codicem non invenimus. Beata Catharina Bononienſis in eccleſia Corporis Chriſti apud Clariſſas integro corpore ſpectanda exponitur.

Ipſo die illuſtriſſimus Comes Carolus Cæſar Malvaſia, metropolitanæ eccleſiæ Canonicus, nos honoris cauſa inviſit. Is libellum ſcripſit ad explicandum ænigma Æliæ Læliæ Criſpis: atque aliud opus italice de Pictoribus Bononienſibus, Regi Chriſtianiſſimo nuncupatum: cujus in ſe munificentiam magnopere deprædicabat, quod munus regium ad ſe miſſum cum gerulus deperdidiſſet, iterata largitione alterum non ſine fœnore ad ſe rediit.

* Modene

IX. Bononia dimiſſa, * Mutinam tendimus, Sadoletorum natalem urbem, ubi in tranſcurſu viſa nobis eſt ſancti Geminiani eccleſia cathedralis antiqua: deinde abbatia ſancti Petri e noſtris, ubi nihil ſingulare, neque in bibliotheca, neque in archivo. Hujus loci abbas fuit Guillelmus Corteſius, poſtea Cardinalis, Sadoleti litteris celebratus. In eadem urbe picturæ Principis, pleræque ad pietatem compoſitæ, & numero, & pretio inſignes. His curſim perluſtratis, ipſa die in Nonantulanam abbatiam, quæ decem paſſuum millibus inde diſtat, acceſſimus: ubi modo ſex monachi Ciſtercienſes ſub abbate regulari degunt, magna parte bonorum abbati ſæculari relicta. In bibliotheca duo tantum ſuperſunt ex multis, quos celeberrima olim illa abbatia habebat, veteres codices, nempe vita Hadriani Papæ I, quam hic habes, auctore monacho loci anonymo: alter vero de abbatibus, qui illud monaſterium rexerunt. In archivo diplomata perantiqua Ludovici, Lotharii, & aliorum. Ambroſius Camaldulenſis anno MCCCCXXXIII eo profectus, bibliothecam videre non potuit, aſſerente abbate, nulla ibi eſſe volumina; cum plurima miræ vetuſtatis illic pulvere & ſitu jacere demerſa ex auctoribus certis ipſe comperiſſet.

Poſtquam Mutina diſceſſimus, V. C. Laurentius Statilius ex eadem urbe litteris nobis ſignificavit, penes ſe eſſe Petronii Arbitri fragmentorum exemplar, quod doleret nobis viſum haud fuiſſe, cum Mutinæ verſaremur. Qualis ſit codex ille, exponit in itinere ſuo Dalmatico Jacobus Sponius, qui Tragurii in Dalmatia eum inſpexerat apud Marinum Statilium, Laurentii patrem. Tibullo, inquit Sponius, Catullo, & Propertio
„ ſubjungitur fragmentum Petronii Arbitri ex libris quinto-de-

cimo & ſexto-decimo. Exaratum eſt exemplar anno M CCCC XXIII. Certent quantum volent litterati viri de auctore illius fragmenti, quod nonnulli Petronio abjudicant. Nobis vero ejus inſpectione caruiſſe non gravis dolor eſt, quibus Petronii genium & ſtilum ignorare convenit. Hic in mentem venit P. Guirandi Aloſiani epiſtola ad Andream Arnaudum, in qua multum improbat novam Petronii editionem. *Hei mihi*, inquit, *quam peſſimo exemplo talia duce donantur, & quam cariſſimo precio hæ vetuſtatis reliquiæ & cineres nobis emuntur!* Epiſtola hæc locum habet inter philologicas, a Goldaſto editas, certe homine Chriſtiano digna. AN. 1686. MAIO.

PATAVIUM, ET VENETIÆ SECUNDO.

X & XI. Ferraria iterum & Patavium à nobis viſæ propter Venetias, quo librorum quorumdam neceſſitas nos vocabat. Conventus a nobis obſequiorum cauſa Patavii eminentiſſimus Cardinalis Barbadicus, ait ægre ſe ferre, quod ad ſuas ædes primum non divertiſſemus; flagitavitque ut in reditu e Venetiis apud ſe hoſpitaremur.

XII. Venetias dum iterum accedimus, dumque in via tantiſper ſubſiſtit auriga qui nos ducebat, vici eccleſiam poſt meridiem (Dominica dies erat) excitante campanæ ſigno, ingredimur: ubi pueri & puellæ in diſcretos diſtributi choros, & quidem utrique in varias claſſes quini aut ſeni, elementa vitæ Chriſtianæ recitabant, pueri apud homines graves, puellæ apud matronas: quorum ſinguli ſingulis claſſibus præerant. Hic ritus in totum annum ſingulis Dominicis per Italiam frequentatur. In illis etiam partibus hic mos viget, ut concionatores, non in ipſo ſermonis curſu, ut apud nos; ſed ante ipſum concionis exordium precationem ad beatiſſimam Virginem fundant: ne duo (ut fit) exordia facere, & ſermonem interrumpere cogantur.

XIII. Per ſubſequentes dies luſtrandis Murani ſancti Michaëlis, & ſancti Mathiæ Camaldulenſium monaſteriorum bibliothecis dedimus operam. Apud ſanctum Mathiam invenimus *Petri Delphini epiſtolas*, ante præfecturam generalem ab eo ſcriptas, ab anno ſcilicet M CCCC LXII ad M CCCC LXXX. Vulgatis libris Marci Antonii Sabellici de Magiſtratibus Venetis, qui *Auguſtino Bardadico inclito Venetiarum Principi* nuncupati ſunt, præmittitur ſcripta manu epiſtola ejuſdem

An. 1686. Maio. Sabellici ab Bernardum Bembum equitem, qui Bergomi Prætor proximis comitiis creatus fuerat. Apud ſanctum Michaëlem poſt nonnullas epiſtolas Hermolai Barbari patriarchæ Aquileienſis ad Antonium Calbum de caſtigationibus Plinianis, quæ litteræ inter Politianas editæ ſunt, ſubjungitur Antonii Merulæ epiſtola ad eumdem Antonium Calbum de morte ipſius Hermolai ex Mediolano IIII Nonas Sextiles MCCCCLXXXXIIII. cujus Hermolai præmaturum interitum, velut *inæſtimabilem latialis doctrinæ jacturam, & publicam ingeniorum calamitatem* luget Merula. Hermolaus Romæ obiit anno MCCCCXCIIII, *Maii* XXI. *Vixit an.* XLI, uti legitur in baſilica ſanctæ Mariæ de Populo, ubi ſepultus eſt cum epitaphio, quod Ughellus refert. Alius fuit eodem fere tempore Hermolaus Barbarus epiſcopus Veronenſis, Panvinio laudatus. In prædicto ſancti Michaëlis monaſterio ſepultus eſt Petrus Delphinus, mortuus die XV Januarii anno MDXXV.

XVIII. Dum bibliothecam ſancti Marci denuo perluſtraremus, doctiſſimus abbas Gualterius nobis oſtendit in veſtibulo ſignum Ganimedis a Jove rapti, in capite gerentis galerum, ad cujus ſimilitudinem factus eſt pileus Ducis Venetiarum. Idem Gualterius nos deduxit in inſigne cœnobium ſanctorum Johannis & Pauli, quod eſt Dominicanorum: ubi ampliſſima eccleſia, ædes regulares perquam magnificæ, cum ſingulis dimidiis ex marmore ſtatuis ad ſingulas cellas; nec impar bibliotheca. Multi in ea ſunt codices manu exarati, ſed de rebus ſcholaſticis fere omnes.

XIX. Monaſterium ſancti Georgii in Alga, quod olim caput erat Congregationis Canonicorum ſæcularium ſancti Auguſtini, a beato Laurentio Juſtiniano illuſtratæ; medio Venetias inter & Foſſinas intervallo ſitum eſt in mediis aquis. Exſtinctis ante octodecim annos Canonicis, & bonis Reip. addictis, locus vacuus Patribus Minimis conceſſus eſt. Erat ibi quondam bibliotheca non contemnenda, cujus indicem texuit Philippus Thomaſinus: at modo nihil ibi ſupereſt præter parietes & imagines virorum illuſtrium, qui eo in loco floruerunt. Cella beati Juſtiniani pium horrorem affert ſpectantibus. Antequam is eſſet Patriarcha, Venetiarum Antiſtes vocabatur *Epiſcopus mortuorum*, uti Petrus Pithœus ex Seraphino in ſuis Pithœanis obſervavit.

Cum Patrem Coronellum, Venetæ Reip. Coſmographum,

in majori conventu Minorum ſalutandi cauſa inviſeremus, ipſe nobis tabulas quaſdam topographicas * Peloponneſi & aliorum locorum dedit, eo tempore, quo Venetorum exercitus in Peloponneſo proſperos ſucceſſus habebat. Hujuſce rei occaſione venit in mentem id, quod Humbertus de Romanis, præfectus v. generalis Prædicatorum, ſcripto reliquit in libro de iis quæ tractanda videbantur in Concilo generali Lugdunenſi ſub Gregorio x. ubi agens de negotio ſuſcipiendo contra Saracenos, ait optimum eſſe, *ſi principatus de Morea a Latino Principe acquiratur.* An. 1686. Maio. * la Morée

XX. Venetiis publica navicula diſceſſimus, quæ ſub veſperum appulit Patavium. In ripa nos opperiebatur rheda eminentiſſimi Cardinalis Barbadici, qui audito noſtro Patavium reditu, ſuæ viſitationis in montibus Euganeis curſum interrumpere non eſt gravatus. Mirati ſumus tantam eminentiſſimi viri in exteros homines dignationem, cujus modeſtiam, ſtudium in litteras & virtutem, zelum indefeſſum, & mores incorruptos nemo non agnoſcit. Sub ejus diſciplina floret Seminarium clericorum numero centum, qui in pietate, litteris & ritibus eccleſiaſticis a pueritia ad idoneam ſacerdotio ætatem erudiuntur. Ibi artes honeſtæ & clericis convenientes exercentur, præcipue typographica, cujus officina omnigenis fere characteribus, etiam orientalibus, inſtructa eſt. Extra urbem aliud exſtat Seminarium nobilium, qui ad Chriſtianam pietatem informantur ſub ejuſdem Cardinalis diſciplina. Hujus autem hoſpitii quoties recordamur, (recordamur autem ſæpiſſime) toties in mentem redit id quod de Platonis cœna dixit Timotheus, qui cum ab eo invitatus eſſet, & eumdem poſtero die denuo vidiſſet; cœnas Platonis non modo in præſentia, ſed in poſterum quoque diem jucundas eſſe confeſſus eſt.

XXII. Reverſo ad proſequendas viſitationes Cardinale, inviſit nos Carolus mathematicus inſignis, qui unum ex ſuis libris Regi dedicavit. Nos vero bibliothecam ſancti Johannis in Viridario, quam antea jam revolveramus, denuo adiimus, ut carmen Henrici Septimellenſis, Magliabeci cura editum, cum veteri codice, ipſo petente, conferremus. Hæc bibliotheca multos habet codices calamo exaratos: quorum maximam partem Canonicis illis regularibus legavit Johannes Marca-nova medicus Patavienſis. Is veteres inſcriptiones ex Italia, variiſque aliis regionibus conquiſitas conjecit in librum, quem Malateſtæ

An. 1686. Maio. Novello Cæſenæ Principi nuncupavit anno M CCCC LXV. Non eſt ex illo numero inſignis de Gallicana muliere inſcriptio, quæ obitu conjugis ſui, qui apud Maroſticam, ditionis olim Patavinæ opidum, deceſſerat, comperto, ad ejus ſepulcrum adiit per manſiones ſeu hoſpitia quinquaginta, (nam Principis decreto ratæ & fixæ olim erant ejuſmodi manſiones:) & mariti ſui cineres lacrymis ſuis reſperſit. Inſcriptionem hujus facti teſtem refert Pignorius in epiſtola XXVII ad Marcum Antonium Romitum, ut recens Maroſticæ detectam in ſacra æde beati Floriani; noſque ex eo in gratiam gentis noſtræ huc adducimus.

MARTINA. CARA. CONJUX. QUAE
VENIT. DE. GALLIA. PER. MANSIONES
L. UT. COMMEMORARET. MEMORI
AM. MARITI. SUI
BENE. QUIESCAS. DULCISSIME
MI. MARITE.

Pridie hujus diei conventus a nobis eſt apud Patres Dominicanos Seraphinus Piccinardus, vir doctus, qui hoc ipſo anno Patavii librum vulgavit de Prædeſtinatianis. In bibliotheca Auguſtinianorum Eremitarum, Seripandi Cardinalis *Iter ad Concilium Tridentinum*, quod Iter in catalogo librorum adſcriptum erat, fruſtra perquiſivimus. Nec felicior fuit conatus in reperiundis epiſtolis Petri Barrotii epiſcopi Patavienſis, quas Petrus Delphinus ejus amicus, ipſo mortuo, ad editionem paraverat. Exſtat pius ejuſdem Barrotii libellus de modo bene moriendi. Mortuus eſt, ſepultuſque Venetiis: ſed illius cenotaphium Patavii viſitur in eccleſia principe, ex decreto Reip. adſcripto hoc elogio.

PETRO BARROTIO, *Bellunenſi primum antiſtiti, Pontif. dein Patavino, ſanctimonia, pietate, eruditione, & beneficentia incomparabili, Senatus Venetus monument. hoc faciendum curavit.*

Ejus homiliam invenimus in codice Caſinenſi ſub hoc titulo: *Reverendiſſimi Petri Barrocii, epiſcopi Patavini ac Comitis Saccenſis, ex beato Epiphanio epiſcopo Cyprio, de ſepultura Domini Dei noſtri J. C. & glorioſo ejus ad inferos deſcenſu ſermo. Quid hodiernum ſilentium hoc?* &c.

MANTUA, PARMA, PLACENTIA.

XXIII. Aſcenſionis feſta die poſt prandium relicto Patavio, verſus Mantuam nobis profectio fuit per montem Silicis, * Ateſtum, Bevilaquam, & alia loca regionis amœniſſimæ ſub Veneta Rep. cujus præſidium extremum eſt in opido Lignago ad * Atheſim.

* Eſte.

* L'Adige.

XXIV. Mantuæ nihil veterum librorum repertum. Omnibus notum eſt illud eſſe natale Virgilii ſolum: cujus ſtatuam, quæ in ejus honore multis retro ſæculis ibidem ſteterat, Carolus de Malateſtis, dux eo in bello quod apud Mantuam gerebatur, victis fugatiſque hoſtibus, evertit. Ob id Guarinus Veronenſis graviter in eum invectus eſt. Mincii ſtagnantes aquæ urbem cingunt ac muniunt, ac paullo poſt in Padum ſeu Eridanum derivantur: ubi Leo M. Attilam conveniſſe, ac compeſcuiſſe memoratur. Difficilem Auguſtini ævo ac periculoſum fuiſſe hunc confluentium aquarum locum intelligimus ex ipſius Auguſtini epiſtola ad Dioſcorum. *Non enim ſic prohibemus in incerto famæ finem ponere, ut tamquam de Mincio in Eridanum emigres, quo ſe ipſe fortaſſe Mincius etiam non emigrantem impingeret.*

Auguſtin. epiſt. 118. *n.* 6.

Non procul inde inſigne ac præclarum ſancti Benedicti monaſterium, quod decem a Mantua paſſuum millibus diſtat. Padolironenſi vocabulum eſt a Pado & amne Lirone, qui amnis eo loci in Padum influit. Ibi membranei codices haud minus quam quingenti, priſco more ſcamnis alligati ferreis catenis. Unus e præcipuis eſt codex vetus, in quo *liber de corpore & ſanguine Domini* continetur auctore Gezone. Fuit hic primus abbas monaſterii, quod Giſeprandus Dertonenſis epiſcopus ante medium ſæculum decimum apud Dertonam ſub titulo ſancti Martiani de Patrania conſtruxit: quam conſtructionem Hugo & Lotharius reges ſuis diplomatibus ratam habuerunt. Hunc autem librum ex Patribus, præſertim ex Paſchaſio Radberto, collegit Gezo, atque in capita LXXI diſtribuit. Præfationem operis, quæ ſane præclara eſt, inferius ſuo loco cum libri capitulatione exhibebimus. Alius codex comprehendit tres ex Origene libros in Job, quos *de græco in latinum Hilarius epiſcopus* vertiſſe dicitur, præmiſſo hoc prologo, *Peritorum mos eſt medicorum* &c. Et quidem Hilarius Pictavienſis antiſtes ex Origenis commentariis in Job quædam defloravit, teſte præter Hieronymum Auguſtino in libro ſecundo contra

An. 1686. Maio. Julianum : at verba, quæ ex hoc Hilarii opere adducit Auguſtinus, non reperiuntur in illo Padolironenſi commentario, qui inter Origenis opera vulgatus eſt, nec Hilarii venam & genium aſſequitur. Denique in alio codice ejuſdem monaſterii *Definitiones dogmatum eccleſiaſticorum*, quæ Gennadio paſſim tribuuntur, nomen præferunt *ſancti Fauſti epiſcopi eccleſiæ Maxilienſis*. Porro in eodem monaſterio vixit Symeon monachus & eremita, natione Armenus, cujus reliquiæ ibidem aſſervantur.

* *Guaſtalla.*

* *Briſſello.*

XXV & XXVI. Raſola, * Gardiſtallo opido munitiſſimo Ducis Mantuani, ubi olim duo celebrata fuere Concilia, & * Brixillo præteritis, cum Parmam accederemus, reverendiſſimus abbas Angelus Maria Arcionius, ex prænobili Arcioniorum apud Parmenſes genere, nobis obviam miſit aliquot ex ſuis; noſque ſingulari benevolentia & humanitate eſt complexus, quos ad ſuum monaſterium inviſendum litteris ſæpius invitaverat. De tanto viro, qui uſque tertium Congregationis Caſinenſis præfectus fuit generalis, & magna caritate & prudentia ſuos regit, deque ejus in litteras amore dicere ſuperſedemus, ne ipſi pro beneficiis impenſis aſſentari, nobiſque pro acceptis honoribus nimium blandiri videamur. Is libros ſuos, italicis verſibus egregie ſcriptos, nobis dono dedit: itidemque loci Prior doctus, Andreas Rainerius, libros de philoſophia a ſe compoſitos: at Benedictus Baccinus, noſter in primis amicus, largitus eſt codicem librorum de Imitatione Chriſti antiquum, in quorum fine hæc clauſula legitur: *Explicit liber quartus & ultimus ſancti Johannis Gerſem de Sacramento altaris.* Idem Benedictus nobiſcum epiſtolas Alberti de Sarthiano communicavit, vir in litteris politioribus & in ſacris optime verſatus: qui ad Diarium litteratorum Parmenſe ſymbolam ſuam cum Patre Gaudentio Roberto Carmelita confert, aliaque plura opera meditatur. Sed cum de his agimus, pæne excidit nobis memoria Parmenſis ſancti Johannis Evangeliſtæ monaſterii, in quo tanta cum humanitate ab univerſis monachis, nedum ab optimo abbate mox laudato accepti ſumus. Mira eſt illius abbatiæ, in primis vero eccleſiæ elegantia, auctore partim & architecto ipſomet abbate, qui non minorem de ſpirituali ſuorum profectu, quam de ædificiorum ſplendore & ornamento curam habet.

XXVII. Bibliotheca Principis ornatiſſima, libriſque refertiſſima

fertiſſima eſt ad quadraginta fere millia. Baſilicæ urbis omnes cultiſſimæ: Ducalis ſancto Martino Turonenſi; cathedralis olim ſancto Herculano, nunc beatiſſimæ Virgini aſſumtæ nuncupata; Parmi Sanini, Antoniique Coregienſis picturis decorata eſt. Nobilium CC L ſeminarium unum eſt ex præcipuis totius Europæ, ædificiis & legibus optime inſtructum. Sanctimonialium Ordinis noſtri cœnobium ſub titulo ſancti Alexandri martyris condidit ſæculo nono Cunigundis, relicta Bernardi Italiæ regis, atteſtante authentico inſtrumento, Parmæ dato; *regnantibus Hlodovvico & Hluthario Imperatoribus anno vigeſimo ſecundo & ſexto-decimo*, XVII *Kal. Julias*, *Indictione tertia-decima*, id eſt anno Chriſti DCCC XXXV. quæ notæ chronologicæ obſervatione dignæ ſunt ad ſtabiliendam epocham imperii Lothariani. Bertholdus monachus ſanctus colitur in illo parthenone ſancti Alexandri: Johannes abbas in monaſterio ſancti Johannis. AN. 1686. MAIO.

XXVIII. Benedictus Baccinus cum Patre Gaudentio jam laudato Placentiam uſque nos deduxit in rheda abbatis ſui. Urbem ſancti Domnini, alias Fidentiam; tum Florentiolam opidum, cujus patronus ſanctus Florentius epiſcopus Arauſicanus; obiter percurrimus. Hoſpitio excepti Placentiæ in monaſterio ſancti Sixti e noſtris, archivum, quoad licuit, raptim perluſtravimus, vetuſtis & authenticis noni ac decimi ſæculi Imperatorum inſtrumentis refertum, quanta fere nuſquam locorum apud Italos copia. Conditum eſt primo cœnobium in gratiam ſanctimonialium ab Angilberga imperatrice Ludovici II. uxore. Exſtat hujus rei inter alia diploma ipſius Ludovici, quo monaſterii conditionem dotationemque confirmat III. *Id. Octob. Indict.* VIII, *anno imperii* XXV. *apud Olonnam curtem imperialem.* Appenſum eſt Imperatoris ſigillum ex plumbo, in antica præferens ejus effigiem cum hac inſcriptione, ✠ HLUDOVVICUS IMP. R. & in poſtica parte, CL. AUG. DEC. IMP. Idem uxori ſuæ Angilbergæ concedit *abbatiam in honore beati Petri, non procul a Placentina urbe, in loco qui nuncupatur Caput Trebiæ.* quod modo prædium eſt monaſterii ſancti Sixti. Idem eidem Angilbergæ tradit *monaſterium Salvatoris, quod dicitur Novum, intra mœnia civitatis Brixiæ conſtructum*; & aliud *in Luca, quod Aldo Dux ædificavit*; itidemque unum *in Papia, quod vocatur Reginæ, & xenodochium ſanctæ Mariæ cum hoſpitali ſancti Benedicti, necnon & monaſterium ſitum in Sir-*

An. 1686. Maio. *mione, ſeu xenodochium ſanctæ Mariæ in Papia ſitum, quod dicitur ſancta Maria Britonum: ea conditione, ut, ſi prædicta Angilberga ante filiam ſuam Hermengardem obierit, in ipſa loca filia ſua ſuccederet.* Carolus, cognomento Craſſus, non uno diplomate confirmat res monaſterii a ſorore ſua Angilberga conceſſas. Arnolfus hortatu Hirmingardis, quam mater Engilberga ad ſe miſerat, eadem rata habet; & monaſterium Novum, quod Ludovicus Brixiæ ſitum eſſe dicit, *in Comitatu Priſſanenſi* locat. Addit *Papiæ monaſterium ſancti Marini, atque monaſterium ſancti Thomæ, necnon monaſterium Reginæ, in quibus ſanctæmoniales Domino famulantes commorantur.* Sed, ut ad Ludovicum revertamur, exſtat in eodem ſancti Sixti archivo libellus dotis, quo Angilbergam ſponſam ſuam, *juxta legem Francorum* dotaturus, eidem *dotalitio nomine* dedit curtem juris ſui, *quæ dicitur Campo Miliacio, cum omnibus adjacentiis. Data* III *Non. Octob. anno imperii* ſui *ſecundo, Indict.* XIIII. *Actum Maringo curte regia.* Hæc ſatis ex archivo prædicti monaſterii, quod *ſub titulo dominicæ reſurrectionis, & in honore ſanctorum martyrum Sixti, Fabiani, Marci & Apulei*, quorum reliquias ibidem quieſcere Karlomannus in ſuo diplomate aſſerit, primitus ædificatum eſt.

MEDIOLANUM SECUNDO.

XXIX. Pado tranſmiſſo, per * Laudem Pompeiam ad fluvium Addam; tum per Marinianum opidum, Franciſci I. pugna & Helvetiorum clade inſigne, Mediolanum denuo pervenimus. Diebus ſequentibus amicis reviſendis, præſertim illuſtriſſimo Comiti Mezabarbæ, qui novis nos favoribus honoravit, & bibliothecæ Ambroſianæ iterum perluſtrandæ tempus impendimus. Hic cum aliquis non ſatis honorifice de Rege loqueretur, unus e bibliothecariis, non ſine bile homini inverecundo ſilentium impoſuit, dicens eo in loco non permitti oblocutiones in Principes. quæ res adſtantibus magnopere placuit. De hac bibliotheca, cum ſuperius multa dixerimus, pauca tantum hoc loco addere juvat, exſtare ſcilicet ibidem varias Claudii Puteani epiſtolas ad Johannem Vincentium Pinellum V. C. cujus vitam ſcripſit Paulus Gualdus; qua de re Laurentius Pignorius epiſtola XXII ei gratulatur. Ad hæc in eadem Ambroſiana bibliotheca exſtant variæ Tertulliani emendationes ſuper editionem Pamelii, ex codice Vaticano,

* *Lody.*

& ex Petri Ciaconii conjecturis. Denique, ceteris omiſſis, poſt Quintiliani libros de inſtitutione oratoria, legitur inedita Poggii epiſtola ad Johannem amicum ſuum de reperto apud ſanctum Gallum integro codice eorumdem librorum. In hac epiſtola Poggius aſſerit, Quintilianum apud Italos ita laceratum, ita circumciſum antea fuiſſe, *ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognoſceretur*: ſe vero ſingulariſſimum illud lumen Romani nominis, quo exſtincto nihil præter Ciceronem ſupererat, non tantum ab exſilio, ſed ab ipſo pæne interitu in avitam patriam revocaſſe. Id vero quemadmodum acciderit, ita narrat. *Fortuna quædam fuit, cum ſua, tum maxime noſtra, ut cum eſſemus Conſtantiæ otioſi, cupido inceſſeret viſendi ejus loci, quo ille recluſus tenebatur. Eſt autem monaſterium ſancti Galli, prope urbem hanc millibus paſſuum viginti. Itaque nonnulli animi laxandi, & ſimul perquirendorum librorum, quorum numerus maximus ibi eſſe dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertiſſimam librorum copiam, quos longum eſſet recenſere, Quintilianum reperimus, adhuc ſalvum & incolumem, plenum tamen ſitu, & pulvere refertum. Erant enim in bibliotheca libri illi, non ut eorum dignitas poſtulabat, ſed in teterrimo quodam & obſcuro carcere, fundo ſcilicet unius turris, quo ne vita quidem damnati detruderentur.... Reperimus præterea libros tres primos & dimidiatum quarti C. Valerii Flacci Argonauticωn; & expoſitiones, tamquam thema quoddam, ſuper octo Ciceronis orationibus Q. Aſconii Pediani eloquentiſſimi viri, de quibus ipſe meminit Quintilianus. Hæc mea manu tranſcripſi, & quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum & Nicolaum Florentinum: qui cum à me hujus theſauri adinventionem cognoviſſent, multis à me verbis Quintilianum per ſuas litteras quam primum ad eos mitti contenderunt.* Hæc Poggius.

An. 1686. Maio.

Non prætermittendum eſt vetus inſtrumentum, quod V. C. Johannes Puſterla, bibliothecæ Ambroſianæ præfectus, nobiſcum communicavit, primarium ſcilicet cœnobii Caïradæ, vulgo *Cairati*, ſanctimonialium ex noſtro Ordine, juxta flumen Olona, diœceſis Ticinenſis. Hoc inſtrumentum condidit *Manigunda, Dei ancilla & veſte monialium induta, vivens lege Langobardorum, regnantibus Liutprando & Heldeprando, anno eorum* XXIII, *menſe Julii, Indict.* V. Hæc pia femina univerſas res ſuas prædicto monaſterio tribuit, ut ſint in *poteſtate & conſecratione Annextaſii epiſcopi Ticinenſis*, ejuſque ſucceſſorum,

AN. 1686. MAIO. ea tamen conditione, *ut omni anno per ferias de Domini Nativitate debeat dare* abbatiſſa loci *candelas duas, valentes denarios quatuor, cannadas duas de vino, oblatas duas de ....* (forte *de pane*) *ad ipſum epiſcopum ſanctæ Ticinenſis eccleſiæ.* Quod ſi aliquid amplius in poſterum exigeret epiſcopus, tunc monaſterium in poteſtatem veniret Mediolanenſis eccleſiæ. Si vero etiam hujus eccleſiæ antiſtes hoc annuo cenſu non eſſet contentus, quemcumque vellet abbatiſſa epiſcopum eligeret. quod ſane ſingulare eſt.

JUNIO. I. Ambroſianæ baſilicæ archivum, quod in aditu videre nobis non fuerat conceſſum, in reditu raptim luſtravimus, litteris muniti reverendiſſimi abbatis ſanctæ Crucis. Nulli ſuperſunt in eo veteres codices, neque in toto (ut nobis aſſertum eſt) monaſterio: ſed multa copia priſcorum inſtrumentorum, quorum antiquiſſima in terram rejecta, cum tineis & blattis extremum conflictum agunt. Ad omnia examinanda nobis opus fuiſſet longiori tempore, quam vel boni illi Patres nobis concedere voluiſſent, vel nos ipſi impendere huic rei potuiſſemus.

II. Dominica Pentecoſtes, Miſſæ ſollemni in Domo (ſic metropolitanam vocant) interfuimus, in qua Cardinalis epiſcopus, qui ſacra celebrabat, poſt Evangelium concionem habuit. Præclarum ſancti Laurentii templum, ad Romani Panthei ſimilitudinem, ex delubro Herculis in ſacros uſus converſum eſt. Barnabitæ, in eccleſia ſancti Barnabæ primum exorti, inde inſtituti ſui vocabulum traxerunt. Nec ab re erit, priuſquam Mediolano diſcedamus, obſervare, omnes omnium Mediolanenſium Ducum imagines in æs inciſas, cum eorumdem pecuniariis nummis haberi penes unum ex amicis noſtris, venerabilem virum Nicolaum *de la Haye*, eccleſiæ Noviomenſis decanum. quæ collectio ante annos triginta ab uno e ſuis facta eſt.

III. Dum Michaël ſocius noſter Aronam peteret ad impetrandum codicem Aronenſem, ego * Modoëtiam, quod oppidum paſſuum millibus decem Mediolano abeſt, ſum profectus, ut locum illum, ubi corona ferrea novo Imperatori quondam a Mediolanenſi antiſtite pro regno Langobardorum conferebatur; & celebrem ſancti Johannis Baptiſtæ baſilicam, olim noſtri Ordinis monaſterium, ubi hæc coronatio fieri ſolebat, perluſtrarem. Hæc baſilica originem ſuam acceptam refert Theodelindæ reginæ, quæ ibidem ſepulta eſt. Fabrica eccleſiæ

* *Monza.*


in teſtudinem primitus deſinebat, ſub qua altare & chori ſedilia: duo tantum arcus & duæ crucis alæ pro navi erant. Nunc apſide & navi de more aucta eſt eccleſia. Theſaurus ſacrarii locupletiſſimus: in quo Theodelindæ reginæ cimelia pleraque aſſervantur. Præter ferream coronam, ibi coronæ duæ ex auro diadematis inſtar, altera Agilulfi regis, altera Theodelindæ reginæ ejus conjugis; quæ duplo minor. Ad hæc ibidem crux ex cryſtallo, a Gregorio M. ad Theodelindam pro Agilulfo ejus conjuge miſſa; Theodelindæ privata ſupellex, pecten ex ebore, ventilabrum, cultellus, calix. Coronam ferream, quæ interius unum ex clavis Chriſti Domini habere dicitur, exterius aurea, nunc ſolo die Aſſcenſionis oſtendunt. Ita ex rariori ejuſmodi rerum ſpectaculo eiſdem pretium ſtudent conciliare. Nec illud ſane improbandum iis in rebus, quæ uſu & contactu facile conſumuntur, immo etiam in ſacris. Sic Romæ in baſilica ſanctæ Crucis in Jeruſalem, ubi plurimæ ac pretioſiſſimæ, ſi uſpiam alibi gentium, reliquiæ aſſervantur, ut ſanctæ Crucis titulus, unuſque e nummis, quibus Chriſtum Dominum venditum legimus, nonniſi ſemel aut iterum ſingulo quoque anno, & quidem non e propinquo exhibentur. Quamquam nummum illum non in Judæa, ſed in Rhodo inſula cuſum fuiſſe litteræ græcæ arguunt, ut Antonius Auguſtinus initio Dialogi ſecundi de Numiſmatibus obſervavit. Verum his omiſſis, exſtat in eodem Modoëtiæ ſacrario codex ex membranis purpureis, Gregorii Antiphonarium continens, ſed mutilum; quadratis litteris aureis exaratus, cum operculis ex ebore, quæ ex una parte præferunt effigiem Davidis regis, ex alia ſancti Gregorii cum hoc diſticho. AN. 1686. JUNIO.

Gregorius præſul, meritis & nomine dignus,
Quo genus hunc duxit, ſummum conſcendit honorem.

Eſt & duplex alterius codicis majoris operculum ex auro, cum cruce ex utraque parte, addita hinc & inde hac inſcriptione: EX DONIS DEI DEDIT THEODELENDA REG. IN BASELECA, QUAM FUNDAVIT IN MODOËCIA JUXTA PALATIUM SUUM. Inſigne eo loci exſtat collegium Canonicorum, quibus præeſt modo V. C. Petrus Paulus Boſcha, nuper Ambroſianæ bibliothecæ præfectus. Pæne exciderat e memoria quoddam corporale, quod a Gregorio itidem ad Theodelindam miſſum ferunt: cujus figuras & characteres, quorum ſpecimen ab humaniſſimo Joſepho Thoma-

An. 1686, Junio. ſio Romæ acceperamus, hic exhibere juvat ad recreandam exercendamque curioſorum induſtriam.

O ✠ NAIOTORIXMWЄ-
YM.INTЄIЄINЄAIA-
ΛIO



IXIЄNVYXINHIANAICI
WNKHMONHGHO.

Non ita procul a Modoëtia ſtat Comum civitas, quæ non modo C. Plinii Cæcilii Secundi & Joviorum, ſed etiam ſanctiſſimi Pontificis Innocentii XI ortu illuſtrata, a Mediolano XXV paſſuum millibus abeſt. Varias Comenſis agri atque urbis inſcriptiones in unum corpus collegit anno MDXXVI Benedictus Zobius, & ipſe Comenſis, cujus collectionem Romæ in bibliotheca Chriſtinæ reginæ vidimus cum ejuſdem Zobii obſervationibus. At pleræque illæ inſcriptiones jam in lucem prodierunt. An. 1686. Junio.

TICINUM, ET BOBIUM.

IV. Mediolano * Ticinum profecturis piaculum fuerit non contemplari Cartuſiam Ticino proximam, ſuperbum opus Johannis Galeatii, qui ibidem egregium mauſoleum cum uxore habet. Eccleſia, tametſi Lombardici operis, materia, arte, ſtatuis intus & extus, etiam Virgilii aliorumque ſimilium in frontiſpicio eccleſiæ, picturis, & ornamentis, ſacraque ſupellectile & ſacrario, adventantium exſpectationem ſuperat. Cellæ omnes plumbo tectæ, & magnopere ornatæ. Danda hæc magnificentia conditori, qui non tam religioſæ modeſtiæ hoc in opere, quam ſuæ dignitatis, aut potius divinæ, cui hoc opus conſtruebat, majeſtatis rationem videtur habuiſſe.

* *Pavie.*

Ticinum, civitas antiqua & ſatis ampla ad fluvium cognominem, non adeo elegantes ædes habet. Eccleſia epiſcopalis ſub titulo Deiparæ & ſancti Petri, itidem non valde magnifica. Ante palatium Antonini Pii ſtatua ex ære. Proxime adeſt Collegium, quod a Carolo M. primitus conditum tradunt. In uno e ſuburbiis exſtat ſancti Salvatoris monaſterium e noſtris, ubi hoſpitati ſumus, a reverendiſſimo Clemente abbate invitati.

V. Bobienſe monaſterium, antiquis Ebobienſe, ſancti Columbani ſeceſſu ac tumulo illuſtre, adituri, tranſmiſſo Pado, (ad cujus utramque ripam Hiſpanorum præſidia tunc erant cum ponte ex naviculis confecto, ob metum noſtrorum) primo Bronium, ubi ſancti Gothardi corpus in præclaro ſacello colitur; deinde continuo montium aſſcenſu & deſcenſu Bobium poſtero die pervenimus: quod in profundiſſima valle, pro loco ſatis amœna, frumento & vino ferendis idonea, ad amnem Trebiam ſitum eſt. Illic Henricus I. imperator epiſcopatum inſtituit anno MXIV. In monaſterio nihil fere niſi magni umbra

An. 1686. Junii 10. nominis: monachi ad paucos redacti. Baſilica monaſterii, id eſt ſancti Petri ſeu ſancti Columbani, pro ſitu non inelegans, cathedrali beatæ Mariæ præſtat. In illa nihil fere supereſt ex prima cœnobii antiquitate, præter cryptas ſubterraneas, ubi altaria quatuor, olim quinque. In præcipuo corpus ſancti Columbani aſſervatur intra lapideam arcam, quæ anno M CCCC LXXX rudi opere facta eſt. Scilicet hoc ſuperbum illud eſt mauſoleum magni quondam abbatis Columbani: ſed quibuſvis loculis aureis præferendum. Lapidi inſculptus cernitur Columbanus genibus flexis coram Pontifice quodam, a quo hydriam reliquiis plenam (quæ hydria ex alabaſtro hodie quoque in ſacrario ſervatur) accipit ſupplex. Gregorium M. eſſe exiſtimant. Quamquam Gregorius tum, cum Bobium ex Gallia ſeceſſit Columbanus, amplius in vivis non erat. Exſtat tamen Columbani ad eum epiſtola de celebratione Paſchatis, quod abbas ſanctus cum ſuis ritu Britonum, id eſt Orientalium more, celebrabat. Scriptor libelli de vita Salabergæ abbatiſſæ teſtatur, Gregorium reſcripſiſſe ad Columbanum: ſed hæc epiſtola excidit. Quinque tantum ſuperſunt Columbani epiſtolæ, a Patricio Flemingo e tenebris erutæ: quarum prima & quarta eſt ad Bonifacium papam IV. ſecunda ad Gallicanos epiſcopos in unum ſui cauſa congregatos anno duodecimo, quam in Vogenſibus ſilvis degebat Columbanus, id eſt anno Chriſti DCII. cujus Concilii nulla alia reſtat memoria. Tertia eſt ad ſuos Luxovienſes, quos invitus deſeruerat: quinta denique ad Gregorium M. Omnes ſingulari zelo præditæ & Chriſtiana libertate. Quale enim eſt illud, quod in epiſtola quarta ad Bonifacium IV. quam inſtigante Agilulfo Langobardorum rege contra ſuſceptionem trium Capitulorum ſcripſit, ita Pontificem interpellat? *Quid tacebit peregrinus Chriſtianus, quod jam diu declamat vicinus Arrianus? ... Ut ergo honore apoſtolico non careas, conſerva Fidem apoſtolicam, confirma teſtimonio, robora ſcripto, muni ſynodo, ut nullus tibi reſiſtat. Noli deſpicere conſiliolum alienigenæ... Mundus jam declinat; Princeps paſtorum appropinquat: cave ne te negligentem inveniat... Vigila itaque quæſo, Papa vigila, & iterum dico vigila: quia forte non bene vigilavit Vigilius, quem caput ſcandali iſti clamant, qui vobis culpam injiciunt. Vigila primum pro Fide: deinde pro operibus Fidei jubendis, vitiiſque calcandis... Te totum exſpectat, qui poteſtatem habes omnia ordinandi, bellum inſtituendi, duces excitandi, arma corripi jubendi, aciem inſtruendi, tubas undique*

dique ſonandi, certamen demum, te in fronte gradiente, ineundi... Vos prope cæleſtis eſtis, & Roma orbis terrarum caput eſt eccleſiarum, ſalva loci Dominicæ reſurrectionis ſingulari prærogativa. Et ideo ſicut magnus honor veſter eſt pro dignitate Cathedræ, ita magna cura vobis neceſſaria eſt, ut non perdatis veſtram dignitatem propter aliquam perverſitatem. Tamdiu enim poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit...... Nemo qui neſciat, qualiter Salvator noſter ſancto Petro regni cælorum contulit claves. Et vos per hoc forte ſuperciliosſum neſcio quid præ ceteris vobis majoris auctoritatis, ac in divinis rebus poteſtatis vindicatis. Noveritis minorem fore poteſtatem veſtram apud Dominum, ſi vel cogitatis hoc in cordibus veſtris. quia unitas Fidei in toto orbe unitatem fecit poteſtatis & prærogativæ: ita ut libertas veritati ubique ab omnibus detur, & aditus errori ab omnibus ſimiliter abnegetur. Nihil ſolidius, nihil generoſius. Miramur vero, miratus eſt & ante nos non ſine ſtupore Columbanus ipſe, quod ſe ad ſcribendum de catholica Fide compulerit Agilulfus rex Arrianus. *Quippe quia non ſine miraculo*, inquit, *reor eſſe quod video. Reges namque Arrianam hanc labem in hac diu regione, calcando Fidem catholicam, firmarunt: nunc noſtram rogant roborari Fidem.* Necdum vero Agilulfum Arrianiſmum ejuraverat, ut patet ex his ejuſdem epiſtolæ verbis. *Dolor namque ſuus*, nempe Agilulfi, *eſt ſchiſma populi, pro Regina, pro filio, forte & pro ſeipſo. Fertur enim dixiſſe, ſi certum ſciret, & ipſe crederet.* Ejus rei cauſa Columbanus librum contra Arrianos compoſuit, teſte Jona. Sed longius prolapſi ſumus occaſione Columbani epiſtolarum, propterea quod non ſatis notæ ſunt, modo recuſæ apud Aniſſonianos in nova Bibliotheca Patrum.

An. 1686. Junio.

In eadem crypta Bobienſi ad ſiniſtram præcipui altaris partem jacet in arca item lapidea corpus ſancti Cummiani cum veteri epitaphio, apud Ughellum relato, in quo tumbam juſſu Liutprandi regis fabricatam fuiſſe legitur. Duæ hinc inde aræ continent reliquias ſanctorum Attalæ & Bertulfi abbatum: quinta Virginis Deiparæ nomine inſignis. In ſacrario caput ſancti Columbani in peculiari ſcrinio ſervatur, ejuſdem cultellus & calix ſeu cyathus, hydria ex alabaſtro, illa ſcilicet, quam Gregorius M. reliquiis plenam ſancto abbati dono dediſſe perhibetur. Ibidem habetur vetus columba ex aurichalco ad reponendum olim Viaticum; & arietis figura concava, in qua oleum ſacrum quondam aſſervatum exiſtimamus. In poſtica parte crucis no-

An. 1686. Junio. væ ex argento quidam pretioſi lapilli affixi ſunt, nempe in ſummo acathes, cui Iſis & Serapis inſculpti, cum litteris ægyptiacis in circuitu. In dextero crucis ramo ſacerdos Iſidis cum ſiſtro in læva, dextera in morem benedicentis compoſita, capitis corona in modum crucis deſinente: in ſiniſtro item achates abſque cælatura. In infima crucis parte alius achates cum Imperatoris effigie.

Bobienſem bibliothecam plurimis olim optimiſque refertam fuiſſe codicibus facile colligitur, tum ex loci celebritate, tum ex vetuſtis libris, qui inde in bibliothecam Ambroſianam tranſlati fuerunt; tum ex reliquiis antiquorum codicum, qui ad centum in eodem monaſterio ſuperſunt. Et quidem anno M CCCC XCIII in Bobienſi bibliotheca reperti ſunt Rutilius Numatianus poëta, Satyra Sulpiciæ, Terentianus Maurus, Cæſius Baſſus, Velius Longus, Adamantius Martyrius, Probi Catholica, Cornelius Fronto, Sergius grammaticus, & alii non pauci, ut ait Volaterranus lib. IV Geographiæ, & Pignorius ex eo in epiſtola XVI. Ex relictis ejuſdem bibliothecæ quaſi laciniis, quædam obſervamus in præſens, plura dicturi ſuo loco. In primis libellus antiquiſſimus, Franco-gallicis litteris ſcriptus, exhibet *abbreviationem Fidei catholicæ expoſitam a ſancto Hieronymo, ut quidam in hæreſim lapſi corrigerentur*: quæ expoſitio conſtat articulis ſeu anathematiſmis XII. ſub Rufini nomine edita apud Garnerium inter opera Marii Mercatoris in Diſſertatione X. Deinde varia exſtant in illa bibliotheca Bobienſi *Cypriani opuſcula* in diverſis veterrimorum codicum, qui toti litteris quadratis ſcripti erant, fragmentis, nempe *de ſacramento calicis*, *de opere & eleemoſyna*; variæque epiſtolæ. Ad hæc *Stephani Tungrenſis epiſcopi liber de divinis officiis*: quo de libro alias agemus, referendo auctoris præfationem ad Ruotbertum *Mediomatricis*, id eſt Mettenſis urbis antiſtitem. Non deſunt forte qui hæreant, ut mihi ſæpe contigit, in explicandis litteris duplicis ordinis, quæ in vetuſtis Kalendariis ad marginem apponi ſolent. Verum hanc dubitationem quodam modo ſolvit ejuſdem loci Miſſale antiquiſſimum, in cujus initio hæc leguntur. *Sanctus Hieronymus in Martyrologio ſolaris anni, primo duo alphabeta ponere deſtinavit: deinde nomina dierum per duodecim menſes anni; poſtea geſta dierum. Sed quærendum eſt, quid ſignificent duo alphabeta hæc. Primum alphabetum ad Lunam pertinet, id eſt diem incenſionis cujuſque lunæ per totum*

annum: ſecundum alphabetum Solem deſignat, & littera ſuperpoſita oſtendit diem menſis, in quo luna illa renovatur per totum annum. Duas litteras obſervabis ſemper ad incenſionem Lunæ, ſi annus communis fiat: ſi vero emboliſmus, tres; ſi ſaltus, quatuor. In Kalendario ejuſdem Miſſalis notantur feſta monaſterii peculiaria, de quibus alias, uti & de Regula ſancti Columbani. Ex eadem bibliotheca mutuati ſumus codicem Liturgiæ Gallicanæ optimæ notæ, litteris majuſculis exaratum; & libros de Imitatione, qui nullum auctoris nomen habent, præter quartum, in cujus initio legitur: *Incipit liber Johannis Gerſem, cum quanta reverentia &c.*

Reſtat ut paucis agamus de archivo, in quo nulla autographa invenimus ſcripta ante ſæculum nonum. Antiquius eſt Lotharii Imperatoris, qui rogatu Amalrici *Cumenſis*, id eſt Comenſis, *urbis vocati epiſcopi & Bobienſis abbatis*, confirmat monaſterii privilegia. *Data* XI. *Kal. Sept. anno imperii ejus in Italia* XXIV. *& in Francia* IV. *Indict.* VI. *Actum Gundulfi-villa.* Eicardus notarius ad vicem Agilmari recognovit. Idem præſtant Ludovicus II. interpellante eodem Amalrico; VVido ad preces conjugis ſuæ Ageltrudræ & Agilulfi Ebobienſis abbatis anno DCCCXCV. Lantbertus anno ſequenti ſub eodem abbate; Berengarius petente abbate Theodelaſio, *Data* XIV. *Kal. Novemb. anno Inc.* DCCCCIII, *regni ſui* XVI. *Actum Papia civitate, palatio Ticinenſi.* ubi Papia diſtingui videtur a Ticino, quaſi Papia totam urbem, Ticinum regionem Papiæ, ubi palatium ſitum erat, ſignificet. Denique Otto tertius itidem privilegium concedit, ut poſtulavit *vir venerabilis Gerbertus, nunc Ravennas archiepiſcopus, & jam olim ex largitate reverendæ memoriæ genitoris*, inquit, *noſtri Ottonis abbas monaſterii Bobienſis, quod eſt conſtructum in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli atque Andreæ. Actum Papiæ anno ab Inc.* DCCCCXCVIII. *Indict.* XII. *imperii* III. *Data Kal. Octob.* Hæc ſunt antiqua (nam recentiora mittimus) diplomata, quæ in illo quondam percelebri monaſterio reliqua invenimus, ante annum milleſimum ſcripta.

VIII. Ticinum reverſi ad monaſterium ſancti Salvatoris, die ſequenti Dominica monaſterium ſancti Spiritus Ordinis noſtri virorum, nunc extra urbem, olim in civitate ſub nomine ſancti Galli, viſitavimus: ſed nihil ibi obſervatione dignum. Deinde duos ſanctimonialium in urbe parthenones adivimus, quorum vetera inſtrumenta nobiſcum communica-

AN. 1686. JUNIO. ta ſunt rogatu reverendiſſimi abbatis ſancti Salvatoris, ejuſque monachorum. Primum eorum eſt cœnobium *Senatoris*, quod ſub titulo ſanctæ Mariæ & ſancti Aureliani condidit ſæculo VII quidam vir præpotens, nomine Senator, a quo nomen loco pro more gentis inditum eſt, *filius honorandi Albini & Theodelindæ, regnante Liutprando, anno tertio regni ejus*, V *Kal. Decemb. Indict.* XIII. Alterum eſt monaſterium *Theodotæ*, alias *Theodeſchæ*, vulgo de * Poſterula, cui Berengarius rex privilegium concedit, idque impetrat *quædam Dei ancilla, Richſinda nomine, monaſterii ſanctæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ abbatiſſa, quod eſt ſitum infra urbem Ticinenſem, & nominatur Theodotæ*: conceditque ut eadem abbatiſſa, *degens ſub Regula ſancti Benedicti*, ipſum monaſterium cum omnibus ejus rebus, uſque ad finem vitæ ſuæ poſſideat: tum confirmat res omnes, *quaſcumque idem monaſterium longo tempore dinoſcitur poſſediſſe* a GREGORIO ejuſdem monaſterii fundatore; atque id omne quod Cunipertus rex eidem monaſterio conceſſit. *Datum* V. *Kal. Aprilis anno* DCCC XCVIII. Haud ſcio an idem ſit *cœnobium Salvatoris conſtructum in honore beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ*, ut loquitur in diplomate ſuo apud Poſterulam aſſervato Berengarius junior anno DCCCC LI. quo anno privilegium Ermengardæ, prædicti Salvatoris monaſterii abbatiſſæ impertit. Ex archivo Placentinæ ſancti Sixti abbatiæ actum eſt ſuperius de eodem Salvatoris monaſterio, quod a ſuburbano ejuſdem nominis virorum monaſterio diſtinguendum.

* *Puſterla.*

His archivis luſtratis, viſum eſt adire antiquam noſtri quondam Ordinis, nunc Canonicorum regularium & Eremitarum Auguſtinianorum communem baſilicam ſancti Petri in Cælo-aureo, ubi ſanctus Auguſtinus, maximus Eccleſiæ Doctor, præcipua religione colitur ob reliquias ſuas, quæ in illum locum octavo ſæculo tranſlatæ ſunt. Jacet in illa vetere eccleſia Severinus Boëtius ad gradus Sanctuarii ex parte auſtrali, arca lapidea ſuper quatuor columnas erecta, cum hoc epitaphio, quod *Balthaſar Tachonus compoſuit* loco veteris ſcripti verſibus Leoninis.

Mæonia & latia lingua clariſſimus, & qui
Conſul eram, hic perii, miſſus in exilium.
Ecquid mors rapuit? probitas me vexit ad auras:
Et nunc fama viget maxima, vivit opus.

Alia ejuſdem Boëtii epitaphia leguntur apud Baronium. Prope hunc locum *requieſcunt oſſa regis Liutprandi*, (verba ſunt ejus epitaphii) qui Liutprandus auctor fuit transferendi ex Sardinia Ticinum corporis ſancti Auguſtini, quod modo ibidem incerto in loco latet. Attamen in crypta ſub altari, ubi corpora ſanctorum reponi olim ſolebant, mauſoleum exſtat ex lapidibus coctis, & lampas ardens ante mauſoleum, quod indicio eſt, ibi ſupereſſe, aut aliquando fuiſſe corpus ſancti Doctoris. Elegans ejus cenotaphium cernitur ex parte Eremitarum Auguſtinianorum, qui latus auſtrale occupant eccleſiæ, Canonici regulares aquilonare, aut certe latus Evangelii. An. 1686. Junio.


De Boëtio ejuſque libris de Conſolatione Philoſophiæ in veterrimo codice Laurentianæ apud Florentiam bibliothecæ hæc præmittuntur litteris Saxonicis. QUINTUS FABIUS CONSUL FECIT HUNC PROLOGUM: VEL BOETIUS IPSE, VEL QUIDAM SCOTTIGENA, ID EST DISCIPULUS BOETII. *Tempore Teotrici regis, inſignis auctor Boëtius claruit, qui virtute ſua Conſul in Urbe fuit. Cum vero Teotricus rex voluit tyrannidem exercere in urbe, ac bonos quoſque in Senatu neci dare; Boëtius ejus dolos effugere geſtiens, quippe qui bonis omnibus necem parabat; videlicet clam litteris ad Græcos miſſis, nitebatur Urbem & Senatum ex ejus impiis manibus eruere, & eorum ſubdere defenſioni. Sed poſtquam à Rege reus majeſtatis convictus eſt, juſſus eſt retrudi in carcerem; in quo repoſitus hos libros per ſatyram edidit, imitatus videlicet Martianum Felicem Capellam, qui primus libros de nuptiis Philologiæ & Mercurii eadem ſpecie poëmatis conſcripſerat. Sed iſte longe nobiliore materia & facundia præcellit. quippe qui nec Tullio impar ſit, nec Virgilio in metro inferior floruit.* Hæc ibi.


Poſt eccleſiam ſancti Petri in Cælo-aureo vidimus chronicon loci, a quodam Canonico regulari compoſitum, in quo varia ejuſdem eccleſiæ privilegia ex integro referuntur. Primum eſt Liutprandi regis, abbati & monachis conceſſum, quibus varias poſſeſſiones confirmat donatque. *Hæc omnia*, inquit, *quæ ſupra diximus, adjudicamus venerabili monaſterio ſancti Petri in Cælo-aureo, in quo ſanctum ac venerabilem Auguſtinum adduximus. Datum* IV. *Non. Aprilis, regni Liutprandi primo, Indict.* X. quæ notæ reſpondent anno Inc. DCC XII. quo proinde anno, qui Liutprandi primus erat, tranſlatio ſancti Auguſtini facta eſt, non anno DCC XXII. ut ego cum aliis aliquando

An. 1686. Junio. opinatus ſum. Idem Liutprandus anno regni ſui tertio donationem deceſſoris ſui Ariperti regis confirmat *baſilicæ beatiſſimi Apoſtolorum principis Petri, ſitæ foris muros civitatis Ticinenſis, & venerabili viro Lucedo Presbytero.* Is abbas erat, ſed ob reverentiam Ordinis ſacerdotalis tantum *Presbyter* more veteri appellatus. Quæ fuerit cauſa, aut potius quis color monachis ſubſtituendi Canonicos regulares, diſcimus ex diplomate Honorii Papæ tertii, dato Laterani Idibus Junii, pontificatus ejus anno v. qui fuit æræ Chriſtianæ M CC XX. nempe quia monaſterium *in ſpiritualibus & temporalibus erat collapſum, utpote pro magna parte jam dirutum, atque debito ſeptem millium librarum monetæ Papienſis oppreſſum.* Denique quod Abbas ejuſdem loci ea occaſione, quod ad nimiam deſolationem memoratum monaſterium perveniſſet, *noviter eſſet occiſus.*


Poſt hæc omnia eodem die obiter vidimus collegia apud Ticinum duo, nempe Borromæum, a ſancto Carolo inſtitutum pro convictoribus quatuor & viginti: alterum Papale Pii v. de *Boſchen* pro quadraginta. Inſignes ædes & picturæ in Borromæo, cujus quoddam quaſi compendium videtur eſſe Pii v. collegium. Collegia in ea urbe omnino tredecim.

Sed revertendum eſt ad noſtrum ſancti Salvatoris monaſterium, quod ab Adelaïde auguſta in ſuburbio Ticinenſi conditum fuit. Legimus in archivo primarias hujuſce rei ſub prævio Ottonis nomine Adelaidis litteras pro ipſo monaſterio Salvatoris, *ubi ſanctum corpus beati Felicis martyris requieſcit, & ubi domnus Hildebaldus abba à dicta domna Adaleyda imperatrice præordinatus eſſe videtur.* quæ litteræ ſcriptæ ſunt *anno imperii Ottonis* Magni *tertio, decimo die menſis Aprilis, Indict.* XII. Servantur in eodem archivo libelli dotis, tum ipſius Adelaidis, a Lothario primo ejus marito conceſſæ anno DCCCC XXXVIII. tum eodem anno, eiſdemque verbis Bertæ reginæ, quam Hugo Italiæ rex in conjugem duxit. Sed his tandem minutiis, tametſi nonnullius forte momenti, finis imponendus eſt, unicum memorando authenticum Henrici primi Imperatoris diploma, eidem monaſterio conceſſum Papiæ, *anno dominicæ Inc.* M XIIII, *Indict.* XII. *anno domni Heinrici Imperatoris Aug. regnantis* XII., *imperii vero ejus primo.* Appenſum eſt ſigillum plumbeum, in cujus antica parte exſtat Henrici effigies coronata, dextra ſceptrum tenentis, ſiniſtra globum cum hac inſcriptione: HEINRICUS D. G. ROMANORUM IMP.






P. AELIO SABINO Q.VIXIT ANNOS XXIIII DIES XLV
ANTONIA THISIPHO MATER FILIO PIENTISSIMO
ΟΥΔΕΙϹ
ΑΘΑΝΑΤΟϹ
ΘΑΡϹΕΙ



AUG. in poſtica vero exhibetur urbs Roma & effigies ſancti Petri cum duobus baculis, in quorum uno habetur. S. P. Q. R. AN. 1686. JUNIO.

DERTONA, GENUA, TAURINUM, &c.

X. A Ticino non integro duorum dierum intervallo Genua civitas diſtat. * Vicoïria, Dertona, Nova-urbs, Gavii, * Vultabium, Liguriæ urbes, eo ducunt mediis Alpibus. Ad earum deflexum ſita eſt * Dertona, civitas epiſcopalis antiqua, quæ nonnullas reliquias antiquitatis retinet, in primis rudera veteris aquæductus. Ibidem epiſcopus fuit ante paucos annos Carolus Septala, muſeo ſuo Mediolanenſi, de quo nos ſuo loco, non ignotus. Is ad illuſtriſſimum Commendatorem a Puteo duos ex Dertona tumulorum typos ſubmiſit, quorum unus eſt P. AELII Sabini, nobilis adoleſcentis: alter Catervii illuſtris hominis Chriſtiani. Utriuſque exemplum ab illuſtriſſimo Commendatore accepimus: qui tumuli, quoniam ex urbe Dertona tranſmiſſi Romam fuerant, ad Dertonam utique pertinere arbitrabamur. Sed poſtea res aliter viſa eſt. Nam Catervii tumulus ad Tolentum civitatem ſpectare ex Ughello intelleximus. De altero, qui eſt P. AELII Sabini, hæret aqua. Typum ejus in adverſo folio habes. In eo effictus eſt ex una parte caſus Phaëtontis cum duabus hinc inde figuris juvenum duorum, qui equos ſingulos regunt, ſingulas in dextra ſagittas gerentes, hac inſcriptione utrimque adhibita, οὐδεὶς ἀθάνατος θάρσει, εὐγενεῖ, forte pro εὐγενείᾳ. qua ſignificatur, immortalem eſſe neminem audacia ſeu nobilitate. Audacia Phaëtonti, nobilitas duobus illis juvenibus apprime convenit. In averſa parte duo ſunt paſtores, calamum & fiſtulam multifidam inflantes: & ſupra illos canis ſub arbore; & prope aquilam ſeu aliam quamlibet avem homo nudus craterem effundens ad fluvium deſignandum, forſan Eridanum ſeu Padum, in quem Phaëtonta cecidiſſe fabulantur.

* Voghera
* Voltaggio
* Tortone

Verum nobis antiquius eſſe debet Catervii, hominis Chriſtiani, monumentum, quod Severina ejus conjux ipſi erexit, prout in appoſito ſpecimine oculis ſubjicitur. Ex una parte, quæ ambos conjuges repræſentat, hi verſus inſculpti ſunt, non admodum exacti ad grammaticorum leges.

Quos paribus meritis junxit matrimonio dulci
Omnipotens Dominus, tumulus cuſtodit in ævum.
*Catervi Severina tibi * congiunta lætatur,* * Sic
*Quos Dei ſacerdos Probianus lavit & * unſit.*

An. 1686. Junio. In poſtica vero parte, præmiſſa inſcriptione de Catervio, qui centenario major obiit, alii verſus adſcripti ſunt de Baſſo, minorenni ejus (ut videtur) filio, qui duodevigeſimo vitæ ſuæ anno e vivis exceſſit.

ELIO UL. CATERVIUS. V. C. *ex Præf. qui vixit cũ* SEPTIMIA SEVERINA C. F. *dulciſſima conjuge annis* XVI. *minus dieb. tredecim. Quievit in pace annor.* LVI. *dier.* XVIII. XVI *Kal. Novembris. Depoſitus eſt* IIII. *Kal. Decem.* SEPTIMIA SEVERINA C. F. *marito dulciſſimo ac ſibi * ſacrophagum & pantheum cum tricoro diſpoſuit & perfecit.*

* ſic

Hic longo intervallo disjungitur dies obitus a die depoſitionis ſeu tumulationis. Pantheum cum tricoro baſilica erat tricamerata. Verſus de juniore Baſſo ſic habent.

Flende jaces in Baſſo iterum defuncte Catervi.
Occidit ore genus, nomine poſteritas.
Tu medius gemma, & germanis clauſa metallis,
Morte tua fractum eſt Baſſe monile....
Octavus-decimus vix te ſuſceperat annus:
Ocius eripitur quod placet eſſe Dei.
.... Pax ingeminat rurſus præconia Pauli.

In adverſa tumuli parte duorum conjugum hymenæus; in averſa ſancti apoſtoli Petrus & Paulus cum bono Paſtore exhibentur. Mediam inſcriptionem retulit Ferrarius in Catalogo ſanctorum Italiæ ad decimum menſis Decembris, ubi Catervium uti martyrem, & Septimiam ejus uxorem, ambos ut ſanctos laudat. Eamdem item adducit Ughellus in tomo ſecundo, agendo de Tolentinis epiſcopis. Catervio nuncupata eſt Tolenti baſilica nobilis, olim Benedictinorum, modo Canonicorum regularium, eumque pro martyre & apoſtolo ſuo Tolentini habent. Martyri tamen prædictam inſcriptionem haud convenire non diffitetur Ferrarius, apud quem mendoſe refertur. Rectius apud Ughellum, cujus editio in paucis a noſtra diſcrepat. Poſt *ex Præf.* Ughellus addit *prætorio:* quod poſtremum vocabulum omittit Puteanus typus, in quo *ann.* C VI Catervius vixiſſe dicitur. Præferenda videtur Ughelli lectio, apud Ferrarium item diverſa, ubi legitur XLVI. Ceterum Catervii acta expurgatione indigere Ferrarius ſincere confitetur, nec Ughellus ea pro

indubitatis

indubitatis habet: Baronius ante eos erroribus ſcatere affirmat. Si hæc nobis cognita fuiſſent adeundo Tolentum, ibi tantiſper ſubſtitiſſemus ad rei veritatem indagandam. Sed tamen hic in tranſcurſu non viſum eſt omittendum Catervii monumentum, ex quo Baſſum, Catervii, non diſcipulum, ſed filium fuiſſe non obſcure colligitur. Fruſtra porro Ughellus ad alium Catervium martyrem recurrit, quando eidem Catervio & inſcriptio præmiſſa, & acta Catervii, qualiacumque circumferuntur, omnino conveniunt. Qui martyrem dixere Catervium, non ſatis attente expenderunt hanc inſcriptionem, ex qua ſine dubio Catervii acta emendanda ſunt. In ejuſmodi rebus vitandum eſt judicium præceps: ſed laudanda Baronii religio, qui ob hoc Catervium Martyrologio Romano adſcribere noluit. Utinam hanc religionem imitarentur, qui Sanctorum recens abſque certis nominibus inventorum fictas hiſtorias comminiſcuntur, atque in lucem obtrudunt ad confuſionem (ne quid amplius dicam) verarum hiſtoriarum: immo & qui paganorum inſcriptiones aliquando pro Chriſtianis vulgant. Piget referre quod Toloſæ nuper accidit ſuper quodam epitaphio *Diis Manibus* nuncupato, Romæ in cœmeterio Calliſti nuperrime reperto cum ſancti martyris corpore, cujus martyrium vas vitreum ibidem appoſitum (quod infitiari nolim) atteſtabatur. Inſcriptio eo loci reperta ſic habet. D. M. *Julia Evodia filia fecit caſtæ matri & bene merenti, quæ vixit annis ſeptuaginta.* Juliam Evodiam proprium eſſe nomen martyris continuo vulgarunt. At quovis periculo aſſerere non dubitem, lapidem illum, cui epitaphium inſcriptum eſt, eſſe ex eorum numero, quos ex gentilium tumulis revulſos Chriſtiani ſuis ſepulcris adhibebant, converſa ad interiora ſepulcri profana inſcriptione, ut * ſuperius obſervavimus. Atque etiamſi hoc epitaphium Chriſtianæ mulieris eſſe concederemus, id non Juliæ Evodiæ, ſed ejus matri haud nominatæ tribui poteſt. Verum ut ad Catervium redeat oratio, eum eſſe putat Baronius Comitem ſacrarum largitionum, ad quem exſtat Gratiani reſcriptum in Codice Theodoſiano.

AN. 1686. JUNIO. *Baron. to. 4. Annal. ad an. 379.*

*pag. 136.

Baron. ubi ſupra.

Sed hæc viderint Tolentinates: nobis vero tandem adeunda * Genua eſt, cujus ſitum in formam cornu lunaris ſecundum mare circumflectitur. Montium declives & infimas partes civium ædes; ſummas mœnia & præſidia urbis occupant. Non poteſt jucundior in ſterili loco haberi adſpectus, ubi ars &

* *Genes*

An. 1686. Junio. magnificentia naturæ ſupplent vicem. Ibi nulla fere veterum librorum bibliotheca, niſi quod Philippus Saulus epiſcopus Brugnatenſis, vir doctus, qui Euthymii commentarios in Pſalmos latine vertit, libros ſuos xenodochio legavit. In eorum catalogo, quem Romæ legimus, nihil ſingulare nobis viſum eſt. Bernardus Biſſius, unus e noſtris Caſinatibus, qui Genuæ ad ſanctum Maïolum degunt, vir doctus, Dictionarium ſacrorum rituum tunc edebat binis voluminibus, quorum primum jam excuſum nobis oſtendit.

XIII. Die feſto ſanctiſſimi Sacramenti ſollemnem Euchariſtiæ geſtationem, cui Senatus cum Principe ſollemni aderat pompa, ſpectavimus. Proceſſio fiebat e Domo, id eſt metropolitana ſancti Laurentii eccleſia. Præcedebant more ſolito religioſi qui ex eleemoſynis vivunt; deinde monachi, poſtea canonici & clerici urbis numero infinito: tum faces a ſingulis artificum ordinibus geſtatæ cum uniuſcujuſque artis inſigni nota: poſtea canonici Domus violacea toga induti, omnes cum caſulis aut dalmaticis pro ſuo quiſque Ordine. Hos ſequebatur Archiepiſcopus proxime ante ſanctiſſimum Sacramentum, quod a duodecim ſacerdotibus portabatur: extremus Princeps cum Senatoribus quatuor & viginti, ſubſequente infinita promiſcui vulgi multitudine. In eccleſia ſancti Laurentii præclarum eſt ſacellum ſancti Johannis Baptiſtæ cum ſtatuis & ciborio ex ære, ubi ſacri ejus cineres in loculo argenteo aſſervantur. Eccleſia Annuntiatæ, quæ Minorum eſt obſervantium, omnes elegantia ſuperat, Lomelinæ magnificentiæ inſigne monumentum. Columnæ, quæ fabricæ molem ſuſtinent, ex marmore exquiſito, uti & teſtudo major: duæ aliæ item teſtudines ex duplici parte principis altaris. Capella ſancti Antonii item ex marmore pretioſo. Omnia nitent auro & egregiis picturis. Collegium Patrum Soc. Jeſu magnifici palatii formam præfert: Balbi ejus conditores vicinum palatium habent. Aurienſe multiplex; unum ad urbis portam, qua ex ſuburbio Arenæ in urbem aditus patet, *divino munere, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, Imperatoris Caroli* v. *invictiſſimi, Franciſci primi Francorum regis, & patriæ* conſtructum fuiſſe, impoſita docet inſcriptio. Andreæ Auriæ conditoris ſtatua ibidem ex ære, cum epitaphio ejus canis, cui Carolus v. annuam penſionem aſſignaſſe dicitur. Alia palatiorum decora nec obſervare, nec deſcribere viſum eſt. Prætерimus & illos cineres ex igne Gallicano. Jacobus Bracelleus

Genuenſis, ſuo tempore clarus eloquentia, de præcipuis urbis ſuæ familiis libellum ſcripſit ad Henricum de Merla, Chriſtianiſſimi regis, id eſt Caroli VII apud Genuenſes tunc Legatum, ut ipſum de rebus ad ſuam legationem pertinentibus erudiret. Huic libello adjunxit deſcriptionem totius ditionis Genuenſis, quam rogante Blondo Flavio in ejus hiſtoriæ ſcribendæ ſubſidium antea compoſuerat. Hæc deſcriptio typis non ſemel vulgata eſt: ſed libellus alter, quia necdum prodiit in lucem, pro ſua brevitate non ingratus hoc in loco futurus videtur, ad ea ſupplenda, quæ huic narrationi deſunt. Sic autem habet codex Chriſtinæ reginæ, qui olim Guillelmi Marlii fuit.

AN. 1686. JUNIO.

Magnifico & ornatiſſimo viro domino magiſtro ENRICO DE MERLA, regio Legato apud Genuenſes, JACOBUS BRACELLEUS Genuenſis ſalutem. Optare videris, magnifice & ornatiſſime vir, ut quandoquidem ſæva hyeme, ſummo labore per gelu ac nives ad nos uſque penetraſti, adeo rerum noſtrarum edoctus a nobis abſcedas, ut nihil eorum ignores, quæ diligentiam Legati commendare poſſint: ut ſi quando contingat Regem omnium clariſſimum & chriſtianiſſimum aliquid ſciſcitari, poſſis non ſolum de iis quæ generalia, quæque in aperto ſunt; ſed & de iis inſuper, quæ paucioribus ſunt nota, rationem reddere. Ego, qui utinam deſiderio tuo morem tam gerere poſſim, quam tu dignus es, a civitate incipiendum putavi: arbitratus, ſi populum nobilioreſque familias ejus, & in quas tribus dividi ſoleat, enarravero; deinde oppida & terras, quas a Varo flumine uſque ad Macram Genuenſis ora complectitur, ordine deſcriptas dedero; id impleſſe quod a me fieri poſtulaſti.

Quatuor illuſtratur Genua familiis, de claritate & opibus diverſa ratione certantibus: quæ adeo in æquo habentur, ut quam cui præferas, ſi omnia circumſpicias, non facile judicium ſit. Duobus Romanis Pontificibus, Innocentio & Adriano, plurimiſque præterea Cardinalibus gloriatur FLISCA familia: e quibus Innocentium, acumen ingenii & ſumma juris peritia, an bellum contra Federicum Imperatorem tunc rebellem Eccleſiæ geſtum, clariorem reddiderit, prudentiorum judicio relinquo. Nec parum huic eidem familiæ claritatis afferunt oppida caſtellaque, quæ in diem uſque præſentem imperio ejus reguntur.

Quatuor fortiſſimos mari duces nobis oſtentat AURIA fa-

An. 1686. Junio. milia, Obertum, Lambam, Paganum, Lucianum: quorum primus & patriæ diu præfuit, & Piſanam claſſem in ipſis prope oculis civitatis magna felicitate delevit. Paganus Græcos, Venetos, Catalanos, in belli ſocietatem coëuntes, haud procul a Conſtantinopoli claſſe ſuperavit: nec multo poſt Venetos ipſos nondum pacatos in Yonio mari iterum fudit ac cepit. Lamba & Lucianus quoque diverſo tempore adverſus Venetos dimicantes, nobilem de hoſtibus victoriam adepti, multum gloriæ claritudini generis addiderunt. Nec Sardinia, a Branca Aurio primo & poſteritate ejus diu poſſeſſa, exigua fuit ad opes & ſplendorem acceſſio.

Spinulam domum cum plerique alii, tum Guirardus & Opicinus plurimum illuſtravere. Guirardum memorabilem faciunt animi fortitudo, robur corporis, divitiæ ſupra privati modum; & urbs Luca, non modo in ditionem redacta, ſed adverſus etiam vim circumſtrepentium hoſtium ſtrenue defenſa. Hic eſt qui indomito Leoni carcerem egreſſo non ceſſit, ſed obviam venienti obvius proceſſit, ſiniſtramque veſte involutam in os belluæ conjecit. Opicino tantæ clientelæ, tantuſque fuit amicorum numerus, ut cum tota Marchionum Montisferrati ſoboles interiſſet, Opicinus filium Imperatoris Palæologi generum ſibi aſſumptum ex Conſtantinopoli in Liguriam claſſe advexerit, eique tradito marchionatu inſignem principem & inſignis ſtirpis auctorem generum reliquerit.

Grimaldorum genus ex provincia Narbonenſi ortum duxiſſe palam eſt, gentem antiquitate memorabilem, & Francorum Regibus admodum fidam: adeo ut eis bellum gerentibus perraro, aut numquam factum ſit, ut regiæ copiæ vel mari, vel terra duces aliquos Grimaldos non habuerint. Memorant adhuc ſeniores noſtri, cum Carolus Francorum Rex, Johannis filius, a Britannis hoſtibus intra ipſa regni viſcera premeretur, accerſiſſe Genua cum ingenti claſſe Carolum Grimaldum, ejuſque forti opera adverſus hoſtes uſum eſſe. Sub hujus familiæ ditione plurima oppida, & non ignobiles adhuc oſtendit populos Gallia Narbonenſis. His quas nominavimus nobiliſſimis familiis datum eſt, ut earum duæ ſemper in ſenatu duos habeant ſenatores, quibus poſt quaternos menſes duæ reliquæ ſuccedunt.

Cæterarum familiarum, prout in urbe habitant, deſcriptio prope hæc eſt, Familia Silveſtris, Catanea, Venta, Colum-

nenſis, Nigra, Malocella, Carmadina, Squarciafica, Cicada, An. 1686. Junio.
Marina, Lercaria, Serrea, Camilla, Italica, Imperialis, Ni- «
grona, Grilla, Vivalda, Lomellina, Uſamaris, de Mari, Cen- «
turionum, Gentilis, Pinella, Calva, Piccamilium, Cibonum, «
Guiſulforum, Malabotorum; & ſi quæ ſunt aliæ, quæ vel pro- «
pe interierunt, vel in aliena nomina tranſierunt. «
Habet ipſa quoque plebs familias digne memorabiles, Bucca- «
nigram, Adurnam, Campofregoſam, Guarcham, Montal- «
tam: ex quibus magna ex parte Genuenſes Duces prodierunt, «
æqui interdum ſanctique rectores, ſævi nonnunquam exitioſi- «
que tyranni. Habet & Juſtinianam, Francam, Malrufam, «
Promontoriam, Furnariam, Saulam. Eſtque plebs ipſa in de- «
cem tribus, vel, ut aiunt, ſocietates diviſa. Primam ab Oriente «
ſuburbium divi Stephani vocant: ſecundam Caſtelli: tertiam «
Plateæ longæ: quartam Macanianæ: quintam divi Laurentii: «
Sextam Suxiliæ: ſeptimam Portæ: octavam Portæ-novæ: no- «
nam ſuburbii civitatis: decimam ſuburbii divi Thomæ. Hæc «
eſt breviſſima Genuenſis populi diviſio. Quas vero urbes & «
populos orientalis occidentaliſque ora Genuenſis complectitur; «
ex deſcriptione Liguriæ, quæ ſequitur, plane cognoſces. «

Hanc deſcriptionem prætermittimus, propterea quod alibi, ut jam monuimus, vulgata ſit, tum Romæ in libris belli Hiſpanienſis, tum Germanicis typis apud Andream Scotthum inter Italiæ illuſtratæ ſcriptores. Hæc de Genua dicta ſufficiant.

XIV. Cum maritimo curſu patriam repetere cogitaremus, terreſtri potius itinere viſum eſt redire per Alexandriam, Aſtam, & Auguſtam Taurinorum, quo die ſexta-decima Junii pervenimus.

XVII. Miſſa apud Patres Fulienſes beatæ Mariæ conſolatricis celebrata, Necrologium abbatiæ ſancti Solutoris, quæ eo in loco, ubi arx condita eſt, olim ſita, Patribus Fulienſibus demum attributa fuit, nobis oſtendit reverendiſſimus Fulienſium abbas Carolus Joſephus Marotius, vir doctus, & libris editis non ignotus. Is Cartuſienſis Ordinis hiſtoriam compoſuit, vulgavitque; item Amedei tertii Sabaudiæ Ducis vitam. Ad hæc monaſticarum totius Italiæ Congregationum hiſtoriam meditatur. Eodem die nobis aſſertum eſt, inſignem hæreticorum bibliothecam, quæ antiquorum VValdenſium erat, prope Luzernam igne periiſſe.

An. 1686. Junio.

XIX. Taurinis iter Lugdunum denuo relegimus. Primo die cum ad Novalicienſe monaſterium, quod in crepidine collis ad Alpium fauces ſitum eſt, ſub finem diei acceſſiſſemus, rogavimus Fulienſium Italorum abbatem, ut ſi qua ſupereſſent in loco celebri veterum librorum aut chartarum monumenta, hæc nobiſcum communicare pro ſua humanitate non gravaretur. Negavit ille quidquam ſupereſſe. Luſtramus ad faces (nam jam nox imminebat) baſilicam humilis & neglectæ fabricæ, horrido loco bene convenientem: cetera ædificia male item affecta. Cum e monaſterio in ſubjectum opidum Novalicienſe deſcenderemus, occurrit nobis Fulienſium Procurator: qui a nobis de archivo monaſterii & bibliotheca interrogatus, reſpondit nonnulla quidem, ſed pauca reliqua eſſe apud ſe diplomata, quorum unum eſſet Caroli M. Hæc non viſa ſunt tanti, ut inſtitutum iter retardaremus. Poſtridie ſuperato Ciniſio monte, quinto demum die Lugdunum proſpere, gratias Deo, ipſo die feſto Natalis ſancti Johannis Baptiſtæ pervenimus. Dum illic tantiſper conſiſtimus, litteræ nobis redditæ ſunt ab illuſtriſſimo Comite Mezabarba de reperto poſt noſtrum Mediolano diſceſſum tumulo perantiquo apud Vaprium vicum Ducatus Mediolanenſis. Effoſſa humo inventa eſt primo capſula in formam ſarcophagi ex gypſo, longitudine octo pollicum tranſverſorum, altitudine ſeptem, latitudine vero quinque. Intra hanc capſulam alia minor erat ex laminis argenti puriſſimi in modum capſularum, quibus ad tabacum, ait Comes, utimur. Sub his capſulis duo jacebant corpora integerrima, & ſuper ea crux aurea reperta. Inſcriptio hæc lapidi adſcripta erat.

HIC REQUIESCET
IN PACE B. M. ARIUKL. V. H.
QUI VIXIT IN SÆCUL^S. ANN^S. PLUS
MINUS V. DEPOS. SUB DIE XVIII KL^S.
HOCTUB^S. IND. VIII. KEEL^S.

Interpretationem illuſtriſſimo viro faciendam relinquimus.

XXVII. Abſolutis cum Aniſſonio, totius noſtri itineris comite fidiſſimo, negotiis, eodem itineris compendio, quo diſceſſeramus, Luteciam Pariſiorum revertimur. Autiſiodori dum moram facimus, imus in ſancti Germani monaſterium, preces & gratiarum actiones fuſuri in ſacro illo loco, in cryptis

Iter Ital. ad Pag. 231.



inquam, quæ adeuntibus pietatem inſpirant, ſancti Germani quondam corpore, multorumque ſanctorum conditorio nobilitatis. Triplicis ſunt ſub apſide ordinis. In primo viſitur ſancti Germani mauſoleum: ſed corpus ſacrum a Calviniſtis ſuperiori ſæculo in favillas (horreſco referens) redactum eſt. Evaſit ex illa ſtrage Sudarium, quo ſanctiſſimi Antiſtitis corpus Ravennæ a Petro Chryſologo archiepiſcopo, ſuppeditante Placidia Auguſta, involutum fuit. Pannus eſt ex ſerico, longus ſex pedes cum pollicibus novem, latus quinque pedes cum quinque pollicibus; violacei coloris flavo permiſti. Aquilis octo reſperſum eſt ſudarium, intermiſtis roſis. Aquilæ ſemiexpanſis alis, ex roſtro ſingulas palas cum gemma non mediocri, & torques ſingulos in collo gerunt. Sacrum hoc ſudarium in ſingulari apud populares veneratione habetur, & merito quidem propter tam inſignem Pontificem. AN 1686. JUNIO.

Paullo extra viam & ordinem eſt, quod hic omittere religio, pictura ſcilicet haud vulgaris, Romæ ex templo ſancti Theodori martyris ab illuſtriſſimo Commendatore Puteano expreſſa: in qua Chriſtus Dominus globo cæleſti inſidens, Petrum a ſiniſtris cum Pontifice coronam offerente; & Paulum a dextris habet, adhærente rege, cum pallio liliis reſperſo, coronam itidem offerente. Qui ſint illi, ſive Pontifex, ſive Rex, non facile occurrit. Fortaſſe hi fuerint vel Leo tertius & Carolus M. ex quibus ille pro ditione Pentapolis, hic pro regno Langobardorum vel imperio Chriſto coronam offerant: vel Clemens IV & Carolus Andegavorum Comes, quem Pontifex utriuſque Siciliæ regem coronavit. Hinc duæ illæ coronæ. Quod Pontifex & Rex ipſe ibidem depicti ſunt capitibus radiatis, id argumento eſt, eam picturam poſt eorum obitum factam fuiſſe. Nam viventes perſonæ illuſtres, ſicubi depingebantur, ad caput *tabulæ* quadratæ *ſimilitudinem, quod viventis inſigne eſt, præferebant, non coronam*, teſte Johanne Diacono in libro quarto de vita Gregorii M. cap. LXXXIV. Multa hujus rei exempla præ manibus habemus. Sed ecce iterum Romam nos revocat amor patriæ, cujus gratia prædictam picturam hoc loco pro ultima itineris noſtri periodo exhibemus.

XI. Julii altera die tandem Luteciam Pariſiorum reverſi, non ſine mutua effuſione animorum a noſtris, qui nobis obviam concurrerunt, excepti fuimus. Poſt octo dies Remos profecti, ut itineris noſtri rationem illuſtriſſimo Remorum Archi- JULIO.

An. 1686. Julio. epiſcopo, qui primus ejus auctor fuit, cum multa gratiarum actione redderemus. Hic vero nos quaſi paterno affectu per dies aliquot complexus, cum officia & obſequia noſtra ſe pro acceptis habere teſtatus eſſet, ab ſe dimiſit, & Pariſios ad noſtrum ſancti Germani monaſterium redire permiſit. Nunc mihi tandem receptui canendum, nunc de alio itinere cogitandum. Nam, ut ait Auguſtinus, Peregrinationes, quas quietas et faciles habere nequeas, per totam cogitare vitam, non est hominis de illa una ultima, quæ mors vocatur, cogitantis, de qua vel sola intelligis esse cogitandum.

Auguſt. ep. 10.

ITINERIS ITALICI LITTERARII

FINIS.

INDEX ITINERIS

INDEX
ITINERIS ITALICI.

A

A Bellonius & Adeltruda conditores monaſterii Savilianenſis, pag. 8
Abraham Echellenſis, 150
Abraxas, 80
Adalgeri Epiſcopi liber ad Roſvvidam recluſam, 128
Adelais Auguſta, 222
Ægidius Viterbienſis, 111
P. Ælii Sabini tumuli typus, 223. 224
Ageltruda uxor VVidonis regis, 219
Agilulfus Langobardorum rex, 217
Agilulfus abbas Bobienſis, 219
S. Agnetis baſilica & monaſterium, 83 *& ſeqq.*
Agnes Abbatiſſa S. Agnetis, 84
Agobardi vitæ ſeries, 68
Albaneta prope Caſinum, 126
Albertus ab Urſo de Cazanimicis, frater Lucii II papæ, 199
Alberti de Sarthiano epiſtolæ 208, 212
Aldo Dux, 209
Aldobrandinus Cavalcantes epiſcopus, 162
Alexandri Chriſtiani epitaphium, 137
S. Alexandri Parmenſe monaſt. 209
Alexius Strozza, 162
Alferius abbas Cavenſis, 117
Altæmpenſis bibliotheca, 78, 79
Altaria lignea Romæ, 60
Alteriana bibliotheca, 55, 56
Alverniæ mons, 179
Alviſus monachus Ciſtercienſis, 149
Amalricus Comenſis epiſcopus, 219
Amedei apocalypſis, 48
Amolo epiſc. Lugdun. 68
Ambroſiana Miſſa, 15 Baſilica, *ibid.* *& ſeqq.*
Ambroſiana bibliotheca, 11 *& ſeqq.* 210, 211
Ambroſius Camaldulenſis, 169, 170, 171, 180, 181, 198, 201
Ambroſius abbas S. Mariæ Florentiæ, 171
Ambroſii Calepini autographum, 21
Amphitheatra Veronenſe, 25 Romanum, *ibid.* 76 Vicentinum, 25
S. Anaſtaſii ad tres fontes baſilica & monaſterium, 142
Anaſtaſii Martyris miraculum, 134
Anaſtaſius Bibliothec. abbas S. Mariæ trans Tiberim, 61
Andreas Saramita præſtigiator, 19
Andreæ fratres, Franciſcus & Januarius, 105, 116
Andreas Andreinus, 105, 118, 146
Angilberga Imperatrix, 209, 210
Angelicus Bigazzius abbas, 184
Angelus de Nuce archiep. Roſſanenſis, 55, 70
Angelus Politianus, 174, 175, 178
Angelus Rocca, 93
Anianus interpres Chryſoſtomi, 163
Anionis fons ſeu Trebia, 127
Anna Viterbienſis impoſtor, 158
Annextaſius epiſc. Ticinenſis, 211
Anſelmi liber de ſacramentis, 163
Antoninus Florentinus antiſtes, 178
S. Antonii abbatis cultus Romæ ſingularis, 136
Antonius Ciofius Juriſconſultus, 168
Antonius Majoragius, 16
Antonius Merula, 204
Antonius Muretus, 94

Antonius Puccius epiſcopus Piſtorienſis, 170
Antonii de Senis epiſcopi Fulginatis liber, 196
Antonius Seripandus, 110, 111
Antrum Canis, 110
Apoſtolorum limina quid, 50
Aquinatis urbis rudera, 127
Aræ-cæli monaſterium, 135
Arator Subdiaconus, 78
Arcionius abbas Parmenſis, 208, 209
Arechiſi principis ſomnium, 27
Aretium civitas, 178, 179
Aretini epiſcopi *S. Donati* ſe *vicarios* dicunt, 182
Aretinum SS. Lucillæ & Floræ monaſt. 173
Ariminum, 42
Arnaldus abbas S. Juſtinæ, 28
Aronenſe monaſterium, 20
Aronenſis codex de Imitat. Chriſti, 18, 20, 21.
Aſſcenſionis feſtum celebre Venetiis, 37
Aſſumtio Virginis Deiparæ in Januario, 57
Ava Magdeburgenſis monacha Senenſis, 159
Avernus lacus, 108
Averoldus Antonius, 22
Auguſtini corpus Ticini, 220, 221, 222
Auguſtinus monachus Cavenſis, 118
Auguſtini Favoriti ſepulcrum, 66
Auria Genuenſis familia, 226, 227, 228
Auzer fluvius Lucæ, 188

B

BAiæ, 107, 108
Balſamus abbas Cavenſis, 118
Bandinus Legum doctor, 199
Baptiſmi ritus, 73, 81
Baptiſmus non niſi ex Epiſcopi mandato, 10
Baptiſteria extra eccleſiam, 9, 10, 39
Barbadicus Cardinalis, 26 *& ſeqq.* 203, 205
Barbarina bibliotheca, 135
Barbarinus Card. Carolus, 77
Bartholomæus Beverinus, 188, 190, 191
Baſilicæ qui a templis diſtinctæ, 91
Beatrix, Mathildis Comitiſſæ parens, 187
Beda an duplex, an Romæ mortuus, 144
Beliſarii clypeus, 79
Benedictus medicus martyr Ocricolis, 46, 47
S. Benedicti Mantuanum vel Padolironenſe monaſterium, 97, 207
S. Benedicti in Piſcinula eccleſia, 147
Benedictus Presbyter & monachus, 131
Benedictus monachus Cavenſis, 118
Benedictus Baccinus monachus Parmenſis, 208, 209
Benedictus Zobius, 215
Benvenutus prior S. Felicitatis, 177
Bernardus Italiæ rex, 16
Bernardus Biſſius Caſinas, 226
Bernardi Oricellarii hiſtoria, 269
Bertæ reginæ libellus dotis, 222
S. Bertholdus monachus Parmæ, 209
Beſſarion Cardinalis, 33
Biblia Paulina, 53
Bibliorum codices, 68, 70, 71, 72
Biſomi loculi, 141
Blanchinus Veronenſis, 49
Bobienſe monaſterium & bibliotheca, 12, 215. 216, 217, 218, 219
Boëtius Ticini ſepultus, 220. opus ejus, 221
Bona Johannes Cardinalis, 57, 62
Bonifacii VIII profeſſio, 151
Bonifacius Simoneta Abbas Cornuti monaſterii, 149
Bonizo epiſcopus Sutrinus, 14
Bonizo abbas S. Laurentii, 82
Bonodius abbas, 201
Bononia civitas, 195, *& ſeqq.*

Bornii de Sala liber contra Judæos, 196
Borromæorum ſepulcra, 17, ædes, 21
Bruti effigies, 166
Bucentaurus navis unde dicta, 37
Bulla aurea, 99
Bulla plumbea Henrici I Imperat. 23
Burgundio Judex Piſanus, 164
Burlamachus abbas, 188
Burneti Latini Florentini liber, 169

C

C. Ceſtii tumulus pyramidalis, 152
C. Cæcilia de Gonzaga, 198
Cæſena, 41
Cairada cœnobium, 211
Caïrus mons, 122
Camaldulum, & Camaldulenſis Eremus, 180 *& ſeqq.*
Camillus Peregrinius, 102, 116
Camillus Silveſter Rodiginus, 38
Candidus abbas S. Mariæ Florentiæ, 161, 162, 194
Canonici alterius ſedis epiſcopo ſubjecti, 23
Capella pontificia, 48, 49
Capiſucchius Cardinalis, 135
Capitolium, Capitulum, 16
Capranica bibliotheca, 150
Capua duplex, 102
Carævallis monaſterium, 19
Caramellus Antonius Franciſcus Camaldulenſis, 270
Carniſprivii ſtationes, 152
Carolus Cartharius, 56
Carolus Joſeph Marotius abbas, 229
Carpatinæ, calcei genus, 118
Caroli Epiſcopi Mediolan. corpus, 17, 18
Caroli M. an Calvi effigies, 70, 71, 72
Carolus Rex Siciliæ, 105, 106
Caroli VIII numiſma, 18
Carolus Celanus, 114, 115
Carolus Datus, 178
Caroli Marſuppini epitaphium, 165
Carolus Septala Dertonæ epiſc. 223
Cartuſia Neapolitana, 104, 105
Carpius Marchio prorex Neapol. 113, 114, 115
Caſanata Cardinalis, 21 *& ſeqq.* 48, 70, 60
Caſinenſe monaſterium, 119, 120, 121, 122, 124, 125
Caſtuli cœmeterium, 135
Catacumbæ, quid, 90, 91
Catacumbæ Neapolitanæ, 106, 114
Catervii an martyris Tolentini inſcriptio & acta, 223, 224
Catervii Elionis monumentum, 224
Cathmiæ ſeu Cadmiæ variæ compoſitiones, 189
Cavenſe monaſterium, 116, 117, 118
Cennius Jacobus Maria, 190
Cenſuum recenſio, portæ baſilicæ inſculpta, 151
Cerchiarius Johannes Martius, 26
Cerrius abbas Auguſtinianus, 58
Chalcedonenſe Concilium, 207
Chelidoniæ corpus Sublaci, 128
Chriſti imago ſeu Veronica Lauduni, 88, 89
Chriſti vultus Lucæ, 190
Chriſtianis in uſu lapides ſepulcrales paganorum, 136, 137
Chriſtina Sueciæ Regina, *Sereniſſimæ* nomen reſpuit, 80
Chriſtinæ Suecorum reginæ bibliotheca, 53, 54
Chriſtophorus Landinus, 162
Chrothildis pes anſerinus, 109
Chryſoloras Manuel, 98
Ciaconii Alfonſi bibiotheca, 96
Ciampinus prælatus, 49, 59, 60, 63, 73, 74, *& ſeqq.*
Cicero monachus Miſenas, 107
Cicerones Puteolis, 107
Cimbri trucidati, 24
Claſſenſe monaſterium, 41
Clavus ex iis quibus ſuffixus Chriſtus, 18
Clerici Matris Dei, 190

Cœmeteria Chriſtianorum ab ethnicorum loculis diſtincta, 90, 91, 137, 138
Colloredus Leander, Oratorii Romani bibliothecarius, 67 S. R. E. Cardinalis, 138
Columba ad ſervandam Euchariſtiam, 217
S. Columbani corpus & ſcripta, 216, 217
Colucius Pierius de Stignano, 183
Congius Romanus, 73
Conſi crypta, 78
Conſtantiæ ſeu Conſtantinæ mauſoleum, 84, 85
Conſtantia Boemiæ regis uxor, 19
Conſtantini arcus, 75
Conſtantinus Cajetanus, 147, 150
Conſtantinus Judex ſeu Rex Sardiniæ, 182
Conſtantius Martyr, 139
Contra votum epitaphia, 79, 80
Cornelius Margarinus Caſinas, 53
Cornelius Biſcopius Joh. Baptiſta procurator S. Marci, 35, 36
Corneus Cardinalis, 153
Cornutenſe monaſterium, 149
Coronellus Venet. Coſmographus, 204
Corporum cremandorum primus auctor, 75
Coſmus ſereniſſimus Magnus Etruriæ Dux, 193, 194
Coſinus Annonus abbas S. Crucis, 134
Criſconius Afer, 69
Crucifixi imagines veſtitæ, 133
Crucifixus cum quatuor clavis, 9
S. Crucis monaſterium Romæ dictum in Jeruſalem, 91, 92, 134
S. Crucis bibliotheca Florentina, 163, 164
Cryptæ-ferratæ monaſterium, 87
Cumæ civitas everſa, 108, 109
S. Cummianus Bobii, 217
Cunigundis uxor Bernardi regis Italiæ, 209
Cypriani codex antiquiſſimus Veronæ, 23
S. Cyriaci monaſterium, 57
Cyriacus Anconitanus, 43, 44, 45

D

DAntes poëta, 41
Defenſor Grammaticus & monachus Lociagenſis, 123
Dertonenſe monaſterium S. Martiani de Patrania, 207
Deſoncorum familiæ, 154, 155
Diaconia, 151, 152
Dis iniquis nuncupatum epitaphium, 79 contra votum, *ibid.*
Diis manibus in epitaphiis Chriſtianorum, 73, 74
Diis pedibus & *diis avibus* affictæ inſcriptiones, 158, 176
Diurnus Romanorum pontificum liber, 77
Dodo epiſcopus S. R. E. hoc eſt ſuffraganeus, 147
Dodvvellus refellitur, 138, 139
Dominicus prior monaſt. S. Sixti, 74
Domus æterna dicta ſepulcra, 141
Donatus Boſſius, 19
Drogo abbas Glannafolienſis, 121
Dulcinius Vercellenſis hæreticus, 20

E

ECelinus tyrannus, 28
Epitaphium martyris aut Chriſtiani profanum, 73, 74
Equi aqua luſtrica aſperſi, 136
Eraſmus a Caieta monachus Caſinenſis, 123
Ermengarda S. Salvatoris abbatiſſa, 210
Eſtræi fratres Cardinalis & Legatus, 48, 75, 154
Evaſius epiſc. & martyr Caſalii, 9
Eugenia abbatiſſa S. Mariæ in Tempulo, 74
S. Euphemiæ monaſterium, 22
Euſebii Vercellenſis eccleſia, &

Evangeliorum liber, 9, 10

F

FAbrettus Raphaël, 73, 74, 156
Facundi opera, 201
Faita neptis Lucii papæ II, 199
Farfenſe monaſterium, 69, 149
Fauſti epiſcopi opus de dogmatibus eccleſiaſticis, 208
S. Fauſtini & Jovitæ monaſterium, 22
Fauſtus Auguſto ab epiſtolis, 193
Fauſtus Naironus Maronita, 150
Federicus Borromæus archiepiſcop. Mediolanenſis, 11 *& ſeqq.*
Feliciani Veronenſis epigramma ſepulcrale, 141
S. Felicis & S. Naboris monaſterium, 200
S. Felicis Vicentiæ monaſterium, 25
S. Felicitatis Florentiæ monaſt. 177
Femina an patriarcha CP. 27
Ferrarii epitaphium, 28
Fermentum Romanorum Pontificum, 134
Feſulana abbatia, 173
Fliſca Genuenſis familia, 227
Florentia, 160 *& ſeqq.*
Fortunatus Vinaceſius Brixienſis, 22
Fortunatus Ulmus, 34
Foſſæ-novæ monaſterium, 99
S. Franciſcæ Oblatarum monaſterium, 86
Franciſcus de Mileto Aſtrologus, 170
Franciſcus Puccius Florentinus, 110
Freſcobaldius S. Laurentii Florentiæ præpoſitus, 167
Fridianus epiſc. Lucenſis, 189
Frontini ſcripta, 27
Fundi civitas, 101

G

GAabrielis Paleæoti acta Concilii Trident. 133
Galeatius Archonatus, 12, 13
Galilæus Galilæi, 166
Gallæ Placidiæ tumulus, 39, 40
Gallicana ſynodus occaſione Columbani, 216
Gamburrinus abbas, 172
Gaudentius martyr, 139
Gaudentii epiſcopi Brixienſis conciones, 178
Gaudentius abbas Ambroſianus, 16
Gaudentius Robertus Carmelita, 208
Genius theatri, 103
Genua civitas, 225 *& ſeqq.*
S. Georgii monaſterium Venetiis, 34
S. Georgii in Alga monaſterium, 204
Georgius glorioſiſſimus, 151
Gerbertus abbas Bobienſis, 219
S. Germani Autiſſiodorenſe monaſterium, 230 Sudarium, 231
Gezonis abbatis opus de corpore & ſanguine Domini, 165, 207
Gianettaſius Nicolaus Soc. Jeſu, 105, 113
Giſeprandis epiſc. Dertonenſis, 207
Goffridi Vindocinenſis abbatis epiſtolæ, 54, 164
Gondollæ Venetæ, 31
Gonzata Æmilius nobilis Vicentinus, 25
Gordianus Galliæ Nuncius martyr, 139, 141
S. Gothardi corpus Bronii, 215
Græcorum ſacri ritus, 85
Gratia Alexandria matrona, 153
Gratiani Decreti compilatoris epitaphium, 199
Gratus epiſcopus, 13
Gregorii Antiphonarium & corporale, 213, 214
Gregorius auctor monaſterii Theodotæ, 220
Gregorius Conrarus ſeu Coriarius, 198
Grimaldorum Genuenſis familia, 228
Galterius abbas Leonenſis, 14
Gualterius abbas bibliothecarius Venetiis, 33, 204
Guarinus Veronenſis, 181, 267
Guarinus Theatinus architectus, 7

Gubernaculum conciliorum, 162 Nicolaus ejus auctor, *ibid.*
Guichiardinus Cæleſtinus, 104
Guidius ſculptor Romanus, 80
Guillelmina Boëmina præſtigiatrix, 19, 20
Guillelmus archiepiſcopus Bituricenſis, 91
Guillelmus auctor epiſtolæ ad Fratres de Monte Dei, 197
Guillelmus de Baiona Cardinalis, 27
Guillelmus Corteſius abbas tum Cardinal. 202
Guillelmi Fliſci Card. tumulus, 82
Guillelmus de Rupeforti eques, 149
Guiniſius, Fabius archiepiſcopus Ravennenſis, 38
Guirandus Aloſianus, 203

H

Hegeſippi libri Ambroſio interprete, 14
Helenæ Auguſtæ dicata inſcriptio, 92
Helena Cornelia Biſcopia virgo doctiſſima, 35, 36
Henrico III facta inſcriptio, 30
Henricus abbas Pompoſianus, 37
Henricus de Merla, Legatus Francicus, 227
Henricus Noriſius Auguſtinianus, 162, 166, 177
Henrici Septimellenſis carmen, 205
Hermes Lontanus Brixienſis, 22
Hermolaus Barbarus, 204
S. Hieronymi calix, 97
Hieronymus Aretinus abbas S. Floræ, 194
Hilarion Rancatus Ciſtercienſis, 77, 92
Hilarii epiſcopi verſio Origenis, 207, 208
Hildebaldus abbas S. Salvatoris, 222
Hildebrandus monachus, tum archidiaconus ac pontifex Gregorius VII, 53
S. Hillari monaſterium, 184
Hollandorum bibliopolarum aſtus, 95
Honorii papæ effigies ex muſivo, 81
Honorii & Valentiniani tumuli, 40
Honorii Imp. tumulus, 145
Honorius Auguſtodunenſis ſolitarius, 14
Hoſpitales teſſeræ, 154, 155
Hirmingardis abbatiſſa, filia Ludovici II Imp. 210
Hugo Marchio Tuſciæ, 170
Humberti Card. libri tres contra Simoniacos, 168
Humbertus abbas Sublacenſis, 128
Hyppoliti martyris ſtatua, 63
Hyppoliti martyris opus, 94, 95

I

Jacobi Angeli ad Chryſoloram epiſtola, 164
Jacobus *le Boſſu* monachus Dionyſianus, 94
Jacobus Bracelleus Genuenſis, 226, 227
Jacobus epiſcopus Feſulanus, 184
Jacobus neophytus ex Judæis, 168
Jacobi Papienſis Cardinalis epitaphium, 295
Januarius martyr Neapoli, 105, 106
S. Januarii monaſterium, 114
Janus Parrhaſius, 110
Illuminatorum ſecta, 19, 20
Imaginum detectiones in Italia, 65
Imperatori facta ſupplicatio ad cadavera loco movenda, 198, 199
Imprecationes in epitaphiis, 147, 148, 149
Indicis congregatio, 144
Indulgentiæ antiquæ, 69
Ingobertus Referens, 70, 72
Innocentius IV Neapoli ſepultus, 106
Inſcriptiones, 5, 6, 7, 9, 10, 13, 19, 21, 24, 28, 29, 30, 33, 36, 44, 46, 53, 57, 61, 62, 63, 66, 68, 73, 79, 80, 85, 89, 92, 94, 97, 102, 103, 111, 112, 113, 116,

119, 120, 126, 129, 130, 132, 135, 136, 137, 138, 139, 140, 141, 142, 143, 146, 147, 148, 149, 153, 155, 156, 157, 158, 163, 165, 166, 167, 172, 173, 178, 181, 187, 193, 195, 196, 199, 200, 206, 213, 214, 220, 223, 224, 225, 230
Joachim abbas, 32
Johannæ Pſeudopapiſſæ fabula 27, figura Senis, 159, 160
S. Johan. Baptiſtæ caput, 87
S. Johannis Evang. Parmenſe monaſterium, 208, 209
Johannis Chryſoſtomi epiſtola ad Cæſarium monachum, 178
Johannis Gualberti reliquiæ, Pſalterium, fagus, 183
Johannes abbas auctor vitæ Odonis, 123
Johannes abbas S. Severini, 106
Johannes Alerienſis epiſcopus, 64
Johannis Antonii Campani liber de geſtis Braccii Ducis, 196
Joh. Bapt. Beccius a Caſtillione, abbas Aretinus, 178
Johannes *Bodier* Cenomanus, 91
Johannes Carolus Florentinus, 162
Johannes Diaconus Neapolitanus, 63, 106
Johannis Gerſen libri mſ. de Imit. 21, 208, 219
Johannes Marca-nova, 205
Johannes Palagius Romanus, 142
Johannes Paſtricius doctor, 61
Johannes Patricius Romanus, 57, 58
Johannes Raguſeæ epiſcopus, 43, 44
Johannes epiſcopus Ravennas, 56
Johannes Salernitanus, 162
Johannes Tuſculanus epiſcopus, 147
Johannes Saracenus abbas Vercellenſis, 129
Johannes Spatarius, 201
Johannes Subdiaconus Caſinenſis, 69
Johannes abbas Sublacenſis, 69
Joſephi codex in phyllira, 12
Joſephus Semenzius Somaſcus, 18
Joſephus Thomaſius Theatinus, 92
Jotti epitaphium, 172
Iſidorus Clarius vir doctus, 45, 123, 171, 172
Itta abbatiſſa S. Hillari, 184
Julia Evodia temere pro martyre habita, 225
Julius abbas ex Fulienſibus, 60
S. Juſtinæ Monaſterium, 28
Juſtiniani Veneti a Nicolao monacho ducunt originem, 34, 35
Juvenianus ſubdiaconus, 68

K

Kalendis Auguſtalibus munera Romæ dari ſolita, 77

L

Ladiſlaus rex Neapoli ſepultus, 112
Lana conficiendis palliis archiepiſcoporum benedicta, 84
Lappæum Cretæ oppidum, 33
Lateranenſis baſilica, 54, 55, ſedes Romanorum pontificum, *ibid.*
Laurentianum mauſoleum Magnorum Ducum, 192
Laurentiana baſilica & monumenta, 168
S. Laurentii Averſæ monaſterium, 119
S. Laurentii Romæ monaſterium, 82
Laurentius Statilius, 202
Lauretum, 43 *& ſeqq.*
Leo Allatius, 61, 77
Leopardus abbas Nonantul. 125, 134
S. Leucii monaſterium, 74
Leonardi Bruni Aretini epitaphium, 165
Leonardus Vincius pictor, 12, 13
Liburna urbs, 187, 188
Litaniæ veteres, 134
Litterarum ordo duplex cur in Kalendariorum margine poſitus, 218
Liturgia Gallicana, 219
Liutprandus Rex Ticini ſepultus, 221
Liutprandi pes, 177

Locociagenſe monaſterium, 123
Lothariani imperii epocha, 209
Lini Colucii Salutati epiſtolæ, 170
Luca civitas, 188, 189
Lucedus presbyter & abbas Ticinenſis, 222
Lucenſe monaſterium, 209
Lucia abbatiſſa S. Agnetis, 83
Lucina ſeu Lucernarium, 151, 152
Lucius monachus Cavenſis, 126
Luculenti ſermones, 69
Ludovici II Imp. diplomata, 209, 210
Ludovici VII anniverſarium, 23
Ludovicus *de Creil* Doctor, 94
Ludovicus Guerra abbas S. Proculi, 195
Ludovicus de Venetiis abbas S. Juſtinæ, 28

M.

Magliabecus Antonius, 21 & *ſeqq.* 161 & *ſeqq.* 166, 173, 194
S. Maioli monaſt. Genuæ, 226
Malateſtæ Carolus, 27. Sigiſmundus, Pandulfus, *ibid.* Novella, 41, 42, 206, 207
Malvaſia Comes, 202
Manigunda matrona ſanctimonialis, 211
Mantua civitas, 207
Manuel Chryſoloras, 181
Mapheus Vegius Laudenſis, 37
Marcella cum Martyribus 450, 139
S. Marci baſilica & Evangelium Venetiis, 31, 32 Bibliotheca, 33
Marcuſa Regina Sardiniæ, 182
Mare ſponſatum a Venetorum Duce, 37
S. Mariæ-majoris eccleſia Romæ, 65
S. Mariæ Florentinæ monaſt. 161 & *ſeqq.*
S. Mariæ ad caput Trebiæ prope Placentiam monaſt., 209
S. Mariæ in Tempulo monaſt. 74
Maria & Thermantia Stiliconis filiæ, uxores Honorii, 145
Maria Puteolana virgo, 167
Maringus curtis regia, 210
Marii Martyris epitaphium, 138
S. Marini Papiæ monaſt. 210
Marinus Chryſocatalactes, 201
Marius Florentinius, 188, 190
Marones, cameli humani, 6
Maronitarum ſacri ritus, 83
Maronitarum ſacra & eccleſia, 146
Martyres Chriſtiani plurimi, 138, 139
Martyris epitaphium profanum, 73, 74
Martinæ Gallæ inſcriptio, 206
S. Mathiæ & S. Michaëlis Murani monaſteria, 203
Matidiæ, 25
Mathildis Comitiſſæ oſſa Romam delata, 97
Matthæi Boſſii Veronenſis opera, 174, 175
S. Mauri abbatis cultus antiquus, 125
Maurus abbas S. Pancratii, 75
Maximus martyr, 86
Mayfreda Pirovana Ord. Humiliatorum, 19, 20
Mediolanum, 11 & *ſeqq.* 210 & *ſeqq.*
Mezabarba Comes, 15, 28, 19, 210, 230
Michaëlis Angeli a Bona-rota tumulus, 165, 166
Michaëlis Mercati Miniatenſis Metallotheca, 178
Michaël Monachus, Canonicus Capuanus, 102, 112, 119
Mignanellus Jacobus abbas Senenſis, 159, 160
Mincii confluxus in Eridanum, 207
S. Miniatis monaſterium, 184
Minorum habitus primigenius, 106
Miſenum urbs, 107, 108
Modii Romani inſcriptio, 187
Modoëtiana baſilica, ſupellex & coronæ, 212, 213
Molinos Michaël presbyter Hiſpanus in vincula conjectus, 72
Monaſterium Epiſcopo qui ſubjectum,

jectum, 211, 212
Moſcardi Comitis muſeum, 24, 25
Mutina civitas, 202

N

S. Nazarii Veronæ monaſterium, 23
Neapolis, 104, & *ſeqq.*
Nerius Capponius, 187
Nicolaus prædicator Hiſpanus, auctor Gubernaculi Conciliorum, 163
Nili monachi tractatus, 171
Nonantulanum monaſterium, 125, 134, 202
Novalicienſe monaſterium, 210
Novarienſes eccleſiæ, 10

O

Oblatæ Helenæ Corneliæ votum, 36
Obſequentius epiſc. Lucenſis, 189
Ocricolæ opidum, 46
Octavius Ferrarius vir doctus, 28, 29 Ejus epitaphium, *ibid.*
Odeſcalcus epiſcopus Novarienſis, 10, 17
Odo abbas S. Dionyſii. 129
Onufrius Panvinius, 52
Oratorii Romani patres, eccleſia & bibliotheca Vallicellana, 67, 68, 69
Orientem verſus ſepulti Chriſtiani, 141
Origenis liber, 168
Origenis hexapla, 95
Otto Comes Johannis, 69
Ottobonus Cardinalis, 49, 93
Ovidii mauſoleum, 58

P

P. Candidi Decembrii epiſtolarum libri octo, 197
Paganorum ſepulcrales lapides converſi in Chriſtianorum uſus, 136
Palladius Vicentinus architectus, 25, 34
Pallia archiepiſcoporum, 84
S. Pancratii monaſterium, 75
Pandectæ Juſtiniani, 184, 185
Pantaleon Conſul, 53
Pantheum cum tricoro, 224
Papia, 215, 219, 220, 221, 222. qui diſtincta a Ticinenſi palatio, 219
Parma civitas, 208, 209, 210
Patavium, 26 & *ſeqq.*
Patavina ſeminaria, 205
Patinus Carolus Eques medicus, 28, 29
S. Pauli baſilica, 52, 53
Pauli Jovii epitaphium, 17
Paulus Canonicus regularis Veronenſis, 198
Paulus Orlandinus Camaldulenſis, 170
Paulus Veronenſis pictor, 34
Pauſilypus mons, 107
Philippus Benetius, 163
Philippus Saulus epiſc. Brugnatenſis, 226
Pederotes amethyſti, 146
Pelagii papæ effigies ex muſivo, 81
Pes Aliprandi, *Vid.* Liutprandi
Petrarchæ tumulus, 29 laurea poëtica, 30
Petronii fragmentum, 202, 203
Petrus apoſtolus, ubi crucifixus, 48
S. Petri baſilica Vaticana, 49, 50, 51, 52
S. Petri in Cælo-aureo monaſt. 220, 221, 222
S. Petri Glaciatenſe monaſt. 17
S. Petri Mutinenſe monaſt. 202
Petri, Abbacyri & aliorum reliquiæ, 152
Petri Barrotii cenotaphium, 206
Petrus abbas Ambroſianus, 16
Petrus abbas Cavenſis, 117
Petrus Mallius Canonicus Vaticanus, 52
Petrus Delphinus, 160, 179, 181, 203
Petrus Venetus monachus, 34
Petrus præceptor eremitarum Camalduli, 182
Petrus Diaconus Caſinenſis, 121, 123, 125

Petrus Diaconus Neapolitanus, 109
Petrus ex Comite Autiſſiod. Imperator CP. 81
Petrus Bellorius, 54, 58, 154
Petrus de Sanctis, 58
Petri Apollonii Collutii Novarienſis carmen, 194
Peyreſchii epiſtolæ ineditæ, 133
Picciati muſeum, 113
Piccinardus Seraphinus, 135
Picus Mirandula Johannes, 174, 175, 178
Pippini Regis ſepulcrum, 22
Piſa, Piſani equites S. Stephani, 185, 186. baſilicæ & cœmeterium urbis *ibid.* Piſani Concilii hiſtoria, 27
Piſcina mirabilis, 108
Piſtorium civitas, 192
Placidus Puccinellus decanus Caſinenſis, 17
Placidi martyris vita triplex, 125
Platinæ ſepulcrum, 66
Plotini liber in animarum præexiſtentiam, 169
Plumbariolæ monaſterium, 127
Pœnitentium ſodalitates & flagellationes, 8, 9
Poggii epiſtola inedita, 211
Pompoſianum monaſterium, 37
Pondera Romæ inventa, 156
Pontiani cœmeterium, 136
Pontificalis Romani ritus ſingulares, 164, 165
Portenſis civitas, 153
Portiana baſilica Mediolani, 17
Præſepe ſacrum, 131
Prataleenſe monaſterium, 30
Primitius martyr, 139
Priſſanenſis Comitatus, 210
S. Proculi Bononiæ monaſt. 195
Proſperi Phaneli Calabri, monachi Caſin. opus, 133
Proſperi ſanctacrucii opera, 133
Prudentius laudatur, 139
Ptolomæus de Luca, 27
P. Ælius Sabinus,
Puricelli opera, 14, 18, 19, 20
Puſterla Johannes Ambroſianæ bibliothecæ præfectus, 211
Puteanus Commendator Romæ, 142, 143, 231
Puteoli civitas, 107
Puticuli locus Romæ vulgi ſepulturæ, 140
Pyrrhus Tribunus, 24
Pyrrhi Ligorii opera mſſ. 8

Q

QUintiliani libri ad S. Gallum reperti, 211
Quintus Fabius Conſul, 221

R

RAdiatæ vel coronatæ mortuorum effigies, 231
Raphaël Urbinas, 156
Ravenna civitas, 38, *& ſeqq.*
Ravennenſia diplomata, 201
Reliquiæ quæ Romæ Gregorii M. ætate, 15
Reginæ monaſterium Papiæ, 209, 210
Regulæ S. Benedicti codex, 124
Richardus Anglorum rex, Lucæ ſepultus, 189
Richerius abbas Caſinenſis, 101
Richſinda abbatiſſa Theodotæ, 220
Ricina ſive Recanatum, 43
Robertus rex Neapolitanus, 105
Robertus electus Trevirenſis, 98
Robertus de Arbruſſello, 164
Rodulfus Paderbornenſis epiſc. 184
Rogerii regis bulla aurea, 118
Roma, 47, *& ſeqq.*
Romanus Canonic. Vaticanus, 51, 52
Romualdi commentarius in Pſalmos, 181, 182
Ruſticeliæ gentis ſepulcrum, 156, 157

S

SAbellici epiſtola, 203
S Salvatoris Bononiæ monaſt. & bibliotheca, 195, 196, 197

S. Salvatoris Brixienſe novum monaſterium, 209, 210
S. Salvatoris monaſt. Ticinenſe, 215, 220, 222
Salvinius Antonius Maria, 168
Sannazarii tumulus, 107, 112
Sapientiæ Collegium Romæ, 150
Savilianenſe monaſterium, 8
Sceleratus, quis, 180
Scheleſtratus Vaticani bibliothecarius, 62, 63, 65, & ſeqq.
Sebaſtianellæ ædis picturæ, 131
Sebaſtianus Maccius, 176
Seguſianus arcus & inſcriptio, 6
Semo Sancus Deus fidius, 87
Senæ civitas, 159, 160
Senatoris Ticinenſe monaſt. 220
Senator filius Albini, vir præpotens, 220
Septalæ Franciſci muſeum, 14
Septimia Catervii uxor, 224
Septimi Severi Septizonium, 83
Sepulcra Chriſtianorum, 138, 139, 140, 141. Sepulcra ethnicorum a Chriſtianis adhibita, 82
Serena Stiliconis uxor, 20
Sergius Silus, 146
Seripandi Cardinalis bibliotheca Neapoli, 110, 111. Iter ejuſdem ad Conc. Trident. 206. *V.* Antonius.
Serpens æneus Mediolani, 16
Severiani epiſcopi ſermones, 114
Severina Catervii uxor. 223
S. Severini monaſterium, 106
Severinus ab Aſculo abbas Farfenſis, 149
Severinus de Pedepennis Bitontinus, 149
Sibyllæ antrum, 108
Sigillum Ludovici II Imp. plumbeum, 209. Item Henrici I Aug. 222. Sigillum averſum in affixis, 118
Sigiſmundus Fulginas, 45
Silvius Picolomineus, 97
Simon Salterellus epiſcopus, 162
S. Simpliciani monaſterium, 17
Sirleti Card. de Concilio Tridentino collectanea, 111
Sirmionenſe monaſterium Papiæ ſeu B. Mariæ Britonum, 209, 210
S. Sixti monaſterium Romæ, 74. Placentinum, 209
Sixtus V, 65, 66, & ſeqq.
Sluſius Cardinalis, 48, 98, 154
S. Solutoris monaſterium, 229
Sozius Miſenas martyr, 106
Sozomeni presbyteri Piſtorienſis chronicon, 174
Spinola Cardinalis, 190
Spinula Genuenſis familia, 228
S. Spiritus Ticinenſe monaſt. 219
Spitigneus Boëmiæ Dux, 155
Stephania dicta eccleſia Neapolis, 106
S. Stephani Bononiæ monaſt. 200
Stephanus Anicienſis epiſc. 125
Stercoraria ſedes Lateranenſis, 58, 59
Sublacenſe monaſt. 69, 127, 128, 129
Sudarium Taurinenſe unde allatum, 5, 7
Sulphurata Puteolis, 109, 115

T

TAbulæ quadratæ ad capita vivorum, 231
Talenti menſura Piſis, 187
Tapſennarum epitaphium, 119
Tarracina ſive Anxur, 99, 100, 101, 102. Tarracinenſe monaſt. 100, 101
Taurinum civitas, 7, 8
Tellerii Franciæ Cancellarii mors, 119
Terra Jeroſolymis allata, 186, 187
Teuzonis monachi commentarius, 171
Theobaldus Campaniæ Comes prope Vicentiam ſolitarius, 25, 26
Theodaldus epiſcopus Aretinus, 182
Theodelinda regina, 212, 213
Theodelaſius abbas Bobienſis, 219
Theodorici regis tumulus, 40
Theodoſii Junioris inſtrumentum inſigne, 24
Theodotæ monaſt. Ticinenſe, 220

Thermæ Diocletiani, 57
Thermæ Antoninianæ, 74
S. Thomæ monaſt. Papiæ, 210
Thomas Aquinas monachus Caſini, 123
Thomas Januenſis de Valerano, 149
Thomaſius Joſephus-Maria, 93, 134
Ticinum ſeu Papia, 215, 219, 220, 221, 222
Titi Livii ſepulcrum & ſtatua, 29, 30
Traconaria crypta, 108
Tridentini Concilii hiſtoria mſ. 194
Tridiavorum familiæ, 154, 155
Trivultiorum ſepulcra, 20
Typographiæ auctores Romæ, 64
Tyronenſes monachi griſei, 197

V

V Sabinenſis epiſc. an. M XC, 147
Valerius Zani Comes, 195, 201
Valletta Advocatus Neapolitanus, 104, & *ſeqq.* 113
Vallis-umbroſæ monaſt. 183, 184
Vangadicienſe monaſterium, 26
Varonis villa, 127
Vas amplum in Cœnam dominicam, 200, 201
Vaticana bibliotheca, 62, 63. Typographia, 63, 64, 143
Venetiæ, 30. & *ſeqq.*
Veronica, imago, an femina, 88, 89
Verona, 22, 23. Ejus amphitheatrum, 25
Veſpaſianus librarius 174
Veſuvius mons, 119
Ughelli epitaphium, 142, 143
Ugo ſchiſmaticus, 14
Viar. pſeudoſanctus, 145
Vicarius S. Ambroſii, epiſcopus Mediolanenſis, 102
S. Victoris Ravennenſe monaſt. 39
Victoris Amedei inſcriptio, 7
Vincentius Quirinus Venetus, 160
Virgilii ſepulcrum, 113
Virginum conſecratio, 35
Vivianus Mathematicus, 137
Umbrena Pollia, 10
Urbani III ſtatutum de Ludovici VII annua prece, 23
Urbis Epiſcopi, Suffraganei, 147
Uſtathius Dux, 151
Uſtrinum corporum, 78
Uſuardi martyrologium, 150, 151
VVaimerus Princeps Salernitanus, 118
VValturii Roberti libri, 27
VViclefi opera, 169
VVillelmus abbas S. Dionyſii, 129
VVillelmi Theodoricenſis liber de officiis, 163. Ejuſdem epiſtola ad Fratres de Monte-Dei, 197

Y

Y Milla, non Zmilla, regina, 133

Z

Z Achariæ papæ numiſma, 18
S Zenonis monaſterium Veronenſe, 22, 23

ERRATA.

P*Ag.* 9 *lin.* 4 *lege* cymbam. 13 *lin.* 5 Leonardi. 24 *lin.* 14 *corrige accentus in* ὅτι & ὑδάτων. 50 *lin.* 27 Pippinus *lege* Carolus. 66 *lin.* 25 *ſcribe* θυήσκιν. 77 *lin.* 26 Allatius *lege* Holſtenius. 101 *lin.* 22 *dele* quod pæne ſingulare. 123 *lin.* 2 *lege* nempe Johannis Abbatis &c. *ut lin.* 6 146 *lin.* 28 *ſcribe* Pæderotes. 153 *lin.* 25 *ſcribe ubique* Hippolytus. 158 *lin.* 18 *lege* Annii. 166 *lin.* 24 inanimem. 168 *lin.* 7 *poſt* pietatem *adde* conteſtantur. 185 *lin.* 31 *adde* Scaliger ſequioris poſſe eſſe generis contendit adverſus Auguſtinum, etſi græca vox ſit maſculini. 196 *lin.* 18 *lege* Theon. 203 *lin.* 8 luce. 204 *lin.* 19 *ſcribe* Ganymedis. 204 *lin.* 38 Franciſcus Pithœus. 231 *lin.* 37 *pro* XI *lege* III

MUSEUM

MUSEUM
ITALICUM
TOMI I
PARS ALTERA.

IN SEQUENTES HOMILIAS
S. MAXIMI
EPISCOPI TAURINENSIS
PRÆFATIO.

I. *ALteram hujuſce voluminis partem auſpicamur (quod fauſtum fortunatumque ſit) ab homiliis quibuſdam ineditis ſancti Maximi Epiſcopi Taurinenſis : cujus tanta facundia, tantum ſtudium in rem Chriſtianam fuit, ut vulgatæ ejus homiliæ dignæ ſint meliori luce. Ita enimvero diſtractæ, & alienis coloribus infuſcatæ ſunt, ut quis ſit earum legitimus parens, etiam apud viros doctos dubitetur : dum hi alias Ambroſio, illi alias Auguſtino tribuunt. Neque tamen adeo difficilis eſt de iis conjectura, ut auctori ſuo (ſi modo quis diligentem operam adhibeat) tandem reſtitui non poſſint, maxime Gennadio duce, qui earum argumenta & titulos magna ex parte retulit. De omnibus illis homiliis, ſive quæ apud Ambroſium, ſive quæ apud Auguſtinum, ſeu quæ apud ipſum Maximum exſtant, accuratam afferre cenſuram, non eſt noſtri inſtituti. Hæc cura partim occupata eſt a ſodalibus noſtris, tum iis qui Auguſtini ſermones cum accurato delectu ab intruſis & ſuppoſiticiis jam repurgarunt, tum ab aliis item e noſtris, qui novam Ambroſii operum editionem adornant : nos tantum, quod e re noſtra erit, hoc loco exſequemur.*

II. *Maximi homilias pleraſque, ſi non omnes, invenimus in*

tribus codicibus perantiquis : quorum unus Mediolani habetur in bibliotheca Ambroſiana : alter Romæ in mon ſterio ſanctæ Crucis, *quod* in Jeruſalem *appellatur : tertius in abbatia ſancti Galli apud Helvetios. Poſtremus hic codex, litteris majuſculis ab annis mille totus exaratus, continet homilias XCVII ſub hoc titulo*, In Chriſti nomine incipiunt homilias S. Aguſtini epiſcopi & conf. *præmiſſa capitulatione ſingularum homiliarum. Pleræque ex his homiliis vulgatæ ſunt inter opera Ambroſii, Auguſtini, & Maximi prædicti : ſed neque Ambroſium, neque Auguſtinum ; omnes vero, aut fere omnes Maximum habent auctorem. Viginti & una inter eas ineditæ ſunt : quas rogatu noſtro deſcripſit religioſus & doctus Hermannus Shenkius, ſancti Galli bibliothecæ præfectus.*

III. *Ambroſianus codex, haud minus antiquus, charactere Langobardico exaratus eſt, ſed initio mutilus. Erant in eo codice homiliæ ferme LXXX. non omnes eædem atque in codice ſancti Galli ; quædam cum titulo* ſancti Maximi Taurinatis epiſcopi, *qui re vera earum eſt legitimus parens.*

IV. *In codice Romano ſanctæ Crucis, qui fuit olim monaſterii Nonantulenſis, ante annum Chriſti octingenteſimum* acquiſitus ab Anſelmo abbate, *continentur homiliæ LXXIII. ex quibus pleræque in ſancti Galli exemplari habentur. Inſcriptum erat in fronte codicis nomen auctoris : ſed, eo abraſo*, ſancti Ambroſii *nomen ſubſtitutum. Maxima pars tamen harum homiliarum ſunt Maximi : tametſi quædam aliæ Hieronymi & Auguſtini ſub eorum nomine inſertæ ſunt.*

V. *Ex his tribus codicibus, quantumvis antiquis, non eruitur certa & explorata notitia omnium ſancti Maximi homiliarum. ſiquidem ſancti-Gallenſis eas ſub Auguſtini falſo titulo adducit : ſanctæ Crucis codex, deleto veri auctoris nomine, Ambroſium præfert : unus Ambroſianus Maximo quaſdam aſſignat, ſed paucas, ut poſtea videbimus. Verum ex aliis indiciis, maxime ex Gennadio intelligimus, omnes, aut propemodum omnes, præſertim quæ in codice ſancti Galli exhibentur, Maximo eſſe tribuendas. Et quidem ita ſimul connexæ & colligatæ ſunt, ut ſi unarum auctor exploratus habeatur, de aliis conſequens futurum ſit judicium. Auctor quippe paſſim homiliæ præcedentis in ſubſequenti mentionem facit. Atqui pleræque Maximum uti legitimum parentem agnoſcunt, utpote quas Gennadius manifeſte deſignavit. Hoc in numero eas eſſe, quas nunc primum in lucem proferimus, ex ſubjectis obſervationibus quivis facile animadvertere poterit.*

VI. *Maximus, Taurinenſis eccleſiæ epiſcopus, teſtante Gennadio, homilias ſcripſit* de hoſtibus carnalibus non timendis. *Una eſt hoc titulo inter vulgatas Maximi homilias. Prima ex duodecim a nobis edenda ejuſdem eſt argumenti, referturque ad præcedentem his verbis*, Sæpe dixiſſe memini, quod hos tumultus bellicos minime timere debemus &c. *Ad idem argumentum revocanda eſt homilia, quæ inter Ambroſianas de ſanctis eſt* XXIV. *in codice ſancti Galli inſcripta de* tumultis bellicoſis. *Quinam fuerint illi Barbari, facile eſſet definire, ſi de Maximi ætate conſtaret. At incertum eſt mortis ejus tempus.* Moritur, *ſi Gennadio fides*, Honorio & Theodoſio juniore regnantibus, *id eſt ante annum Chriſti* CCCCXXIII. *quo Honorius deceſſit. Miræus* promoritur *reponit* floruit. *At priorem lectionem præfert vetuſtiſſimus codex noſter Corbeienſis, litteris Francogallicis ſcriptus. Verumtamen Maximus Taurinenſis antiſtes anno* CCCC LIII *ſynodicæ Euſebii Mediolanenſis ad Leonem M. epiſtolæ ſubſcripſit; immo anno* CCCC LXV *Concilio Romano ſub Hilario Papa, & quidem primus ante omnes, etiam ante archiepiſcopos Ebredunenſem & Mediolanenſem. Itaque dicendum eſt, aut duos fuiſſe ejuſdem nominis eodem ſæculo Taurinenſes epiſcopos; aut, ſi unicus fuit, Gennadium in deſignando Maximi obitu a vero aberraſſe: qui tamen illis temporibus proximus erat. Quamquam quod Maximus primus poſt Papam Synodo Romanæ ſubſcripſit, inde colligitur eum antiquitate ceteris ejuſdem Synodi epiſcopis ſuperiorem fuiſſe.*

VII. *Duæ ſequentes homiliæ, quas edimus, eumdem ac prima auctorem exigunt, ut ex conſecutione patet. Exſtant hæ tres homiliæ in codicibus Ambroſiano & ſancti Galli.*

VIII. *Gennadius Maximo noſtro tribuit homilias* de pænitentia Ninivitarum. *In vulgatis una eſt* de Ninivitis; *ad quam noſtra homilia* IV *reſpicit ſub hoc initio*, Diximus anteriore Dominica, Ninivitas &c. *Habetur utraque in iiſdem, qui modo laudati ſunt, codicibus.*

IX. *Homilia quinta* de Kalendis Januariis *totidem verbis ſignatur a Gennadio. Vna eſt inter editas ejuſdem tituli & argumenti; una item apud Ambroſium, quæ eſt homilia* XI. *de tempore: cui melius noſtra reſpondet. Nam quæ apud Maximum legitur, auditores ſuos jam dudum a vitiis illis Kalendarum temperaſſe teſtatur: contra vero tum noſtra, tum Ambroſiana. Noſtra porro ſuperiores homilias conſequitur in codice Ambroſiano, in quo item ſuccedit ſequens* de defectu lunæ, *quæ a Gennadio etiam no-*

tatur. Alius ordo eſt in codicibus ſanctæ Crucis & ſancti Galli.

X. *Homiliæ tres* de Natali Domini; *quem titulum Gennadius ſuggerit, an præferendæ ſint iis quæ apud Maximum leguntur, an ſimul cum illis admittendæ, malumus aliorum judicio quam noſtro definiri. Quamquam noſtræ plus ſucci quam aliæ præferunt.*

XI. *Homilia decima e noſtris, quæ eſt* de hæreticis peccata vendentibus, *reperitur abſque auctoris nomine in uno codice ſancti Galli, quem ab annis mille calamo exaratum fuiſſe jam diximus. Nullam hoc titulo Maximi homiliam ſuggerit Gennadius, niſi forte confuſe his verbis:* Multas alias ejus homilias de diverſis legi, quæ nec retineo. *Certe cum proxime antecedentes in codice ſancti Galli, ac ſubſequentes Maximum auctorem habeant; idem etiam de hac homilia judicium ferendum videtur, maxime cum ſtilus ſit uniformis. Qui autem fuerint illi hæretici, nobis haud liquet.*

XII. *Homilia noſtra undecima* contra clericos negotiatores, *incipit ab his verbis:* Reprehendimus ante diem negotiationem clericos exercentes. Sed ſi recte conſideramus officium, non vere negotium eſt, ſed functio &c. *Hæc homilia videtur reſpondere homiliæ* LVI *de tempore apud Ambroſium, ſub cujus finem hæc leguntur.* Nam & catholicus clericus hac ſententia retinetur. Si enim non contentus ſtipendiis fuerit, quæ de altario Domino jubente conſequitur, ſed exercet mercimonia, interceſſiones vendit, viduarum munera libenter amplectitur; hic negotiator magis poteſt videri quam clericus. *Quod ſi ita eſt, utraque Maximo vindicanda. Noſtra enim manifeſte pertinet ad illam, quæ apud Maximum extrema eſt, in illud Iſaïæ,* Caupones tui miſcent aquam vino, *quæ a Gennadio diſerte ſignata eſt. Hæc enim incipit ab his verbis:* Non incommode ante dies paucos proſecuti ſumus, functionem hanc ſacerdotalem vicem quamdam negotii retinere, & quæſtum eſſe non modicum hoc clericatus officium. *quæ ipſa verba ſunt in homilia noſtra* XI. *ad quam proinde reſpicit indubitata hæc Maximi homilia.*

XIII. *Homilia e noſtris duodecima ejuſdem eſt auctoris. Maximus quippe, ex Gennadio, ſcripſit homilias* de ſepulcro Domini. *Maximi editi libri duas habent hujuſce argumenti: in quarum altera, quæ eſt* de Cruce & ſepultura Domini ſecunda, *referuntur ipſiſſima homiliæ noſtræ verba ab his verbis,* Sed

videamus de hoc ipſo Domini corpore &c. *Hæc de homiliis ſequentibus a nobis edendis: quas ex aliis pluribus ſelegimus.*

XIV. *In codice Ambroſiano una eſt* Humilia ſancti Maximi Taurinatis epiſcopi de natale ſanctorum Martyrum. *Incipit hoc modo:* Sicut ſcimus, fratres, vota ſemper Domini ſubſequitur feſtivitas ſervulorum &c. *quam in editis non invenimus. Item poſt homilias duas de ſanctis Alexandro & Siſinnio, quos* poſt obitum ſancti Ambroſii *martyrio affectos fuiſſe Paulinus auctor eſt*, Humilia ſancti Maximi de ſancto Euſebio martyre Vercellenſi. *Incipit*, Ad ſancti Euſebii laudem aliquid addere velle, decerpere eſt, &c. *ut apud Ambroſium, rectius quam apud Maximum. Sequitur*, Item dictum Vercellis. Dum ad obſequia venerandæ recordationis, communiſque patris noſtri Euſebii, confeſſionis ejus honore convenimus *&c.* Item de S. Euſebio & de Maccabæis, quod primo dictum eſt Vercellis. Licet me, fratres, debitum caritati veſtræ exhibere ſermonem imperitia pudorque revocet *&c.* Item de S. Confeſſore Euſebio & Maccabæis. Ad celebritatem præſentis diei, fratres cariſſimi, omni nos cum alacritate concurrere devotio geminæ feſtivitatis invitat *&c. Denique ſequitur alia homilia ſub hoc exordio:* Quamquam, dilectiſſimi fratres, beati patris noſtri ſummi ſacerdotis & confeſſoris Euſebii indignus ſum filius & minimus ſervus &c. *ubi ad marginem appoſitum eſt antiquiſſimo charactere:* Nota quod Vercellinus eſt iſte. *Hic exhibendi eſſent cum cenſura indices homiliarum, quæ in prædictis tribus codicibus continentur: ſed hæc aliud tempus, aliudque otium exigunt.*

XV. *Illud tamen in tranſcurſu obſervare juvat, libros ſex vulgatos* de Sacramentis, *qui Ambroſio in editis tribuuntur, abſque auctoris nomine inſeri ſermonibus prædictis in codice ſancti Galli, atque in ſermones ſeptem diſtribui ſub hoc titulo,* Incipit prima die in Paſcha: *ita ut ſinguli ſex libri ſingulos ſermones conſtituant pro totidem hebdomadæ diebus; & quidem ſeptimus ab extrema parte libri ſexti incipiat, id eſt ab his verbis:* Aliud, Pſalmorum David licet unus libellus ſit, &c. *Sed forte majoris momenti erit, quod in ſermone quarto, qui in editis liber quartus eſt, idem codex ita habet:* Vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Ergo ſi tanta vis eſt in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe quæ non erant: quanto magis operatorius eſt ut ſint, & in aliud commutentur. *cum in vulgatis poſtremum membrum ſic legatur,*

ut quæ erant, in aliud commutentur. *Ex his duabus lectionibus unam conflabat Berengarius, a Lanfranco relatus in Dialogo contra ipſum, ubi eum ita loquentem inducit.* Per conſecrationem altaris fiunt panis & vinum Sacramentum religionis: non ut deſinant eſſe quæ erant, ſed UT SINT QUÆ ERANT, ET IN ALIUD COMMUTENTUR. quod dicit beatus Ambroſius in libro de Sacramentis. *Lanfrancus expoſito hoc loco ita, ut a Berengario objiciebatur, ſubdit*, in quibuſdam codicibus præfatam ſententiam verbis aliis inveniri; *nempe iiſdem omnino verbis, quæ modo editi habent. Iam vero per id tempus prædictum opus de Sacramentis in ſex libros diſtributum erat, eoque modo a Lanfranco adducitur.*

XVI. *Revertor ad Maximum, cujus ſermones, prout ſub ejus nomine vulgati ſunt, plerique Maximum auctorem habent, atque adeo eidem vindicandi quotquot ex his Ambroſio inter ejus opera ſupponuntur: ubi pauci admodum Ambroſio, longe plures Maximo adſcribi debent. Quamquam & alii ſunt, quos nec Ambroſio, nec Maximo tribuere poſſumus, ſed poſterioribus auctoribus: quales ſunt ſermones ſecundus ac tertius de Adventu; item ſermones* XXII *&* XXIII *de Septuageſima & Sexageſima: quæ vocabula Maximi, nedum Ambroſii tempore ignota erant; uti & nomen Adventus pro certo illo dierum numero, quos ante Natale Domini celebrari mos eſt. Non ergo dixiſſet Ambroſius aut Maximus, quod initio ſermonis ſecundi de Adventu legitur*, Hoc tempus non immerito Adventus Domini vocatur: *neque his verbis ſermonis* XXII *uſi fuiſſent*, In toto anno non dicitur ulla dies Septuageſima, niſi iſta; nec Sexageſima, niſi ſequens Dominica; neque Quinquageſima, niſi abhinc tertia. *Et certe ſermo* XXXI *de tempore apud Ambroſium Septuageſimam & Sexageſimam adeo non admittit, ut reprehendat eos, qui Quinquageſimam Quadrageſimæ addebant. Similis oppoſitio exſtat inter ſermones* XXVI *&* XXXIV. *In hoc enim ſoli Dominici dies a jejunio Quadrageſimali excipiuntur: in illo vero etiam ſabbatum, ad ritum eccleſiæ Mediolanenſis. Adde quod in illo ſermone* XXVI *jejunium in Quadrageſima præſcribitur dumtaxat ad nonam. quod eſt contra ipſum Ambroſium, & contra veterum temporum diſciplinam, in quibus jejunium Quadrageſimale non ante veſperam ſolvi licebat. Hinc intelligitur, rem Eccleſiæ haud inutilem facturos ſodales noſtros, qui Ambroſianos ſermones, adeo turbatos & confuſos, cum accurato delectu propediem edituri ſunt.*

Homilia

HOMILIÆ S. MAXIMI EPISCOPI TAURINENSIS.

HOMILIA I.

De Barbaris non timendis ei qui Deum timet, & de ſancto Heliſæo.

SÆpe dixiſſe memini, quod hos tumultus bellicos timere minime debemus, nec quamlibet copioſam hoſtium multitudinem formidare; quoniam, ſicut ait Dominus, *major eſt qui in nobis eſt, quam qui in hoc mundo.* Hoc eſt, potentior eſt ad protegendos famulos ſuos Chriſtus, quam diabolus ad inſtigandum. Quamvis enim idem diabolus colligat ſibi turbas, & crudeli eas armet inſania; tamen facile deſtruuntur, quia melioribus populum ſuum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Quod ſi Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non poteſt timere barbarum, qui timuerit Salvatorem; nec poteſt metuere hoſtis impetus, qui Chriſti præcepta ſervaverit. Præcepta enim Chriſti arma ſunt Chriſtiani: & divinus timor terrorem à nobis expellit hoſtilem. Arma autem hæc noſtra ſunt, quibus nos Salvator inſtruxit: Oratio miſericordia, atque jejunium. Jeju-

nium enim melius quam murus tuetur: miſericordia facilius liberat quam rapina: oratio longius vulnerat quam ſagitta. Sagitta enim nonniſi proxime conſpectum percutit adverſarium: oratio autem etiam longe poſitum vulnerat inimicum. Sic namque ſanctus Heliſæus propheta cum vellet eum Rex Syriæ captivare, ac ſuæ ſubdere ditioni, multiſque eum armatorum cinxiſſet agminibus; non eſt territus, non turbatus: ſed ait nuntianti puero, *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis.* O fidelis ſanctus Propheta! Non timet adverſarios, quos perſpicit: quoniam ſcit Angelos ſecum eſſe, quos credit. Non metuit terrenas inſidias, quia cæleſtia adeſſe ſibi novit auxilia. Plures enim nobiſcum ſunt, quam cum illis. Mira res! plures de cælo defenſores meretur ſanctitas, quam in terris obpugnatores adduxit improbitas. Plures nobiſcum ſunt quam cum illis. Beatitudinis meritum propheta nuntiat etiam de multitudine, cum puer adhuc incertus ſit de ſalute. Spiritales oculi carnalibus quantum plus cernunt! Hic perſpicit armatorum numerum, & ille non cernit defenſionis indicium. Quanta eſt divina miſericordia! Defertur hominibus beneficium, nec videtur: auxilium periclitantes conſequuntur, & neſciunt. Hæc eſt enim pietas Salvatoris, ut interveniat ſaluti, ac non ſe prodat adfectui: ſentiatur beneficiis, & non cernatur obtutibus. Unde errat qui putat, cum proſpere aliquid geſſerit, propria ſe fortitudine ſuperaſſe. Scire enim debet, quod adverſarii meritis magis quam virtute vincuntur: & non tam virtute, quam ſanctitate ſuperantur: ſicut ſanctus Heliſæus hoſtes ſuos non armis ſuperabat, ſed oratione vincebat. Nam cum idem miniſtro ſuo, ad depellendum ejus timorem, plures adeſſe diceret defenſores, nec metus ab illo poſſet auferri; tunc oravit ad Dominum dicens: *Domine aperi oculos ejus, ut videat. Et aperti ſunt oculi ejus, & vidit, & ecce mons totus plenus equitum*, & reliqua. Oratio ergo Prophetæ aperuit oculos pueri. Non mirum ſi oratio aperuit oculos ut videret exercitum, quæ aperuit cælum ut veniret exercitus. Non mirum inquam, ſi novos ſenſerit oculos, qui nova promeretur auxilia. Aut cur non aciem producat obtutuum, qui acies inſtruxit Angelorum? cur, inquam, non orationis ſua habitudine aciem popillarum dirigeret, qui meritis caliginem nubium penetravit? Neceſſario ergo ſanctus Heliſæus hoc facto miniſtro formidoloſo præſtitit ſecuritatem, cui jam refuderat claritatem; & removit ab eo formi-

dinem cordis, à quo removerat viſionis cæcitatem : geminoque eum remunerans beneficio, abſolvit ejus metum, & abſolvit obtutum. Minus timere cœpit, poſtquam plus videre promeruit, & viſum. In montibus ergo cernuntur armati. Apparet eos verè deſcendiſſe de cælo, quorum adventus primum in montibus eſſe reperitur. Ipſa enim locorum proximitas hoc demonſtrat, quod deſcendentes de cælo non niſi juga collium ſibi vicina calcaverint. Tunc igitur oravit Heliſæus, & omnem hoſtilem exercitum cæcitate percuſſit. Non mirum ſi adverſariis cæcitatem intulit, qui famulo largitus eſt claritatem : & ſi hoſtibus auferret viſum, qui miniſtro præſtitit aſpectum. Ubi ſunt qui dicunt pluſquam preces ſanctorum hominum arma poſſe? Ecce una oratio Heliſæi totum exercitum vulneravit, & unius Prophetæ meritis omnis eſt hoſtium numerus captivatus. Quæ catervæ Regum, quæ turbæ militum talem victoriam perpetrarunt, ut ita hoſtes proſternerent, ut de ipſis nullus obcumberet? Hæc eſt hæc incruenta victoria, ubi ſic adverſarius vincitur, ut de vincentibus nemo lædatur. *Explicit.*

HOMILIA II.

Item ſequentia.

MIrum forſitan videtur, quod ante dies ſancti Heliſæi gratiam deſcribentes diximus, in defenſionem ipſius de cælis auxilia deſcendiſſe, & armatos equites ſive quadrigas ei divinitus adfuiſſe; aſtitiſſe etiam circa ipſum quadrigam igneam. Magna quidem res, ſed in vero Sancto admiranda non eſt. Quid enim mirum, ſi auxilia meretur e cælo, cujus animus ſemper in cælo eſt? ſicut ait Paulus Apoſtolus: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt.* Ergo ſi noſtra converſatio eſt in cælis, & cæleſtium converſatio * poteſt nobiſcum: hoc eſt, ut qui vita vivimus Angelorum, recte eorum conſortium mereamur. Eſt enim ſancte viventibus quædam inter ſe cognatio, junctio, atque ſocietas: nec intereſt utrum in cælis maneant, an in terris. Angelici ſint habitus an humani : dummodo in his ſit eadem vita vel ſanctitas, converſatio connectit, quos ſeparat elementum; & diverſis licet corporibus dividantur, iiſdem tamen actibus conjunguntur. Atque ideo fit, ut ſancti ſibi quodam conſortio cohærentes a ſe invicem non diſcedant, & modo

* *ſ.* patet.

Angeli ad terras veniant, modo homines ad cæleſtia transferantur: ac profectu meliore, quibus vita communis eſt, incipiunt illis vivendi etiam elementa eſſe communia.

Sed dicit aliquis: frequenter audivimus Angelos ad homines deſcendiſſe: audire etiam cupimus, quando homines ad cæleſtia transmigrarint. Manifeſta res eſt, & in promptu poſita. Helias magiſter Heliſæi, nonne Angelis ducentibus raptus ad cælum eſt, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit? Victor enim exſtiterat non gentium barbararum, ſed ſæcularium voluptatum. ſiquidem graviores inimici ſunt pravi mores, quam hoſtes infeſti; & facilius intelligimus hoc tempore malignitatem hoſtium vinci poſſe, quam morum. Ergo Heliam Angeli ad cælum perferunt, Heliſæum Angeli in terris cuſtodiunt. Quid mirum ſi Angeli, qui magiſtrum portaverant, diſcipulum tuebantur, & novitia quædam obſequia, quæ patri exhibuerant, etiam filio deferant? Ipſe enim Heliæ ſpiritalis eſt filius, ipſe enim heres eſt ſanctitatis. Recte autem Heliſæus Heliæ ſpiritalis filius dicitur, quia aſcendens ad cælum ſpiritum duplicem ei ſuæ gratiæ dereliquit. Cum enim data eſſet facultas, Heliſæo, ut peteret quod vellet, antequam ab eo * reciperetur Helias; petivit ut duplex ſpiritus Heliæ fieret in ipſo. Tunc dixit Helias: *Dura petis, ſed fiet tibi.* O hereditas pretioſa, in qua plus heredi relinquitur, quam habetur; plus conſequitur qui accipit, quam poſſederit qui largitur. Pretioſa plane hereditas, quæ dum a patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur. Igitur Helias cum ſymbolum ſanctitatis ipſe haberet, ſpiritum Heliſæo duplicem dereliquit. Mirum ergo in modum Helias plus gratiæ dimiſit in terris, quam ſecum portavit ad cælos: & licet ipſe ad altiora latus transferretur corpore, apud filium tamen major remanet ſanctitate.

* f. raperetur.

De Heliſæi autem meritis quid dicamus? cujus hæc prima laus eſt, quod patrem voluit gratia ſuperare, dum dari ſibi amplius poſtulat, quam ſcit apud eum eſſe qui poſſidet. Avarus quidem eſt in petendo; ſed idoneus in promerendo. Dum enim a patre plus exigit quam habebat, fecit eum meritis ſuis plus præſtare quam poterat. Nam cum idem Heliſæus poſt aſcenſum magiſtri ſui veniſſet Hiericho, & rogatus a civibus ut in eadem conſiſteret civitate, dixerunt ad illum, *Commoratio opidi bona eſt, ſed aquæ malæ & ſteriles ſunt*; tunc præcepit ſibi dari vas

fictile; & in eo reconditos ſales, veniens ad exitus aquarum, projicit in aquas dicens: *Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas iſtas, non erit ex his moriens, nec ſterilis. Et ſanatæ ſunt aquæ in hunc diem.* Videte ergo Heliſæi quanta ſint merita, cujus prima in civitate hoſpitalitas filiorum eſt magna fecunditas. Dum enim ſterilitatem avertit aquarum, ſucceſſionem largitur heredum. Non enim hoc facto Heliſæus unum ſanavit hominem, aut unius domui præſtitit medicinam, ſed totius civitatis populum reparavit. Si enim tardius hoc feciſſet, interveniente ſterilitate, ſeneſcentibus cunctis, civitas ſine habitatore remanſerat.

Igitur Heliſæus, dum curavit aquas, curavit & plebem; dum fontem benedixit undarum, quemdam fontem indulſit animarum. Nam ſicut ſanctificatione ejus de occultis terræ venis aqua ſana prodivit, ita de occultis vulvæ viſceribus ſoboles ſana proceſſit. Non enim ſola tantum fluenta benedixit Heliſæus. Aquæ fontium jam gremio tenebantur: ſed & illa, quæ humido terræ ſolo adhuc indiſcreta paulatim erant, in poſterum defluxerunt. Unde ait Scriptura, ad exitus aquarum benedixiſſe Heliſæum, ut ſtillantem aquam prius ſanctificatio ſuſciperet, quam ſinus fontis includeret.

Igitur quoniam dicit S. Paulus Apoſtolus, *Hæc in figura contingebant illis*; videamus hæc ipſa figura quam habet veritatem: hoc eſt, requiramus quæ ſit iſta civitas, quæ ſterilitate laborans; vel quid ſibi velit vas fictile; quid etiam ut aſperſi ſales afferant ſuavitatem. Legimus in eodem Apoſtolo dictum de Eccleſia: *Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis.* Ergo Eccleſia eſt illa ſterilis civitas, quæ ante adventum Chriſti aquarum vitio, hoc eſt ſacrilegio gentilium populorum, ſterilitatem ſuſtinens, Deo filios procreare non potuit. At ubi venit Chriſtus, velut vas fictile adſumens corpus humanum, vitia ſanavit aquarum, hoc eſt reſecavit ſacrilegia populorum; ſtatim Eccleſia quæ erat ſterilis, cœpit eſſe fecunda. Unde & Apoſtolus dicit, *Lætare ſterilis*: ut plures etiam filios ex eo Eccleſia quam fecunda ſuſciperet. Aſperſi autem qui ſunt, qui attulerunt medicinam, facile cognoſcimus. Dicit Dominus ad Apoſtolos: *Vos eſtis ſal terræ.* Ergo ſi Apoſtoli ſalibus comparati ſunt, rectè figura completur. Sicut tunc effuſi de vaſculo ſales condierunt aquas, ita & nunc miſſi a Salvatore Apoſtoli condiunt univerſos; & ablata ſterilitate vitiorum, prolem incipiunt germinare virtutum. *Explicit.*

HOMILIA III.

Item ſequentia.

MEminit veſtra dilectio, hoc nos ſuperiore Dominica prædicaſſe, ut bonis actibus, aſſiduis orationibus portas nobis juſtitiæ reſeraremus, ac frequentibus eleemoſynis, velut vallo nos miſericordiæ muniremus. Murus enim quidam inexpugnabilis eſt contra adverſarium, reſiſtere eleemoſynis, dimicare jejuniis. Quamvis enim inimici arma ſint valida, fortiora tamen hæc arma ſunt Salvatoris: quibus qui indutus fuerit, licet inermis oculis hominum videatur, ſatis tamen armatus eſt: quia eum divinitas ſumma cuſtodit. Bonum eſt igitur in tribulatione orare, jejunare, pſallere, miſereri. His enim telis, ſicut David exemplum contra Goliam protulimus, ſolent adverſarios ſuos vincere Chriſtiani, his armis civitatis mœnia cuſtodire. Dicit enim ſanctus Propheta: *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vano vigilant qui cuſtodiunt eam.* In vanum ergo iſte vigilat, qui putat cura ſe armare civitatem, cum ipſe fidei arma non habeat. In vanum planè laborat, qui æſtimat ſe tuitionem alii parare poſſe, cum ipſe ſit Dei gratia deſtitutus. Ait Dominus in Evangelio: *Medice cura te ipſum.* Hoc exemplo dicendum eſt: Prius tu homo tuæ conſule ſaluti, ut poſſis ſaluti providere multorum. Ceterum cum te imbecillem & infirmum videam, ac divinitatis auxilio deſtitutum, non ſolum civitatis quæ per te paratur cuſtodia non confido; ſed etiam vereor, ne conturbet tua deſperatio civitatem.

Tunc ergo civitas munita eſt, quando eam magis Deus ipſe cuſtodit: tunc autem eam cuſtodit Deus, ſicut ſcriptum eſt, quando habitantes in ea ſunt omnes moderati, graves, Chriſtiani, atque catholici. Neceſſe eſt enim, ut iſtam civitatem conſervet Deus, in qua de præceptis ſuis invenit quod reſervet. Ceterum ubi eſt luxuria, perfidia, atque blaſphemia; illam civitatem non ſervat Dominus: ne non tam civitas, quam in ea quæ ſunt peccata ſerventur. Ergo qui in nomine Domini munitionem præparat civitati, iſte vere ſecuritatem civibus parat. Nam qui ſine Dei gratia munitionem urbi conſtituere conatur, is vulpium more videtur foveæ ſibi latibulum præparare. Nonne enim iſte tamquam vulpis in ea fovea eſt, qui ter-

ram jugiter fodit, cælum omnino non reſpicit? Ait enim Dominus, ſicut lectum nuper audivimus: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos ubi requieſcant: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* quæ ſententia quem intellectum habeat, diligentius intendamus. Non enim de ipſo ſpecialiter animali locutus eſt Dominus: ſed de his hominibus, qui verſuti ſemper & callidi, vulpes moribus ſemper imitari ſtudent: dum aliena fraudulenter diripiunt, foveam ſibi perditionis effodiunt: atque ideo caput Chriſti, quod eſt Deus, habitaculum in his non poteſt invenire, quia ipſi habitant in defoſſis.

Quod autem ſpecialiter hæretici vulpibus comparantur, nulla cunctatio eſt. Sunt enim, ſicut vulpes, doloſi, importuni, & timidi: ubi quietem ſenſerint, ibi rabiem ſuæ levitatis exercent: ubi vigilantiam reperiunt, exinde doloſa fraude diffugiunt. Nam ſicut memoratum animal ſemper eſt fallax, ſemper incertum, nec aliquando morum poteſt mutare verſutiam: ita & omnis hæreticus ſemper fallax, ſemper incertus eſt: & cum tecum videatur ſimpliciter loqui, mutat verba, ſed non mutat mores; modeſtiam ſermone promittit, rabiem corde depromit. Vulpis cauda fallit, hæreticus lingua circumvenit: vulpis manſuetudinem animalibus fingit, ut capiat; hæreticus moderationem hominibus promittit, ut noceat: illa ante proludit, ut jugulet; hic prius blanditur ut exſpoliet. Familiare autem vulpi eſt, gallinæ ſemper inſidiari & pullis: ut ſi a matre quiſpiam longius abierit, in ejus prædam captetur. ita & hæreticus matri Eccleſiæ ſemper inſidiatur & filiis: ut ſi forte aliquem negligentiorem invenerit, ſua illum rabie circumſcribat.

Quod autem gallinæ recte comparetur Eccleſia, in Evangelio legimus, dicente Domino ad Hieruſalem: *Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas?* Recte autem comparatur gallina Eccleſiæ. Sicut enim non ſolum ſuos filios nutrit, ſed etiam alienos ſuſcipit venientes: ita & gallina non ſolum eos nutrit, quos ipſa excluſerit; ſed etiam adpoſitos ſibi educat alienos. Igitur, fratres, armemus nos per hanc hebdomadam jejuniis, orationibus, atque vigiliis: ut interveniente miſericordia Dei, & barbarorum repellamus feritatem, & hæreticorum inſidias retundamus.

Explicit.

HOMILIA IV.

De Ninivitis.

DIximus anteriore Dominica, Ninivitas in tribulatione poſitos Divinitatis miſericordiam per abſtinentiam meruiſſe, & civitatem ſuam de periculo jejuniis liberaſſe; tantæque eos fuiſſe ſapientiæ, ut non alienis ſe præſidiis defenderent, ſed propria devotione ſalvarent. Nam non ſtatim deſperaverunt de ſalute ſua. Audierunt a Propheta cum civitatis ſe mœnibus ſubvertendos. Sed quanto proximum adnuntiabatur excidium, tanto magis religioſis actibus armabatur; nec reliquerunt evertendam civitatem ſuam, ſed in ea potius permanſerunt, ſapientes ſcilicet, ut quæ civium vexabatur peccatis, civium orationibus ſalvaretur: & cui perditionem mala converſatio intulerat, ei ſalutem devotio religioſa conferret. Juſtum enim erat, ut quos fuerat paſſa peccatores, eoſdem haberet proprios defenſores. Civitati enim nonniſi propter civium peccatum infertur excidium.

Deſine ergo peccare, & civitas non peribit. Quid fugis patriam? ſi vis ſalvus eſſe, tua potius peccata ſubterfuge. Si tu peccare deſieris, victus eſt inimicus. Dicit ad Abraham Scriptura divina, per decem juſtos patriam poſſe ſalvari. Igitur ſi juſti ſunt qui ſalvam faciunt patriam; utique injuſti ſunt qui relinquunt: & ſi illi propter præſentiam ſuam conſequuntur gratiam, neceſſe eſt, ut hii propter fugam deſolationem mereantur. Injuſtus plane & impius eſt filius, qui periclitantem deſerit matrem. Mater enim quodammodo dulcis eſt patria, quæ te genuit, quæ te nutrivit; quæ ut fugere poſſis, te divitem fecit. Nam ſi non tibi ſuppeteret ſumptuum copioſa ſubſtantia, fugæ præſidium non haberes: atque ideo avaritia ductus, dum metuis divitias tuas perdere, impius in matrem eſſe non dubitas. Unde intelligimus, plus pecuniæ tuæ conſulere, quam ſaluti. Dic mihi, o bone civis, cur fugere diſponis? cur patriam derelinquis? Captivitatem fortaſſe metuis. Da veniam, non intelligis. Neſcis quod hæc eſt prima captivitas, patriam non videre, & (quod gravius eſt omni malo) hoſtile peregrinationis exſilium ſuſtinere? Solet qui aliquid ſceleris amiſerit, hujuſmodi pœna damnari, ut pellatur patria, regionibus

nibus incognitis relegetur. Hoc igitur malum propria tibi provides voluntate, quod ſolet ſupplicii cauſa damnatus excipere.

Sed ponamus te forti eſſe animo, & æquanimiter tolerare poſſe peregrinationis injuriam. Dic mihi, qua inter extraneos libertate victurus es? Nonne cum loqui cœperis, objicietur tibi, unde iſte exulat? unde iſte fugitivus advenit? an & noſtram civitatem opprimere nititur, ſicut patriam ſuam oppreſſit? Ita aporiaberis, ita conturbaberis, ut libertati tuæ metuens verearis, ne ingenuitati tuæ ibi non invenias adſertorem. Mihi crede, in aliena patria tanta auditurus es, quanta in tua patria aliis ſæpe dixiſti.

Illud autem nolo dicere, quod quamvis dives ſis in patria tua, quamvis copiis perfruaris, ſtatim ut exieris de domo tua, mendicus & pauper es. Dicit ergo Deus ad Abraham, per decem juſtos civitatem poſſe ſalvari. Male igitur de te ſentis, popule Chriſtiane, ſi in tanto cœtu ad ſalvandam civitatem decem juſtos eſſe non credis. Dum enim deſeris patriam, profiteris non in ea eſſe dignos, quorum meritis liberetur. At ego vereor ne omnibus in ea juſtis relictis, tu ſolus qui deſeris, inveniaris injuſtus. Sed nolo decem juſtorum numero te perturbes. Legimus autem quod de Sodomitarum excidio meritis ſuis Loth ſolus liberaverit civitatem: quod plus valuerit ad ſalvandum unius gratia, quam ad evertendum peccata multorum. Exeunti enim illi de Sodomis, hoſpitii cauſa Segor parva conceditur. Quod ſi juſto hoſpiti donatur civitas, quanto magis juſto patria conceditur poſſeſſori? *Explicit.*

HOMILIA V.

Incipit de Kalendis Ianuariis.

BEne quodammodo Deo providente diſpoſitum eſt, ut inter medias gentilium feſtivitates Chriſtus Dominus oriretur, & inter ipſas tenebroſas ſuperſtitiones errorum veri luminis ſplendor effulgeret: ut perſpicientes homines in vanis ſuperſtitionibus ſuis puræ divinitatis emicuiſſe juſtitiam, præterita oblivifcerentur ſacrilegia, futura non colerent. Quis enim ſapiens, qui Dominici Natalis intelligit ſacramentum, non ebrietatem condemnet Saturnalium, non declinet laſciviam Kalendarum; & partem cupiens habere cum Chriſto, particeps

nolit eſſe cum ſæculo? Hæc enim divini cultus ratio eſt, ut qui ſocietatem habuerit cum vanitate gentilium, copulam non poſſit habere cum veritate Sanctorum. Dicit beatus Apoſtolus: *Quæ portio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis cum tenebris?* hoc eſt pariter Chriſtianos & iniquitatis exercere luxuriam, & Deum juſtitiæ habere placatum.

Nam ſunt plerique, qui trahentes conſuetudinem de veteri ſuperſtitione vanitatis, Kalendarum diem pro ſumma feſtivitate procurent: & ſic lætitiam habere velint, ut ſit magis illis triſtitia. Nam ita laſciviunt, ita vino & epulis ſatiantur, ut qui toto anno caſtus & temperans fuerit, illa die ſit temulentus atque pollutus: & quod niſi ita fecerit, putet perdidiſſe ſe ferias; quia non intellegit per tales ſe ferias perdidiſſe ſalutem.

Illud autem quale eſt, quod ſurgentes mature ad publicum, cum munuſculo, hoc eſt cum ſtrenis, unuſquiſque procedit: & ſalutaturus amicum, ſalutat illum præmio antequàm oſculo? Labiis labia porrigit, & manui manum inſerit: non ut amoris reddat affectum, ſed ut avaritiæ perſolvat obſequium; & uno eodemque officio amicum complectitur, & fraudatur. Vos judicate, quale eſt iſtud oſculum, quod venale eſt. nam quo precioſius emitur, tanto vilius æſtimatur. Quanti ante aurum potiorum indigni judicabuntur oſculo? Poſteaquam aurum refulſit in dextera, dignos illos facit præda, non gratia. Hoc autem in ipſa iniquitate quam injuſtum eſt, quod expectatur donare inferior potiori; & diviti cogitur ille largiri, qui quod largiatur forſitan mutuatur. Adhuc & ipſam munificentiam ſtrenas vocant, cum magis ſtrenuum quod... Cogitur, inquam, miſer donare, quod non habet; & munus offerre, pro quo filios ſuos obnoxios relinquat.

Sed & divites quique ſunt hac munificentia liberales: verum nec ipſi à peccato habentur immunes. Largitur enim dives cuicumque ſoli locupleti: dumque mendico denarium donare deſpexerit, Kalendis ad domum amici auro onuſtus properat, qui Natali Dominico ad eccleſiam vacuus & inanis advenit. Vides ergo quòd apud pleroſque plus eſt præſens adulatio, quam futura remuneratio. Libentius enim habent oſculum potioris, quàm gloriam Salvatoris. Quod oſculum, oſculum non dicendum eſt, quia venale eſt. Nam & Judas Scarioth tali oſculo oſculabatur Dominum, ſed hinc illum tradere conabatur.

Hoc autem quale eſt, quod interpoſita die, tam inani exordio velut incipientes vivere, ut auſpicia colligant, ominaque perquirant; & exinde totius anni ſibi vel proſperitatem, vel triſtitiam metiuntur? quæ cum inepta ſint & ridicula, tum illis ipſis ſunt vel inutilia, vel nociva. Nam proſperitatem non habent dum falluntur auguriis: triſtitiam ſemper habent, dum rememoratione omnium ſunt ſolliciti ne contingant. Hoc autem malis ſuis addunt, ut quaſi de auſpicatione domum redeuntes, ramuſculos geſtent in manibus, ſcilicet pro omine, ut vel onuſti ad hoſpitium redeant: non intelligentes miſeri, quod onuſti quidem redeunt, non ſarcina munerum, ſed cumulo peccatorum. *Finit.*

HOMILIA VI.

De defectu lunæ.

ANte dies proſecuti ſumus, fratres, adverſus illos qui putarent lunam de cælo magorum carminibus poſſe deduci: & eorum retudimus vanitatem, qui non minus defectum patiuntur animi, quam luminis patitur illa defectum. Quos & hortati ſumus, ut prætermiſſo errore gentili, tam citò ad ſapientiam redeant, quam citò ad plenitudinem ſuam illa revertitur: & ſicut velociter illa lumina recolligit, quod amiſerat; ita feſtinanter iſti fidem recipiant quam negarunt; & depoſita inſipientiæ nebula, incipiant lunam non jam oculo corporis æſtimare, ſed mentis; & ortum defectumque ejus intellegant ratione magis, quam infirmitate ſubſiſtere: quæ numquam tantam rebus cunctis mutationem daret, niſi eſſet illi hæc ratio a Creatore conlata. Ecce elementum maris luna deficiente ſubducitur, eadem creſcente cumulatur: ut ad motum ejus aut undæ intra ſe redeant, aut fluenta non capiant; ita ut quotiens luna mutatur in lumine, totiens maria mutentur in fluctibus. Denique dicuntur ipſa maris natantia in carne ſua pleniora eſſe, cum luna perfecta eſt; & exhauſta & deminuta, cum illa minuitur. Magna igitur lunæ ratio eſt, & magna præſtantia, quæ vigore ſuo ita elementa minuit, ut rurſus adimpleat: ita implet, ut denuo minuantur. Scilicet ut diverſis quibuſdam vicibus gratiæ ſit commutatio, dum reparatio fit perfecta. Et quantum verò terris largiatur augmentum, omnibus notum, quanto rore ſaltus refecit, quos

ſic diurnis horis ardor exuſſerat: & admiratione quadam, ardentibus æſtu rebus ſerenitate præſtat humorem. Novo enim genere, inluminante luna, madidam terram ſerenitas facit.

Grandis ergo ratio lunæ eſt, immo grande myſterium. Exinanit ſe lumine, ut univerſa recreet humore & imbre. Ita & Chriſtus Dominus exinanivit ſe divinitate, ut homines repleret
„ immortalitate. Unde ait beatus Apoſtolus: Qui cum in forma
„ Dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqua-
„ lem Deo: ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens. Exinanivit ergo ſe Chriſtus, ut vitam præſtet hominibus: evacuavit ſe, ut profectum tribuat elementis.

Sed legimus de Salvatore, quod ſol magis ſit ipſe juſtitiæ. Quomodo ergo eum lunæ motibus comparamus? Non magna plane diſtantia conveniunt ſibi iſta luminaria. Siquidem luna quadam fraternitate conſortii lumen mutuetur a ſole, & radiis lucis ejus repercuſſa, ſplendorem ſui fulgoris accipiat. unde ſi Chriſtus Dominus Soli rectius comparatur, lunam non niſi Eccleſiæ comparavimus. Nam ipſa, ſicut luna, ut inter gentes luceat, mutuatur lumen a Sole juſtitiæ & Chriſti radiis: hoc eſt, Apoſtolorum prædicationibus repercuſſa, ſplendorem ex eo immortalitatis adquirit. Fulget enim Eccleſia non ſuo, ſed Salvatoris lumine; & radiat, non proprio nitore, ſed Patris, ſicut Apoſtolus ait dicens: *Vivo autem, jam non ego, vivit in me Chriſtus.* & iterum, *ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

Recte plane lunæ comparatur Eccleſia: quoniam & ipſa nos lavacri rore perfundit, & terram corporis noſtri baptiſmatis humore vivificat. Recte lunæ comparatur Eccleſia: quia & ipſa augmentum adquirit, patiturque defectum. Minuitur enim ſæpe; frequenter augetur. Minuitur perſecutionibus, prædicationibus ampliatur. Decreſcit, cum minuitur filiis; creſcit, cum Martyribus coronatur: & eadem cauſa, quæ tribuit illi defectum, ipſa præſtat augmentum. Frequenter enim quos dolet perſecutores, ipſos recipit Confeſſores. Quotiens eam, ſicut lunam, putatis magorum carminibus laboraſſe? quotiens eam malæ artes de cæli regno deducere voluerunt?

Nam primum utique Jamnes & Mambres magi, cum Moyſi ſignis prodigiiſque reſiſterent, Eccleſiam ſubvertere cupiebant: ſed ſacris vocibus veneficorum carmen nocere non potuit. Nihil enim incantationes valent, ubi Chriſti canticum decantatur.
* Paulum Deinde cum apud Sergium * Paulinum proconſulem Simon

magus Paulum apoſtolum oppugnaret; utique Eccleſiæ vas temptabat, & veneficis artibus illum quaſſare cupiebat: ſed tanta ab illo virtute convictus eſt, ut non ſolum artis infirmitate, ſed etiam oculorum eum amiſſione cæcaret, & pariter illi auferret carmen & viſum. Non enim merebatur habere corporis oculos, qui mentis oculos non habebat. Quid autem dicamus de apoſtolo Petro? quia iterum Simonem, in Romana urbe Eccleſiæ fundamenta turbantem, orationum ſuarum ſoliditate proſtravit. Cum enim ille artibus magicis ſic elatus eſſet, ut etiam per aëris ſpatia volitaret; hic illum fidei virtute deicit, ut tanto altius caderet, quanto ſublimius evolaſſet. Vere enim Petrus tam ſolida petra ſaxi illum alliſione comminuit, ut qui ſibi regna cæleſtia promittebat, terrenæ mortis duritie periret. *Explicit.*

HOMILIA VII.

Incipit dictum ante Natale Domini.

ETiam ſi ego taceam, fratres, tempus nos admonet, quod Domini Chriſti Natalis in proximo eſt. nam prædicationem meam prævenit dierum extrema concluſio. Ipſis enim anguſtiis ſuis mundus loquitur imminere aliquid, quo in melius reparetur: & expectatione feſtina deſiderat, ut tenebras ſuas ſplendidioris Solis candor inluminet. Dum enim curſum ſuum brevitate horarum concludi metuit, ſpe quadam annum ſuum indicat reformari. Hæc igitur expectatio creaturæ, etiam nos expectare perſuadet, ut peccatorum noſtrorum tenebras novus ſol Chriſtus ortus inluminet, & longam in nobis caliginem delictorum juſtitiæ Sol nativitatis ſuæ vigore diſcutiat: nec patiatur curſum vitæ noſtræ tenebris vitæ concludi, ſed virtutis ſuæ gratia dilatari.

Igitur quia Natalem Domini etiam mundo indicante cognoſcimus, faciamus & nos quod mundus facere conſuevit: hoc eſt, ſicut in illa die mundus ſpatia ſuæ lucis extendit, ita & noſtram juſtitiam protendamus: & ſicut diei illius claritas pauperibus & divitibus communis eſt, ita & noſtra liberalitas peregrinis & indigentibus ſit communis: & ſicut tunc mundus noctium ſuarum recidit caliginem, ita & nos avaritiæ noſtræ tenebras amputemus: adque ad inſtar hiberni temporis, ſicut in ſegetibus ſolis vapore reſoluta gelu nutriuntur ſemina; ita

& in pectoribus noſtris reſoluta duritia, juſtitiæ ſemen tepefactum Salvatoris radio coaleſcat. Ergo, fratres, Natalem Domini ſuſcepturi, exornemus nos puris & nitidis indumentis. Animæ autem loquor indumenta, non carnis. Carnis enim indumentum vilis amictus eſt, animæ veſtimentum corpus eſt precioſum: illud humanis manibus * denſetum eſt, iſtud Dei manibus inſtitutum eſt. atque ideo majoris eſt ſollicitudinis Dei opus ſine macula cuſtodire, quam opera hominum impolluta ſervare. Mundanum enim veſtimentum, ſi ſordidum fuerit, poteſt illud fullo conductus eluere: animæ autem veſtimentum, ſi ſemel inquinatum fuerit, niſi propriis & aſſiduis operibus vix lavatur. Nihil ei prodeſt manus artificis, nihil fullonis operatio. Conſcientiæ enim membra polluta aqua abluere poteſt, non poteſt tamen mundare.

* *pro* denſatum.

Hæc ſunt animæ veſtimenta precioſa, quæ Marcus Evangeliſta in Salvatore conlaudat dicens: *Et veſtimenta ejus facta ſunt fulgentia, candida nimis velut nix, qualia fullo ſuper terram non poteſt facere.* Laudatur igitur Chriſti veſtimentum, quia nitebat, non textura, ſed gratia: laudatur indumentum, non quod ſtaminum ſubtilitate denſetum eſt, ſed quod corporis integritate conceptum: laudatur veſtimentum, non quod mulierum manus texuit, ſed quod Mariæ virginitas procreavit. Et ideo in eo magnificatur candoris gratia, quia immaculatum illud non artificis cura præſtiterat, qualia fullo, inquit, ſuper terram non poteſt facere. Non poteſt plane fullo Chriſti facere veſtimentum. Fullo enim præſtare poteſt nitorem, mundiciam, puritatem; præſtare autem non poteſt virginitatem, juſtitiam, bonitatem. Illud enim in arte eſt operis, iſtud eſt in natura virtutis. Hæc enim in Chriſto Domino ſanctus Evangeliſta virtutum indumenta conlaudat, quæ & beatus David pari ſententia prædicavit, dicens: *Myrrha, & gutta, & caſſia a veſtimentis tuis precioſis.* His enim aromatum odoribus ſanctarum ſignificantur indumenta virtutum.

Ergo, fratres, Natalem Domini ſuſcepturi, ab omni conſcientiam noſtram fæce mundemus. Accuremus nos, non ſericis veſtibus, ſed operibus precioſis. Veſtimenta enim nitida membra operire poſſunt, conſcientiam mundare non poſſunt: niſi quod majoris eſt verecundiæ nitidum membris incedere, & pollutum ſenſibus ambulare. Interioris igitur prius hominis ornemus affectum, ut exterioris quoque hominis ſit amictus orna-

tus. Spiritales maculas abluamus, ut carnalia in nobis fulgeant veſtimenta. Nihil autem prodeſt fulgere veſtibus, & ſordere flagitiis. Ubi enim conſcientia tenebroſa eſt, totum corpus obſcuratum eſt. Habemus autem quo conſcientiæ maculas abluamus. Scriptum eſt enim: *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Bonum eleemoſynæ mandatum, per quod manibus operamur ut corde mundemur. *Explicit.*

HOMILIA VIII.

Incipit de Natale Domini Salvatoris.

PRoxima Dominica dilectionem veſtram admonuimus, Fratres, de diei hujus adventu, in qua diximus nos Natalem Domini hodie etiam mundo teſte ſuſcipere. Mundus enim teſtimonium perhibet, dum naſcente Chriſto & ipſe renaſcitur. Renaſcitur enim, cum de profundis noctium tenebris partu quodam lucis eruitur. Renaſcitur, inquam, cum ejus defectio finitur, claritas reparatur. Atque ideo in ortu Chriſti oportet magis ortum ſæculi nos vocare. In hac enim die ad ſalvanda omnia oritur. Oritur enim die hac lux mundo, defunctis reſurrectio, vita mortalibus: ac propterea hodie non tam Salvatoris natalis eſt, quam ſalutis. Naſcitur ergo ſalus omnium Chriſtus, quem Regem gentium Prophetæ teſtantur: naſcitur ex virgine, ſicut Eſaïas declarat dicens: *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuhel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus.* Probat ergo veritatem Domini ordo naſcendi.

Concepit Virgo, virilis ignara conſortii: impletur uterus, nullo libatus amplexu: & Spiritum-ſanctum caſtus venter excepit, quem pura membra ſervarunt, innocens corpus geſſit. Videte miraculum Matris Dominicæ. Virgo eſt cum concipit, virgo cum parturit, virgo poſt partum. Glorioſa virginitas & præclara fecunditas! Virtus mundi naſcitur, & nullus eſt gemitus parturientis: vacuatur uterus, infans excipitur, nec tamen virginitas violatur. Dignum enim erat, ut Deo naſcente meritum creſceret caſtitatis: nec per ejus adventum violaretur integritas, qui venerat ſanare corrupta: nec per eum pudicitia corporis læderetur, per quem donatur virginitas baptiſmatis impudicis.

Natus igitur puer ponitur in præſepio, & hæc ſunt Dei prima

cunabula: nec regnator cæli has indignatur anguſtias, cui habitaculum fuit virgineus venter. Idoneum plane Maria Chriſto habitaculum, non pro habitu corporis, ſed pro gratia originali. Ergo exonerata felici onere Maria, matrem ſe læta agnoſcit, quæ ſe neſcit uxorem: & eſt glorioſa de ſobole, quæ eſt ignara de conjuge; atque infantem ſe genuiſſe miratur, cum Spiritum-ſanctum ſe ſuſcepiſſe teſtatur: nec quia peperit innupta, terretur: quia teſtimonio utitur virginitatis & ſobolis. Soboles enim Dominum patrem indicat, virginitas ſtupentium ſuſpicionem excuſat. Inde virginitati divinitas teſtimonium perhibet, hinc naturæ ſecretum. Teſtimonium, inquam, perhibet divinitas partui virginali. Ut concipiatur enim Chriſtus, ſecundum prænuntiationem Evangelii Spiritus-ſancti repletur gratia, virtute Dei Patris obumbratur, ſicut ad Mariam dictum eſt: *Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi & ideo quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.*

In nativitate ergo Salvatoris completa eſt divina illa ſententia, quæ dicit: *Duobus aut tribus teſtibus ſtabit omne verbum.* Ecce enim Verbum Dei naſcitur teſtimonio Trinitatis. Nam utique in utero ſanctæ Mariæ cum Spiritus-ſanctus ſupervenit, cum obumbrat Altiſſimus, cum Chriſtus generatur; confeſſio in eo fidei continetur. Dignum enim erat, ut Mater ſalutem populis editura, prius in viſceribus ſuis confirmaret myſterium Trinitatis: & intelligeremus ante Salvatoris ortum, confirmatum eſſe fidei ſacramentum. Maria enim tamquam in ſacrario ventris ſui portavit cum myſterio Sacerdotem. nam quicquid in ſæculo profuturum erat, id totum de ejus ventre: Deus Sacerdos & hoſtia, Deus reſurrectionis, Sacerdos oblationis. Hoc autem totum in Chriſto agnoſcimus. Deus enim eſt, quod ad Patrem redit: Pontifex, quod ſe obtulit: victima, quod pro nobis occiſus eſt. Mariæ ergo uterum, non uterum dixerim fuiſſe, ſed templum. Templum plane eſt, in quo habitat ſanctum quicquid in cælo eſt. niſi quod ſupra cælos æſtimandum eſt, ubi quaſi in ſecretiore tabernaculo myſterium a divinitate diſponitur, quemadmodum a pluribus aſcendatur ad cælum. Supra cælos plane æſtimandus eſt uterus Mariæ, quia Filium Dei glorioſiorem remiſit ad cælum, quam de cælo deſcenderat. Inde enim ut pateretur, hinc reverſus eſt ut regnaret: inde humiliatus deſcendit in hominem, hinc glorificatus ad Patrem aſcendit. Melius plane templum corporis eſt, quam

cæli.

cæli. Reſidens enim Chriſtus eſt, ibi terribilis, hic manifeſtus: ibi inviſibilis, hic viſibilis atque palpabilis: ibi peccata vindicat, hic condonat: ibi poteſtate judicis utitur, hic dilectione fratres hortatur. Atque ideo eſt bonum nobis adorare eum cum invitat, ut poſſimus eum non timere cum judicat. *Explicit.*

HOMILIA IX.

Incipit dictum poſt Natalem Domini Salvatoris.

LÆtitia Natalis dominici, fratres, adhuc corda noſtra perſultant, & feſtivitatem cæleſtem gaudia continuata ſuſpirant. Quamvis enim votorum dies tranſierit, penes nos tamen votorum ſanctificatio commoratur: & ſicut in dies ſingulos ab ortu ſuo Salvatoris nativitas creſcit, ita & in nobis creſcit fidei ejus affectus, atque augmentum facit ætatis pariter & ſalutis. Sibi enim Dominus creſcit ætate, nobis proficit ſanctitate. Non quo proficiat Chriſti ſanctitas, quæ ſempiterna eſt atque perfecta: ſed proficere dicitur, cum in nobis facit credulitatis augmentum. Nam Chriſtus poſt nativitatem, etſi parvulus eſt corpore, tamen Deus eſt majeſtate.

Adhuc ergo gaudia feſtivitatis Dominicæ viſcera noſtra concutiunt. Concutiunt enim, dum pro ipſa lætitia prorumpere hortantur in vocem, ut & nos dicamus, quod & Angeli dixerunt in Nativitate Chriſti: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Angeli videte quid dixerint. Non enim dixerunt, *pax hominibus*, aut quibuſcumque hominibus, ſed *hominibus bonæ voluntatis*: ut intelligeremus pacem Chriſti non hominum eſſe, ſed morum. Non enim eam meretur generatio, ſed voluntas; non humana improbitas, ſed bonitas Chriſtiana. Nam non defertur cunctis, ſed offertur probatis: non datur divulganda, ſed proponitur eligenda. Pax igitur Chriſti illi eſt, qui Chriſtum credit pacis auctorem: pax Chriſti illi eſt, qui in ſe pugnam non habet peccatorum: pax Chriſti in illis eſt, quorum non polluitur voluntas cruoribus idolorum. Dignum enim eſt, ut Salvatorem, quem virginitas immaculata genuit, voluntas incorrupta poſſideat: & ſicut Maria eum inlibata geſtavit, ita & anima noſtra illum impolluta cuſtodiat. Maria enim typum quemdam animarum noſtrarum geſſit. nam Chriſtus ſicut virginitatem in matre quæſivit, ita & integritatem in

noſtro requirit affectu. Virgo enim a peccatis anima Salvatorem & concipit, & parturit, dum prædicat: cuſtodit, dum mandata proſequitur. Conceptum enim fides retinet, partum confeſſio emittit, ortum ſollicitudo cuſtodit.

Lætemur ergo ad hanc ejus feſtivitatem, cujus nativitatem Angelorum adnuntiat claritas, paſtorum requirit ſimplicitas, Magorum veneratur religioſitas. Honorat enim in Chriſto angelica gratia Deum, paſtoralis agnum innocentia, magica veneratio Sacerdotem. Sacerdotem plane Chriſtum magica probat veneratio. nam id omne myſterium eorum muneribus confirmatur. Obtulerunt enim, quantum in ipſis eſt, quod putabant eſſe pulcherrimum Salvatori, aurum, thus, & myrrham: aurum, quaſi ad regnandum; myrrham, quaſi ad reſurgendum; thus quaſi ad propitiandum. Auro potentia oſtenditur, myrrha deſignatur incorruptibilitas, pontificium thure monſtratur. Non enim ocioſe factum eſt, quod Magi ad Dominum cum his muneribus advenerunt. Invenientes enim curioſitate ſuperſtitionis ſuæ Chriſtum omnibus regnaturum, detulerunt ad eum cunctorum elementorum inſignia: aurum, quo terrena vincuntur; thus, quo placari putantur cæleſtia; myrrha, qua condiuntur inferna. Oſtendentes utique a Nativitate Chriſti horum nihil opus eſſe, quoniam per Chriſtum conſtaret & victoria in terris, & propitiatio in cælis, & requies in infernis. Magi ergo curioſitate ſua reppererunt a nativitate Domini curioſos eſſe ulterius non debere: & hoc illis magica ars profuit, ut ſcirent ſibi eam * prodeſſe. Denique eo non eodem cultu degentes, aliud iter & regrediendi adgreſſi ſunt, & vivendi. Nam Magos, priuſquam Chriſtum viderent, tamquam ſuperſtitioſos ad obſequium ſtella deduxit, poſteaquam viderunt Dominum & crediderunt, tamquam devotos fides ad patriam revocavit.

* *f.* ulterius non prodeſſe.

Igitur fratres, & nos qui de gentibus advenimus, imitemur Magos illos uſque ad Chriſti cognitionem. Fas fuerit nos erraſſe poſt ſuſceptum Chriſtum: cavendum eſt ne eadem via qua venimus, nos credulitas gentilitatis adducat. Sunt enim plerique Chriſtiani, qui poſt acceptam fidem prioribus vanitatibus involvuntur: & cum Natalis dominici nobiſcum gaudia procurarint, cum gentilibus Kalendarum convivia ebrioſa procurant: cum benedictionem nobiſcum divinitatis acceperint, cum illis omnia ſuperſtitioſa obſervant. Dolendum plane eſt Magos auguria contempſiſſe, & obſervare auſpicia Chriſtianos: illos

artis ſuæ depoſuiſſe peritiam, iſtos morum abicere nolle luxuriam. *Explicit.*

HOMILIA X.

Incipit de Hæreticis peccata vendentibus.

SEmper meminiſſe, & ante oculos habere debemus, fratres dilectiſſimi, quod Dominus Jeſus-Chriſtus ideo ad terram deſcendit de cælis, ut nobis vitam largiretur æternam. Ideo cum eſſet Dei filius, fieri hominis filius maluit, ut nos qui eramus homines, Dei filios faceret. Non enim propter hanc vitam præſentem tantæ dignitatis operatus eſt myſterium, quæ eſt brevis, caduca, mortalis: ſed propter illam quæ perpetua & ſempiterna eſt. Neque enim Deus nobis hujus vitæ longævitatem præſtaturus erat, quæ plena eſt ærumnis, laboribus, egeſtate: ne non tam longævitatem vitæ præſtaret, quam perpetuitatem malorum. Nam hoc in illa remedii ſolum videtur eſſe, quod brevis eſt. Unde & Apoſtolus ait: *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperamus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Non ergo in hac vita tantum in Chriſto ſperandum eſt, in qua mali, quam boni plurimum poſſunt: in qua feliciores ſunt, qui pejores ſunt; & proſpere magis degunt, qui crimino ſius converſantur. Quid enim boni hæc vita poſſidet? honores, divitias, ſanitatem: quæ licet caduca ſint, non tamen meritis accedunt, ſed fortuito contingunt. Quantos enim videmus, quos honoratos fecit, non honeſtas, ſed poteſtas? quantos divitias conſecutos, non relictas a parentibus, ſed ſanguinibus occupatas? quantos membrorum ſanitate pollentes, qui non Dei miſericordia gubernantur, ſed pecudum ſanguine craſſantur? Hæc igitur quia temporalia ſunt, & nulla, quibuſcumque paſſim ſine merito ac ſine judicio deferuntur, quia non ad remunerationem data ſunt, ſed ad tentationem.

Nos igitur, quibus vita æterna promittitur, æterna ſemper bona poſſidere debemus & quærere, hoc eſt fidem, juſtitiam, caritatem. Habent enim iſta bona adverſarios ſuos: & licet hæc dona ab hominibus conferri non poſſunt, frequenter tamen a pravis hominibus auferuntur. Atque ideo circa fidei bonum ſolliciti eſſe debemus & providi, & ad cuſtodiam ejus mentis devotione ſemper eſſe armati, nec cito fallacibus credere blandimentis. Solet enim ſub prætextu pacis hoſtis inre-

pere, hoc eſt ſub vocabulo nominis Chriſtiani hæreticus ſubintrare, qui ad decipiendos ſimplices homines Chriſtum in ore portat, diabolum geſtat in corde: & eum quidem lingua confitetur, ſed mente blaſphemat. Ab hoc igitur oportet penitus declinari, nec aliqua cum eo ſocietate conjungi. Qui enim inimicus eſt Domini, quemadmodum amicus eſt ſervulorum?

Nec mirari debemus, quod hujuſmodi hæretici in noſtrâ aberrare cœperint regione. Semper enim gregem ovium inſidiator lupus ſequitur, ſemper Chriſtianum cœtum diabolus deceptor incurſat. Quod quidem fit utiliter, ut ſollicitiore cuſtodia, nec gregem ovis deſerat, nec Chriſtianus Eccleſiam derelinquat. Unde & Apoſtolus ait: *Oportet etiam hæreſes exſiſtere, ut probati manifeſti fiant inter vos.* tamquam ſi diceret: Oportet eſſe Chriſtianis fidei pugnam, ut ſit probatis certa victoria. Nam ut eorum interim blaſphemias ſeponamus, retexamus quæ ſint ipſorum præcepta vivendi. Præpoſiti eorum, quos Preſbyteros vocant, dicuntur tale habere mandatum, ut ſi quis laïcorum faſſus fuerit crimen admiſſum, non dicat illi, Age pænitentiam, deplora facta tua, defle peccata; ſed dicat, Pro hoc crimine da tantum mihi, & indulgetur tibi. Vanus plane & inſipiens Preſbyter, qui cum ille prædam accipiat, putat quod peccatum Chriſtus indulgeat. Neſcit quia Salvator ſolet peccata donare, & pro delicto quærere pretioſas lacrymas, non pecunias numeroſas? Unde ait ipſe: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Denique Petrus cum ter negando Dominum deliquiſſet, veniam non muneribus meruit, ſed lacrymis impetravit. Ait enim Evangeliſta de eo: *Flevit amariſſime.* Vides, inquam, quia apud Chriſtum in lacrymis eſt quantitas, non in donis. Quam graviter enim flevit culpam, tam celeriter conſecutus eſt veniam. Suſcipit ergo dona Preſbyter, & pactione quadam indulgentiam de Salvatore promittit. Inſipiens placitum, in quo dicitur, minus deliquiſſe Domino, qui plus contulerit Sacerdoti. Apud hujuſmodi præceptores ſemper divites innocentes, ſemper pauperes criminoſi. Quemadmodum pauper ſatisfacit pro delicto, qui non habet quod offerat pro peccato?

HOMILIA XI.

Incipit quod non debent Clerici negotiari.

REprehendimus ante diem negotiationem clericos exercentes, & juſta eos quodammodo ſententia caſtigavimus: ſed ſi recte conſideramus officium, non vere negotium eſt: ſed functio ſacerdotalis miniſterii functio quædam eſt ſpiritalis mercimonii. Ideo enim terrena impendimus, ut cæleſtia conſequamur: ideo erogamus mundanas pecunias, ut æternas divitias adquiramus: ideo fame noſtra alios paſcimus, ut non deficiat alimonia noſtra, ſed creſcat. Quid enim ſibi vult pauperum per nos refectio, quid nudorum protectio, quid carceratorum viſitatio, niſi quia ſumptus qui in illis erogatur, non impenditur, ſed augetur; & negotiatione quodammodo argenti cum quadam lucri uſura ſervatur? Theſaurus enim quidam divitis eſt pauper eſuriens. Eleemoſynam enim datam non comedit, ſed cuſtodit. Solvatur licet caro, & homo in pulverem redigatur; opus tamen ſanctum in eo vivit & permanet, & erit tibi in die judicii teſtis idoneus, qui ſibi eſt ad paſtum operator inutilis: ita ut cito ei de tuis credatur operibus, cum de ſuis actibus non credatur.

Vide ergo ſi non negotiatio eſt eleemoſyna. Amico quod largitus fueris, tibi perit: filiis quod reliqueris, tibi perit: ſolum non tibi perit, mendico quod dederis. In die judicii enim pauperes tibi proſunt; amici, filiique nihil proſunt. Illi cauſam tuam agent, iſti nec cauſam ſuam poterunt defendere. Mercimonium enim quoddam eſt Chriſtianitatis officium; & negotiatio pretioſa, functio Sacerdotum. Pecunias enim Domini, hoc eſt eloquia Salvatoris populis eroganda ſuſcepimus, de quibus eloquiis ad illum tenacem & inperitum Sacerdotii negotiatorem Dominus in Evangelio dicit: *Serve nequam, oportuit te pecuniam meam dare ad menſam nummulariis, & ego veniens cum uſuris exegiſſem eam.* Arguetur enim, cur præcepta divinitatis ſibi credita reſervaverit reticendo, quæ multiplicare debuerat prædicando. Arguetur, inquam, cur non ſeminaverit erogando, quæ poſſit metere colligendo, ſicut ait Apoſtolus: *Quæ ſeminaverit homo, hæc metet.* Ait ergo Dominus: *Veniens cum uſuris exegiſſem.* Intellige ergo negotiationem ibi eſſe,

ubi tamquam pro fenore uſura depoſcitur; ſed non illa uſura, per quam avarorum mentes lucrativa pecuniæ redibitione paſcuntur: in qua renumeratur creditori debitum, nec debitum evacuatur: ſed illa uſura depoſcitur, ubi non denariorum ratio, ſed morum converſatio ſubputatur: ubi non de capite ſortis agitur, ſed de capite ſalutis inquiritur. Debitores enim ſumus & obnoxii retinemur ad debitum, non chirographo litterarum, ſed chirographo peccatorum. Unde & Apoſtolus ait de Domino dicens: *delens quod adverſum nos erat chirographum*, & reliqua. Hujus ergo debiti uſuram jubemur exſolvere. nam iſtius debitoris meminit Dominus in Evangelio dicens, tradendum hunc eſſe exactori, mittendum in carcerem, & non dimittendum donec ſolvat noviſſimum quadrantem. Iſtorum igitur eloquiorum & nos, fratres, uſuram debemus. quia enim uſura ab utendo dicitur, quemadmodum nos his utamur eloquiis, rationem daturi ſumus. Non enim incaſſum Evangelium prædicat, non gratis Apoſtolus clamat, non ſine cauſa Sacerdotes loquuntur: in quorumcumque aures vox ſancta pervenerit, aut beati erunt de devotione, aut rei de conteſtatione. *Explicit.*

HOMILIA XII.

Incipit præfatio de corpore Domini.

HEſterna die ſatis gaudii accepiſſe vos credo, fratres dilectiſſimi, ex tractatibus domni & patris noſtri præſentis Epiſcopi, qui tanta facundia res divinas diſſeruit, ut prædicatio ejus plena fuerit Sacerdotii gratia, oratoris eloquentia, inſtitutione doctoris. Nec mirum, ſi is, qui in pontificio primatus honorem obtinet, habeat etiam in prædicando primatus eloquium: ut virtutes Dei, quas ſancti pectoris arcano depromit, facundi ſermonis oratione commendet. Atque ideo parvitatem meam ſcio auribus veſtris minus ſolito placituram. Quis enim contentus ſit potari de rivolo, cum poſſit haurire de fontibus? Terra enim aquarum tenuem rorem omnino non ſuſcipit, poſteaquam eam largus pluviarum imber infuderit. Sic igitur veſtra dilectio inundata ſancti Sacerdotis eloquio, ſermonis mei non patietur vile faſtidium. Quamvis enim doctus vir, quamvis diſertus Orator, elinguis videbitur, ſi cœperit loqui præſente meliore. Sed tamen habet ſo-

latium ſuum iſta confuſio. Nihil enim ruboris eſt comparatione ſummi Sacerdotis diſplicere minimum Sacerdotum: præſertim cum juvare me poſſit beatorum inſigne conſortium. Si enim David unius ſocietate ſancti alterum ſanctum fieri poſſe proclamat, dicens, *Cum ſancto ſanctus eris*: cur ergo me, quamvis imperitum, quamvis peccatorem, non poteſt fieri poſſe prædicatorem virtute Domini, tantorum conſortio magiſtrorum? Igitur quoniam beatiſſimus frater noſter ſanctorum Apoſtolorum laudes magno eſt proſecutus eloquio; debemus & nos ipſius ſepulturam Domini prædicare: ut quia unius corporis membra videmur, ſimilibus obſequiis procurata; ſimilibus quoque integrum corpus prædicationibus exornetur.

Videamus ergo de Domini corpore, poſteaquam de cruce deponitur, quid geratur. Accepit illud Joſeph ab Arimathia, vir juſtus, ſicut aït Evangeliſta, & in novo ſuo ſepeliit monumento, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Beatum ergo corpus Domini Chriſti, quod cum naſcitur, utero virginis gignitur: cum recedit, juſti tumulo commendatur. Beatum plane corpus quod virginitas reperit, & juſtitia cuſtodivit. Cuſtodivit illum Joſeph tumulus incorruptum, ſicut ſervavit illum Mariæ uterus inlibatum. Hic enim viri pollutione non tangitur: ibi mortis corruptione non læditur. Ubique beato corpori defertur ſanctitas: ubique virginitas: novus illud venter concipit, novus tumulus includit. Domini caro virgo, & virgo vulva, & virgo eſt ſepultura. Uulvam dixerim: eſt enim ſimilitudo non parva. Sicut enim Dominus de matris vulva vivus exivit, ita & de Joſeph vivus ſepultura ſurrexit: & ſicut tunc de utero ad prædicandum natus eſt, ita & nunc ad evangelizandum renatus eſt de ſepulcro. Niſi quod glorioſior iſta eſt, quam illa nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immortale: poſt illam nativitatem ad inferos deſcenditur, poſt hanc remeatur ad cælos. Religioſior plane iſta eſt, quam illa nativitas. Illa enim totius mundi Dominum novem menſibus in utero clauſum tenuit, hæc autem tridui tantum tumoli gremio cuſtodivit: illa cunctorum ſpem tardius protulit, iſthæc omnium ſalutem citius ſuſcitavit. *Explicit.*

LIBRI DIURNI ROMANORUM PONTIFICUM SUPPLEMENTUM.

Reſponſum ad petitionem Epiſcopi.

ad pag. 97. BAſilicam, quam dilectio tua in honorem ſancti ill. a te ſuggerit eſſe perfectam, conſecrandi tibi per præceptionis noſtræ ſeriem facultatem noveris attributam: quatenus, frater cariſſime, facta primitus donatione, quæ petitorio tenetur adnexa, votorum devotionis tuæ deſiderium complens, celebritatis perfectione gratuleris.

Item reſponſum.

Oblationem dilectionis tuæ, boni operis perfectione gaudentes, congrua gratulatione ſuſcepimus. Et ideo baſilicam, quam in beati ill. nomine ſuggeris eſſe conſtructam, præceptionis noſtræ ſerie quantocius conſecrabis: ut princeps Apoſtolorum claritas univerſitatis frequentatione pro ſui reverentia conſecretur; & circumjecta plebs habeat, cujus interventu petitionis ſuæ cito mereatur effectum. Cura tu, ut ea quæ ad ordinatum ejus collata dicis, vel a te ſuggeris conferenda, ſine dilatione perficias.

Decretale quem legit Diaconus, quando Epiſcopus diſcutitur.

ad pag. 54. Deſtitutis eccleſiis proprii Rectoris officio ſic almitas veſtra ſubvenire conſuevit, in qua & Sacerdotii principatus exiſtit. Ideoque provoluti quæſumus Apoſtolatum veſtrum, domine beatiſſime Papa, ut nobis paſtorem quærentibus ill. talem Epiſcopum conſecrare dignemini, cujus merita in eodem poſtulando omnium noſtrum præſtatur aſſenſus. Optamus te per multos annos bene valere, domine beatiſſime Papa.

Item

Item aliud quod legit Diaconus.

Electio, in qua nemo diſſentit, deſideratorem pergratulatur affectu. Jam diu igitur epiſcopali officio deſtituti in ill. tali omnium noſtrorum vota contulimus, ut annuentibus vobis, in ejus locum qui defunctus eſt ſubrogetur. Proinde precamur Apoſtolatum veſtrum, domine beatiſſime Papa, ut ill. pro veſtra benignitate annuere dignemini, quod religionis ſtudio cognoſcitur poſtulari.

Item aliud ejuſdem.

Deſideria venerandorum Canonum traditione non diſcrepant beatitudinis ſibi poſcentibus judicio ſubveniri. Igitur cum eccleſia noſtra diu proprio ſit deſtituta rectore, ad Pontificii veſtri jura confugimus, de cujus ſede omnis honor proficiſcitur ſacerdotum. Et ideo precamur Apoſtolatum veſtrum, domine ſancte & venerabilis Papa, ut ill. tal. preſbyterum noſtrum, quem conſenſus univerſitatis elegit, Epiſcopum conſecrare dignetur. Optamus te per multos annos bene valere domine beatiſſime Papa. Et ſubſcripſerunt.

Diverſa Privilegia apoſtolicæ auctoritatis.

Ill. Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ill. religioſo Abbati venerabilis monaſterii ſanctæ Dei genitricis ſemper virginis Mariæ Dominæ noſtræ, & per eum in eodem venerabili monaſterio in perpetuum. Cum ſummæ apoſtolicæ dignitatis apex in hoc divini proſpectus nitore dinoſcitur præfulgere, cum in exercendis Dei laudibus ſui impenſius ſtudebit laboris exhiberi certamen. Ob hoc debita nos ejuſdem apoſtolicæ paſtoralis compulit ſollicitudinis cura, quæque ad ſtabilitatem piorum pertinere dinoſcitur locorum ubertim promulgari, & apoſtolicæ inſtitutionis cenſura confirmari. Igitur quia poſtulaſti a nobis, quatenus monaſterium ſanctæ Dei genetricis ſemper virginis Mariæ Dominæ noſtræ, ſitum in loco qui vocatur Plumbariolo, territorio Aquinenſe, privilegiis Sedis apoſtolicæ infulis decoretur, ut ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius eccleſiæ juriſdictionibus ſubmittatur. pro qua re piis deſideriis faventes, hac noſtra auctoritate id quod expoſcitur effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuſlibet eccleſiæ ſacerdotem

in præfato monaſterio ditionem quamlibet habere hac auctoritate, præter Sedem apoſtolicam, prohibemus: ita ut niſi ab Abbate monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ſollemnitatem ibidem quiſpiam præſumat celebrare, omnimodo ſtatuentes apoſtolica cenſura ſub divini judicii obteſtatione, & validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut neque ullus umquam præſumat quiſpiam alius, cujuſcumque ſit dignitatis præditus poteſtate, vel etiam quæcumque magna parvaque perſona, in eodem monaſterio, vel ejus cauſis incumbere, aut de rebus & poſſeſſionibus, vel quicquid de his quæ ei pertinere videntur, quoquo modo auferre, aut alienare: ſed nec quamlibet malitiam, aut jacturæ moleſtiam, ibidem, ſive pacis, ſive barbarici temporis, quoquo modo inferre; dum profecto eum perenniter tam (ut dictum eſt) pacis, quam barbarico tempore firma ſtabilitate decernimus ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ eccleſiæ permanendum. Promulgantes nempe & hoc auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis, coram Deo & terribili ejus futuro examine, per hujus noſtri apoſtolici deſiderii atque conſtituti ſancimus atque decernimus, ut loca quæ ab Abbate cujuſlibet cœnobii in eodem præfato ſanctæ Dei genetricis monaſterio Plumbariolo commutata vel etiam conceſſa ſunt, necnon & alias locorum poſſeſſiones, quæ a regibus vel ducibus vel gaſtaldiis, & a ceteris chriſtianis in eodem ſancto loco largita atque oblata ſunt, aut in poſtmodum illic conceſſa fuerint, firma ſtabilitate jure ipſius prælati monaſterii exiſtenda, atque in perpetuo permanenda ſtatuimus. Nec licentia ſit, ut dictum eſt, ex ejus vel omnibus eidem monaſterio pertinentibus cuiquam magnæ parvæque perſonæ auferre: ut profecto juxta id quod ſubjectus iſdem venerabilis locus apoſtolici conſtituti atque privilegii conſiſtit, inconcuſſe dotandus permaneat. Si quis autem (quod non optamus) nefario auſu præſumpſerit hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dicti monaſterii ſtatuta ſunt, refragare, aut in quoquam tranſgredi, ſciat ſe anathematis vinculo innodatum, & cum diabulo & ejus atrociſſimis pompis, atque Juda traditore Domini noſtri Jeſu-Chriſti æterni incendii ſupplicio concremandum deputatum. At vero qui pio intuitu obſervator, & in omnibus exſtiterit cuſtodiens hujus noſtri apoſtolici conſtituti ad cultum Dei reſpicientibus, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino Deo multipliciter conſequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur.

Privilegium.

Cum in exarandis Dei laudibus debita paſtoralis compulſit *ad pag* 100.
ſollicitudinis cura, ut quæque ad ſtabilitatem piorum dinoſcitur pertinere locorum, ubertim promulgari, & apoſtolicæ inſtitutionis in privilegiis atque decretis cenſura confirmari convenit. Nempe nos apoſtolico moderamine ſupraſcripta venerabilia loca, quæ dudum fuerant in ruinis, magnaque inopia ac paupertate degentes, & a nobis... iter a ſolo ædificata, & undique ditata opportune ordinari ſ..... ad meliorem ſine dubio ſtatum reducere: præſertim ubi illa petuntur, quæ non ad commodum temporale, ſed ad perpetuam providentiam pertinent Deo ſervientium animarum, ut prædicta ſcilicet venerabilia loca, quæ à nobis in uno conglobata atque adnexa ſunt, cum propi.... ſanctorum congregationibus quæ regulariter...... *cetera deſunt.*

Epiſcopo de levandis ſanctuariis.

Noverit fraternitas tua pro reliquiis nobis beati martyris *ad pag.* 96.
ill. neceſſario opus eſſe, ut in loco qui venerationi ipſius dedicandus eſt, collocetur. Atque ideo præſentibus affatibus ill. Sedis noſtræ ſecundum conſuetam reverentiam levatas reliquias contradere non omittas: ut ad nos, ſecundum quod ei injunctum eſt, quantocius valeant deportari.

OBSERVATIONES.

I. *Liber diurnus Romanorum Pontificum, tantæ quondam apud eos auctoritatis, etſi modo penitus obſoletus, non tamen inſuper habendus eſt ob antiquitatis commendationem. Quapropter cum in manus noſtras incidiſſet vetuſtiſſimum annorum octingentorum exemplar, quo uſus eſt Lucas Holſtenius in adornanda illa, quam meditabatur, hujuſce libri editione; aliquod operæ pretium nos facturos exiſtimavimus, ſi prædictum exemplar cum editione Garneriana conferremus. Exemplum codicis, quem Hilarion Rancatus monachus Ciſtercienſis Holſtenio ad unam noctem, ut in Itinere noſtro diximus, commodaverat, habuit Garnerius, qui* Romanum *codicem, eumque* antiquiſſimum *vocat, ejuſque capitula, paucis omiſſis, in ſua Præfatione refert. Exciderunt ipſi, neſcio qua cauſa, forte ob exempli defectum, nonnulla capita, quæ mox retulimus.*

II. *Præcipuum eſt privilegium de monaſterio Plumbarioleníi. Taſiæ,*

Ratchiſi ducis uxor, *& filia eorum Rattruda*, *monaſterium puellarum* non longe à Caſino, in loco, qui Plumbariola vocatur, propriis ſumtibus exſtruxerunt, *teſtante Leone Marſicano in Chronici Caſinenſis lib.* I *cap.* VIII. ubi ſub magna cautela & diſtrictione regulari vitam agentes, ultimum diem clauſerunt. *Ibidem ſanctam Scholaſticam vixiſſe*, *atque deceſſiſſe tradunt.* Monaſterium puellarum *Leo appellat: & tamen ſuperius privilegium* religioſo Abbati venerabilis monaſterii ſanctæ Dei genitricis Mariæ *inſcriptum eſt. Fortè duplex ibi monaſterium erat*, *ut in frequenti loco. Certè monaſterium Virginum apud Plumbariolam*, *non Virgini Deiparæ*, *ſed ſanctæ Petronillæ nuncupatum legitur in mſ. codice Caſinenſi ſignato n.* 219. *in hæc verba:* Bernardus abbas Caſinenſis hoc Miſſale mittit ſororibus monaſterii noſtri ſanctæ Petronillæ de Plumbarola, ut orent pro eo. *& in eodem codice ad menſem Iunium:* Obitus Beatricis abbatiſſæ monaſterii ſanctæ Petronillæ de Plumbarola anno Domini M CCC XV. *Ad hæc in Novembri:* Obitus ſororis Marottæ abbatiſſæ monaſterii ſanctæ Petronillæ de Plumbarola. *Nunc prædium eſt cœnobii Caſinenſis.*

III. *Non deſunt in Romano exemplari variæ lectiones & emendationes*, *quibus Garneriana editio multis in locis exornari poteſt. Inſigniora quædam loca hic apponere juverit. Pagina* 12. *lin.* 3. Divina enim nobis in oratione manentibus, ut cæleſtis dignatio &c. *rectius in Romano*, Diu enim nobis in oratione manentibus, ut omnium mentibus cæleſtis dignatio &c. *Ibid. lin.* 11. Si dici eſt; *codex noſter*, ſi dici licitum eſt. *quæ correctio etiam pag.* 17. *lin.* 20. *adhibenda eſt. Item eadem pag.* 12. *lin.* 12. *&* 13. Preſbyteri, *in codice Romano*, Diaconi, *uti & in fine ejuſdem formulæ*, in illo ſanctiſſimo Diacono & electo noſtro conſenſi & ſubſcripſi. Similiter totus clerus cum Optimatibus & Militibus ſeu civibus ſubſcripſerunt. *Pag.* 14. *lin.* 7. *pro* petitionis unitæ, *legendum* noſtræ. *Et pag.* 15. *lin.* 20. beatum Petrum apoſtolorum principem. *Pag.* 18. *lin. ult. &* 19. *lin.* 1. *& ſeqq. ita reſtituendum.* Propinquantium quoque inimicorum ferocitas, quam niſi ſola Dei virtus atque apoſtolorum Principis per ſuum Vicarium, hoc eſt Romanæ urbis Pontificem, ut omnibus notum eſt, aliquando monitis comprimit, aliquando vero & flectit ac modigerat hortatu.... cum obſecratione. *Pag.* 26. *lin.* 6. Presbyter, *in noſtro* Diaconus; *itemque pag.* 32. *lin.* 12. *Pag.* 37. *lin.* 14. Simul Verbi caro, ſimul caro animata, rationalis.

Pag. 43. *lin.* 21. *poſt* ſynodaliter , *codex addit*, atque decretaliter. *Pag.*48. *lin.* 15. inhumanatum, *legendum* humanatum. *ibid. lin.* 23. ſubſtantiam *lege* ſubſiſtentiam, *quod grave mendum emendat codex noſter. Pag.* 50. *lin.* 21. Conſtantini, *noſter addit*, Magni. *quod ad formulam vulgarem neceſſarium. Pag.* 51. *lin.* 13. præviantibus , *adde* ac comitantibus. *Pag.* 61. *lin.* 10. *poſt* præſumpſerunt, *adde itidem*, præſumunt, atque præſumpſerint. *Ibid. lin.* 14. *lege* per proprias doctrinas. *Item lin.* 16. juxta duarum naturarum modum, ita & duas naturales voluntates, atque duas naturales operationes. *Pag.* 70. *col.* 1. *lin.* 8. puritatem meam atque concurſum tibi utilitatibuſque Eccleſiæ &c. *Pag.* 74. *lin.* 7. Litanias vero per triduum ante diem Aſcenſionis Domini celebrare, *totum deeſt in codice Romano, ut & in epiſtola Gregorii II. Pag.* 86. *lin.* 6. quia nimirum , *lege* qui animarum. *Ibid. lin.* 11. *&* 12. *poſt* deglutiat, *ita emenda* , & ejus ad noſtram non immerito applicetur pœnam perditio, qui commiſſos ſollicita cuſtodire cautela negligimus. *Et linea* 13. *poſt* dicimus; & quibus divini &c. *Pag.* 95. *lin.* 17. *lege* in loco ill. *& lin.* 19. *poſt* fundatum, *adde* , poſtulans ut dedicari debeat , dilectionem tuam &c. *Pag.* 97. *lin.* 16. *lege* In ill. ſiquidem fundo, ill. territorio. *& lin.* 22. ill. Martyris eam cenſeatis dedicari honorem : ut Deo propitio ſalvis orationibus veſtris deſiderium meum gaudeam adimpleſſe. *Cetera levius percurremus.*

Pag. 125. *habetur Privilegium Reginæ cuidam conceſſum in gratiam monaſteriorum ab ea conditorum. Editi Reginæ nomen haud exprimunt: codex Romanus* CYNEDRIDAM *vocat. Linea* 1. *privilegii* laudanda de bonis, *lege* laudandæ devotionis. *Item lin.* 10. quæ juſte acquiſiſſe : *& lin.* 12. conſtituiſſe ac dedicaſſe *lin.* 15. tuæ ill. Cynedridæ reginæ. *quæ Anglorum regina haud dubiè fuit, aut certè Regis Angliæ filia. Pag.* 130. *lin.* 4. idoneam *codex habet* oleorum. *& pag.* 134. *lin.* 4. *poſt* votis, *addit* faveas. *Hæc pauca ex multis.*

Viſum eſt ſubjicere hoc loco vitam Hadriani Papæ I. auctore monacho Nonantulenſi anonymo, in qua formulæ in Diurno libro præſcriptæ, prout à Pontifice uſurpatæ ſunt, referuntur.

INCIPIT
VITA ET TEXTUS EPISTOLARUM
ADRIANI I. PAPÆ ANTIQUÆ ROMÆ.

ADrianus igitur, natione Romanus, ex patre Theodoro, & regione.... via Lata, ſedit annos XXIII. menſes X. dies XVI. Hic igitur domno Stephano Papa rebus humanis exempto, ad ordinem epiſcopatus communi concordia omnium clericorum ac populorum electus eſt, ſicut eorum Decretum demonſtrat, quod ita habet.

Diurn. pag. 10. » Inter cetera quæ ſummæ divinitatis conſilio diſponuntur, » pontificalis promotionis ſublimitas ipſo, à quo procedit omne » quod bonum eſt, prædeſtinante ac largiente conceditur &c. » Diu enim nobis in oratione manentibus, ut omnium menti» bus cæleſtis dignatio demonſtraret, quem dignum ad ſucceſ» ſionem apoſtolicæ vicis jubeat eligendum, ejus gratia ſuffra» gante & omnium animis inſpirante, in uno convenientibus » nobis, ut moris eſt, id eſt, cuncti ſacerdotes ac proceres eccle» ſiæ, & univerſus clerus atque optimates, & univerſa militaris » præſentia ſeu cives honeſti, & cuncta generalitas populi iſtius » à Deo ſervatæ Romanæ urbis, ſi dici fas eſt, à parvo uſque ad » magnum, in perſonam ADRIANI ſanctiſſimi hujus ſanctæ » apoſtolicæ Sedis Romanæ eccleſiæ Diaconi, Deo cooperante » & beatorum Apoſtolorum anniſu, concurrit atque conſentit » electio. Cujus Deo amabilis viri tantum meruit apud omnium » conſcientias bonæ & pudicæ converſationis profectio, ut nul» lus in ejus electione divideret, nullus abeſſet, nulluſve ſeipſum » ſubtraheret. Quem enim ad hoc apoſtolicæ vicis officium &c. » & Salvatore noſtro protegente valeat. Hoc vero Decretum à » nobis factum ſubter, ut prælatum eſt, manibus propriis robo» rantes, in archivio dominæ noſtræ ſanctæ Romanæ eccle» ſiæ in ſacro Lateranenſi ſcrinio, pro futurorum temporum » cautela recondi fecimus, menſe [a] Februario Indictione. X. *Explicit electio.*

a *Adriani Romani epiſcopi ordinatio* notatur XV. Nonas Martii in vetuſtiſſimo Kalendario Gellonenſi, quod tempore Caroli M. ſcriptum eſt.

Ipſe etiam venerabilis Adrianus in initio ordinationis ſuæ Indiculum rectæ Fidei hujuſmodi compoſuit. Ego Adrianus *ibid. pag. 26.* miſericordia Dei Diaconus & electus, futuruſque per Dei gratiam hujus apoſtolicæ Sedis Antiſtes, tibi profiteor beate Petre, &c. pura mente & conſcientia devota, corporali jurejurando ſinceriter obtuli.

Poſtmodum vero profeſſionem rectæ & orthodoxæ Fidei conſcripſit iſtiuſmodi. Reverendiſſimis fratribus & dilectiſſimis *ibid. pag. 32.* univerſæ plebis Dei. Ad hoc apoſtolicæ Sedis officium, dilectiſſimi filii, quod ſuperna gratia providente ac ſuffragante cum tanto cordis ſtupore & humanitate nos ſuſcipere debere perpendimus &c. dum de Patre Filius æternaliter naſcitur, Spiritus-ſanctus de Patre procedere confirmatur, idem Dei Filius de ſuo accipere perhibet, & in nomine ſuo mitti à Patre Spiritum-ſanctum manifeſtat, & inſufflando diſcipulis, Accipite Spiritum-ſanctum, utpote de ſe procedentem, annuntiat &c. beate Petre apoſtole obtuli conſervandam.

Adrianus Epiſcopus ſanctæ catholicæ atque apoſtolicæ ecclefiæ urbis Romæ, dilectiſſimis & dulciſſimis filiis in Domino *ibid. pag. 45.* ſalutem. Hodierni diei feſtiva jucunditas invitat nos dilectiſſimi &c. per omnia ſæcula ſæculorum.

Hic etiam Sedem apoſtolicam ſtrenuiſſime gubernare, & ad proprium ſtatum reducere ſtuduit. Eo ſiquidem tempore Deſiderius regnum Longobardorum tenebat, & Romanæ eccleſiæ caſtra & prædia more anteceſſorum ſuorum nimis vaſtabat. Quapropter Papa prædictus commotus, Carolum Francorum Regem, ſicut in geſtis ipſius Caroli legitur, contra Deſiderium in Italiam invitavit. Qui etiam Carolus non prius deſtitit, donec Deſiderium bellis fatigatum perpetuo exilio damnaret, & filium ejus Italia pelleret, reſque direptas Adriano Papæ reſtitueret, & filium ſuum Pipinum Italiæ præficeret.

Ante hujus quoque Præſulis Adriani tempora, ſcilicet Gregorii anteceſſoris ejus diebus, apud CP. hæreſis quædam exorta Anaſtaſio & Leone Impp. jubentibus, omnium circumquaque eccleſiarum Dei imagines depoſitæ, & publicè igni traditæ ſunt. Cumque etiam id ipſum circa Italiæ eccleſias facere juſſiſſent, Gregorius Præſul una cum Romano populo iniquiſſimis edictis Imperatorum conſtantiſſime contradixit. Adhuc enim CP. Imperator urbem Romam & nonnulla Italiæ caſtra ſub ſua ditione tenebat: quæ poſt modicum Carolo coronam Romani

Imperii ſuſcipiente amiſerunt. Sed nunc ad propoſitum redeamus. Igitur cum hæreſis prædicta apud CP. ebulliret, Adrianus, ut diximus, Sedem apoſtolicam regendam ſuſcepit imperante Conſtantino & Irene matre ejus. Qui etiam ad eumdem Papam elegantem epiſtolam miſerunt, rogantes ut ipſe ad illum locum aſcenderet, ubi ipſi univerſale Concilium decreverant fieri, & firmitatem antiquæ traditionis ſuper venerabilibus imaginibus confirmaret. Initium autem epiſtolæ hujuſmodi eſt.

Divalis ſacra directa à Conſtantino & Hirene Auguſtis ad ſanctiſſimum Adrianum Papam ſenioris Romæ.

Qui à Domino noſtro Jeſu-Chriſto vero Deo noſtro ſuſcipiunt ſive Imperii dignitatem, ſive principalis Sacerdotii honorem &c. quo veniat paterna veſtra beatitudo ad nos legimus. Data IIII. Kalend. Sept. Indict. VII.

Perlectis igitur Adrianus Præſul Imperatoris litteris, miſit & ipſe eloquentem valde epiſtolam, cujus initium eſt. Adria-
„ nus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dominis piiſſimis & ſere-
„ niſſimis victoribus Imperatoribus ac triumphatoribus filiis dili-
„ gendis in Deo Domino noſtro J. C. Conſtantino & Hirenæ
„ Auguſtis. Deus qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere &c.
„ Romanæ eccleſiæ ulnis ſuſcipiamini. (Ab hinc uſque ad finem
„ hujus epiſtolæ græcus codex non habetur *&c. ut in Act. 2. Concilii 2. Nicæni*). Data VII. Kalendas Novembris Indictione IX.

Conc. to 7. col. 99. ad 115. edit. Labbeanæ.

Miſit etiam idem reverendiſſimus Papa ſtrenuiſſimos & doctiſſimos viros, qui vice ejus Concilio intereſſent, id eſt Petrum reverendiſſimum archipresbyterum ſanctiſſimæ Romanæ eccleſiæ ſancti apoſtoli Petri, & Petrum reverendiſſimum presbyterum, monachum & abbatem monaſterii ſancti Sabæ Romæ ſiti. Cumque in regia urbe Concilium celebrari decreviſſent, reſiſtentibus quibuſdam Dei inimicis impediti ſunt. Sed poſt annum hinc & inde collecti quam plurimi Epiſcopi eorumque legati, factum eſt ſanctum ſeptimum Concilium in Nicæa Bithiniæ, imperante, ut diximus, Conſtantino & Hirene matre ejus, præſidente quoque domino Adriano I. Papa per ſuos Legatos in eodem Concilio.

Hic etiam cum ad regem Carolum pergeret, ut veterum

pandit

pandit memoria, in locum qui Spinum-Lamberti vocatur, vitam finivit VIII. Id. Julii, & ad eccleſiam monaſteriumque beati Silveſtri, quod Nonantula dicitur, perductus, honorificè ſepultus eſt: ubi etiam uſque hodie miraculis coruſcare dignoſcitur. Cujus morte Carolus Francorum Rex audita, nimium condoluit, diuque ſe in lamentis dedit. Nam ab ipſo Romanorum Patricius conſtitutus fuerat, regnumque Italiæ ipſo favente ſuſceperat. Cantores etiam doctoreſque eccleſiæ ab eo ſuſceperat, & in Metenſium urbe conſtituerat: cujus eccleſiæ cantores uſque hodie Romanæ eccleſiæ plus ceteris Gallis in cantu concordant.

Sepulto itaque ſummo Pontifice & univerſali Papa Adriano apoſtolicis infulis involuto, uti mos eſt Romanum ſepelire Epiſcopum, in prædicto Nonantulo monaſterio, ſicut ſuperius prælibati ſumus, ſeptem de jam dicto cœnobio Diaconi & monachi ſtolidiſſimum conſilium repererunt dicentes: Quid huic ſancto & animæ defuncti prodeſt, quod tantæ pulcræ veſtes marceſcunt terreno humore? Melius certe eſſet, ſi hæc ſancta eccleſia illis honorem haberet. Ideo hac veniente nocte omnes ſimul ad ſepulcrum ejus pergamus, & lucidis ac coruſcis veſtibus eum exuamus, & vilioribus veſtibus induamus. Luce igitur diſcedente, & tenebris terram obumbrantibus omnes ad monumentum euntes, eum cum ſilentio deſepelierunt, & veſtimenta ejus arripuerunt. Et ut lucidius & apertius hoc ab omnibus credatur, adhuc unam pulcram planetam, quam craſſantes ei abſtulerunt, in noſtro monaſterio habemus. Sed ut animi ſimilium de tali facinore contabeſcant, hoc in veritate ſcimus, quia nullus evaſit impunitus. Omnis namque ille furioſus tumultus in eodem anno ſuæ vitæ finivit curſus, niſi tantummodo unus.

OBSERVATIONES.

I. *Præmiſſus libellus de vita Hadriani primi exſtat in duobus pervetuſtis codicibus monaſterii Nonantulenſis; ejuſdemque exemplum Romæ invenimus. Inter ſuperiores formulas, quas Pontifex mox à ſua promotione direxit ad diverſos, deſunt illæ quæ pertinent ad Exarchum Ravennatem, quippe qui ab anno* DCC LII *pulſus eſt; atque adeo ad Apocriſiarium, & judices ejuſdem civitatis. Exſtincta Imperatorum per Italiam poteſtate, non tamen continuo ceſſavit mos ille antiquus, ut novus Pontifex Fidei ſuæ pro-*

feſſionem per eccleſias tranſmitteret. Neque enim ejuſmodi formulis ſuam dignitatem imminui putabant recens electi Pontifices: quorum maxime intererat, ſuam ipſorum vitam doctrinamque ab omnibus eſſe approbatam. Ubi aptari poteſt id, quod Gregorius M. occaſione electionis Conſtantii epiſcopi ſcripſit ad clerum Mediolanenſem. Judicari namque à vobis ultra non debet ſemel prælatus: ſed tanto nunc ſubtiliter judicandus eſt, quanto poſtmodum judicandus non eſt, *in lib.* II. *epiſtola* XXIX *Indict.* XI.

II. *Eodem fere modo Deusdedit cardinalis in libro primo contra Schiſmaticos ait*, Decretum electionis futuri Pontificis, *quod olim exigebant Imperatores, non infringere vim electionis: propterea quod Decretum illud* cum legatur eiſdem Imperatoribus ſæpe directum fuiſſe, nuſquam tamen legitur eoſdem Romanorum electionem mutaſſe. *Tum ſubdit.* Hoc quia Domino contrarium erat, ut Eccleſia Pontifice careat, uſque dum Decretum, quod ferebatur, iret & rediret; penitus reſpuêre ſequentes Imperatores, pietate religioneque præſtantes. ſic enim legitur in
» Romano Pontificali. Benedictus ſecundus, natione Romanus,
» ſuſcepit juſſiones clementiſſimi principis Conſtantini ad vene-
» rabilem clerum & populum Romanæ civitatis: per quas con-
» ceſſit, ut qui electus fuerit Pontifex, e veſtigio conſecraretur
» abſque tarditate. *Non tamen tunc deſiit mitti Decretum, tametſi ante ejus ſuſceptionem obtinebat electio. At quo tempore abrogari cœperit ille tranſmittendi Decreti ritus, nono an decimo ſæculo, aliis examinandum relinquimus. Illud conſtat, undecimo ſæculo, per illas funeſti Romanorum Pontificum cum Imperatoribus diſcidii tempeſtates, hunc morem penitus intermiſſum fuiſſe. Certe Urbanus ſecundus in epiſtola encyclica de ſua electione, quam in veteri codice habemus, generalem tantum exhibet ſuæ Fidei profeſſionem. Inſcripta eſt hæc epiſtola*, Venerabili Salceburgenſi archiepiſcopo, ceteriſque reverentiſſimis epiſcopis, Patavienſi, Vvrceburgenſi, Vvormatienſi, Auguſtenſi, Conſtantienſi; & venerandis Abbatibus, & glorioſiſſimis Vvelphoni B. & B. atque omnibus majoribus & minoribus. *Sic vero ad propoſitum loquitur.* De me porro ita in omnibus confidite & credite, ſicut de beatiſſimo patre noſtro PP. Gregorio: cujus ex toto ſequi veſtigia cupiens, omnia quæ reſpuit, reſpuo; quæ damnavit, damno; quæ dilexit, prorſus amplector: quæ vero rata & catholica duxit, confirmo & approbo; & ad poſtremum in utramque partem qualiter ipſe ſenſit, in omnibus omnino ſentio atque conſentio. *Hæc ille. Porro*

jam dictus Deusdedit in libro quarto integrum caput de petitione ad dedicandum Oratorium, quod in Diurno exſtat pag. 92. refert ex libro Romanorum Pontificum. *Nulla Fidei profeſſio (quam quidem ſciamus) a Romanis Pontificibus edita eſt poſt Bonifacium VIII. cujus formula apud Bzovium vulgata eſt ad annum* M CC XCIV.

III. *Integras formulas, quales in Hadriani vita referuntur, tanti non viſum eſt ut recuderemus, cum ex Diurno libro facile repeti poſſint. Satis ſit variantes lectiones, quæ quidem inſigniores ſunt, adnotaſſe.*

In INDICULO PONTIFICIS *pag.* 26. *lin.* 7. humilis apoſtolicæ *mſ. cod.* hujus apoſtolicæ, *& ita etiam in veteri Diurni exemplari, uti & ſequentia. Pag.* 28. *lin.* 1. *& ſeqq.* item quæcumque..... a te traditæ. *mſ.* id eſt quæque.... traditionem. *ibid. lin.* 19. nuper Conſtantino, *lege* nuper ſub Conſtantino. *pag.* 29. *lin.* 11. quæque ſynodaliter ſtatuerunt, *rectius*, quæque vel ſynodaliter, vel ſpecialiter ſtatuerunt. *pag.* 30. *lin.* 8. & ſequipeda totis viribus meis conatibuſque tradita conſervare, *mſ. codex* exſequi, ac totis mentis meæ conatibus, quæ tradita comperio, conſervare. *pag.* 31. *lin.* 8. curanti, in hac vita corruptibili conſtituto, adjutorium quoque ut præbeas obſecro. *alias*, curanti adjutorium quoque ut præbeas obſecro in hac vita corruptibili conſtituto.

IN SECUNDA PROFESSIONE *ad pag.* 34. *lin.* 4. dilectiſſimi *adde* filii. *pag.* 34. *lin.* 21. nos facturos *dele cum utroque exemplari. pag.* 35. *lin.* 2. cuſtodiemus, quam venerandum, *utrumque*, cuſtodiens, venerandum. *ibid. lin.* 7. revelante, redegit in Symbolum, *cod.* revelante, fidem catholicam redegit in Symbolum. *pag.* 36. *lin.* 10. ſubſiſtentiarum, *lege*, ſubſtantiarum. *pag.* 37. *lin.* 14. ſimul Verbi caro animata anima rationali, *rectius cum utroque*, ſimul Verbi caro, ſimul caro animata, rationalis. *pag.* 38. *lin.* 5. proprietate, utraque natura, *lege*, proprietate utriuſque naturæ, *lin. pænultima*, ſemini-Neſtoriani, *emenda*, Semineſtoriani. *pag* 39. *lin.* 4. Zoara, *mſ.* Zohora. *ibid. lin.* 22. Præſulum, *lege*, Patrum atque Præſulum. *pag.* 40. *lin.* 10. de qua humanitas ei acceſſit, *utrumque*, de qua & initium humanitatis ejus acceſſit. *ibid. lin.* 12. ſubſiſtentiam, *lege*, ſubſiſtentias. *pag.* 41. *lin.* 10. Cyrum, *in utroque* Cyrinum. *ibid. lin. ult.* contra veritatem fidei, *utrobique*, etiam veritate fidei.... declarata atque prædicata. *pag.* 42. *lin.* 8. congregatam, *melius* concretam. *ibid. lin.* 10. ita de, *lege*, ita idem de. *pag.* 43. *lin.* 21. ſynodaliter

ſtatuerunt, *ſic emenda*, ſynodaliter atque decretaliter ſtatuerunt. *ibid. lin.* 24. eorumdemque præſidio cum hominibus eſſe ſequipedam. Unde &c. *Vita habet*, & cum Dei adjutorio, eorum in omnibus eſſe præſidio. Unde &c. *ibid. lin.* 27. evangelicam, *adde* atque apoſtolicam. *ibid. lin. ult.* annitenda, *rectius* admittenda. *Pag.* 44. *lin. ult.* conſolidandam, *in utroque* conſervandam.

Ceterum in illa ſecunda Profeſſione id obſervandum, quod Hadrianus Spiritus-ſancti proceſſionem ex Patre Filioque *confiteatur: id quod ſuperiores etiam Pontifices agnoverant. Cur ergo Leo tertius, Hadriani ſucceſſor, additamentum* Filioque *a Gallis in Symbolo factum non probavit? Nempe quia doctrinam quidem illam Pontifices approbabant: verum Symbolo CP. quidquam addi non ferebant. Nam, ut Græci loquuntur in Concilio Florentino*, etſi pium eſt quod fuit additum: qui tamen hoc patrare auſus fuerit citra cognitionem ſynodicam, culpa nequaquam vacabit, *apud Labbeum col.* 494. *Itaque Pontifices in novis, quas poſt Concilium CP. condidere, formulis particulam* Filioque *facile admiſerunt: in ipſo Symbolo citra legitimam auctoritatem addi nefas eſſe ducebant. quod tamen poſtmodum uſu invaleſcente approbarunt.*

ADMONITIO
IN SEQUENTIA CAPITULARIA.

Capitularia tria, quæ mox referemus, deſcripta ſunt ex veteri codice bibliothecæ Chigianæ, qui olim fuit monaſterii ſancti Pauli ad Urbem, ſcriptus ante annos ferme octingentos. In eo diverſus eſt in multis ordo ab editis, diverſi contextus, ac diverſæ lectiones non contemnendæ. Verum his minutiis omiſſis, ea tantum huc afferimus, quæ ſunt majoris momenti, hoc eſt tria Capitularia, quorum priora duo ſunt Caroli M. tertium Ludovici Auguſti ejus filii. Quæ in tertio dicuntur de judicio ad Crucem, *ex Notis ad Capitularia Baluziana, & ex Gloſſario Cangiano abunde illuſtrantur.*

His Capitularibus propter argumenti affinitatem adjungimus ex Chartario Farfenſi tria præclara inſtrumenta: quorum duo Placita ſunt, alterum Luponis Ducis Spoletani, cujus eſt etiam Præceptum de conditione parthenonis ſancti Georgii prope Reate, quod hæc Placita præcedit: alterum Adalhardi abbatis Corbeienſis, Miſſi Dominici in

Italia ſub Bernardo rege, Pippini filio. quod poſtremum datum eſt anno XL *Caroli M. in Italia regnantis, Bernardi vero ejus nepotis anno* V. *Indictione* VII. *hoc eſt anno Chriſti* DCCC XIV. *& quidem* menſe Februario. *ac proinde paullo poſt Caroli obitum, qui contigerat Ianuarii præcedentis die* XXVIII. *ſed necdum in Adalhardi cognitionem venerat. Hinc probatur id, quod auctor libelli de tranſlatione ſancti Viti ſcribit, Adalhardum non modo ſub Pippino, (quod Paſchaſius in Adalhardi elogio teſtatur) ſed etiam ſub Bernardo, Pippini filio, Italiam adminiſtraſſe: de cujus in reddenda juſtitia ſtudio & æquitate idem Paſchaſius teſtis eſt luculentus.*

His ſuccedet ex eodem Farfenſi Chartario Narratio contentionis de Cella ſanctæ Mariæ in Minione inter monachos Farfenſes, & ſanctorum Coſmæ & Damiani in Mica-aurea. Cella hæc ſita erat in territorio Tuſcanæ, prope fluviolum Minionem, a quo vocabulum traxit.

INCIPIT CAPITULARE,

Qualiter domnus Rex ad placitum ſuum fidelibus ſuis ammonuit.

I. Volumus atque ammonemus &c. *ut tom.* I. *Capitular. col.* 355. *artic.* XXXVII.

II. Ut abbates, qui monaſteriis regularibus præſunt, volumus atque jubemus ut ſecundum Regulam vivant & doceant, & de ſubjectis de hoc, quotquot illis & carnaliter & ſpiritaliter miniſtrare curent, & vigilantiam habeant.

III. Ut abbates, qui Canonicam debent normam illis, ſimiliter ſuis provideant clericis, ſicut Ordo Canonicus docet, & juxta vires certent, qualiter ipſe Ordo ibidem ſervetur, & officium debitum ipſi explere queant, &, ubi opus eſt, ſua monaſteria emendare procurent: & ut abbates monaſteria ſibi commiſſa magis frequentare delectent, & ſuos clericos inſtruant, ut Dei ſervitium expleant, & Ordinem ſuum cuſtodiant, quos per cetera delectamenta pro voluntate ſæcularium vacare non ſinant, niſi forte contingat eos in ſervitio domni Imperatoris noſtroque eſſe occupatos; & hoc ad tempus erit, non ſemper.

IV. Ut vaſſi & auſtaldi noſtri in miniſteriis veſtris, ſicut decet, honorem & plenam juſtitiam habeant: & ſi præſentes eſſe non poſſunt, ſuos advocatos habeant, qui eorum res ante Co-

mitem defendere poſſint: & quicquid eis quæritur, juſtitiam habeant.

V. Volumus atque jubemus, ut Advocati in præſentia Comitis eligantur, non habentes famam malam: ſed tales eligantur, quales lex jubet eligere.

VI. Volumus etiam atque jubemus, ut Comites & eorum judices non dimittant teſtes habentes malam famam teſtimonium perhibere: ſed tales eligantur, qui teſtimonium bonum habeant inter ſuos pagenſes. Et primum per ipſos judices inquirantur, & ſicut ab aliis rectius inquirere potuerint, ita faciant, non voluntati malorum hominum aſſenſum præbentes: ut & ipſi Comites vel eorum judices, quos noverunt, cauſam, de qua inter eos agitur, compertam eſſe, ſine blandimento ipſius, qui cauſam habet, faciant ad eamdem cauſam venire, & per eorum inquiſitionem definita fiant. Et jubemus ut teſtimonia ab invicem ſeparentur, ſicut lex jubet: quia ſi ita agant, multi falſi teſtes poſſunt convinci.

VII. Sed & hoc volumus, ut Comites plenam juſtitiam de latronibus faciant per eorum miniſteria, & ut malefactores & fures non patiantur quietos reſidere, ſed ſemper eos, in quantum valent, infeſtent.

VIII. Ut ante Vicarios nulla criminalis actio definiatur, niſi tantum leviores cauſæ, quæ facile poſſunt dijudicari. Et nullus in eorum judicio aliquos in ſervitio homines conquirat, ſed per fidem remittantur uſque in præſentiam Comitis: & ingenuos homines nulla placita faciant cuſtodire, poſtquam illa tria cuſtodiant placita, quæ inſtructa ſunt: niſi forte contingat, ut aliquis aliquem accuſet, exceptis illis ſcabinis, qui cum judicibus reſidere debent.

IX. Volumus ut ſicut nos omnibus legem conſervamus, ita & omnes legem nobis conſervare faciant, & plenam juſtitiam in eorum miniſteriis, quidquid ad nos pertinet, facere ſtudeant.

X. Inhibemus ut propter ullam diſtrictionem, quam nos facere jubemus, aut pro quibuſlibet cauſis ſervi non mittantur in diſtrictionem, ſed per Miſſos noſtros vel domini eorum, aut illorum advocati, ipſos ſervos diſtringant, & ipſi, ſicut lex jubet, rationem per ſervos reddant, utrum culpabiles ſint, an non: ipſi vero domini diſtringant & inquirant ſervos ſuos, ſicut ipſi amant.

XI. Ut nemo forcapium de mancipiis aut de qualibet cauſa

recipere præſumat, ſicut ſæpius domnus Imperator commendavit.

XII. Ut mancipia adventitia & fugitiva nullus recipere præſumat.

XIII. De mannire vero, niſi de ingenuitate aut de hereditate non ſint, aperte obſervandum: de ceteris vero inquiſitionibus per diſtrictionem Comitis ad mallum veniant, & juſte examinentur ad juſtitiam faciendum, &c. *ut tomo* 1. *col.* 1105.

Si quis Langobardus faciem Dei & ſtatum humanæ fragilitatis recogitans, pro ſalute animæ ſuæ de rebus ſuis voluerit judicare, &c. *tom* 1. *col.* 347.

XIV. Si quiſlibet contempta juſſione noſtra, ceteris in exercitum pergentibus, domi reſidere præſumpſerit, plenum haribannum ſecundum legem Francorum, id eſt ſexaginta ſolidos, ſciat ſe debere componere, &c. *ibid.*

II.

CAPITULA PLACITI MANTUANI.

I. De ſingulis Capitulis, qualiter Mantua ad placitum generale .... omnibus notum fecimus.

II. De juſtitiis eccleſiarum Dei, viduarum, orphanorum minus potentium volumus atque omnimodis præcipimus, ut omnes Epiſcopi, & Abbates, & Comites ſecundum legem pleniter juſtitiam faciant, & recipiant.

III. Hoc ſtatuimus, ut unuſquiſque clamator tertiam vicem ad Comitem ſuum ſe proclamet, & inde idoneos homines habeat, qui hoc veraciter ſciant quod proclamaſſet, & nullam exinde juſtitiam habere potuiſſet: & ſi * qualiter fecerit, & antea ad placitum ſe proclamaverit, legem ſuam componat. * *f.* aliter

IV. Comites vero de illorum parte per teſtes affirment, quod ei juſtitiam facere voluiſſent, & omnia notarium ſuum ſcribere faciant quanti ad ſe proclamaſſent, vel quantas juſtitias factas habent: ut nullam excuſationem habere poſſint. niſi veritas clara ſit, & juſtitiam facere voluiſſet, & hoc ipſe Comes aut ejus advocatus per ſacramentum firmare poſſit, quod de illorum juſtitia nullam negligentiam habeat, & per ipſa brevia cognoſcere valeamus, utrum ad ſe proclamaſſet, an non.

V. Hoc omnibus notum ſit, ſi quiſlibet poſt cauſam legibus finitam pro ſe clamaverit, aut XV. accipiat * gamatos, aut ſolidos XV. componere cogatur. * *id eſt* percuſſiones

VI. Ut nullus alterius preſbyterum recipiat, antequam ab Epiſcopo loci illius examinatus vel inquiſitus ſit : neque liceat ibi Miſſas celebrare.

VII. Ut quando Epiſcopus pro ſua parrochia cercata fecerit, Comes vel ſculdaïs ei adjutorium præbeat, qualiter miniſterium ſuum pleniter perficere valeat ſecundum canonicam inſtitutionem.

VIII. Ut nullus mancipia chriſtiana vel pagana, nec quælibet arma, vel armiſſos foras regno noſtro vendat : & qui hoc fecerit, bannum dominicum componere cogatur: & ſi ea mancipia minime revocare potuerit, vvidringum ſuum componat.

IX. Ut nullus alteri teloneum præſumat tollere, niſi ſecundum antiquam conſuetudinem ; & alibi non tollat, niſi in locis antiquis & legitimis : & cui injuſte tollitur, ſecundum legem componatur, & inſuper bannum noſtrum Miſſis noſtris componat.

X. Ut nullus poſt calendas Auguſti iſtos denarios, quos modo habemus, & uſi ſumus, dare audeat aut recipere : ſi quis hoc fecerit, bannum noſtrum componat.

XI. De latronibus, qui ante Miſſos noſtros minime venerunt, ut Comites eos perquirant, & ipſos aut fidejuſſores, aut ſub cuſtodia ſervent, donec Miſſi ibidem revertantur.

XII. Ut nullus quemlibet hominem Langobardum cum invaſſatico vel caſa ſua recipere audeat, antequam ſciat unde ſit, vel quomodo natus eſt : & qui aliter fecerit, bannum noſtrum componat.

XIII. De ſynodochiis volumus atque præcipimus ut reſtaurata fiant.

XIV. De vaſſis regalibus & de juſtitiis illorum, ut ante Comitem ſuum recipiant & reddant.

III.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

HLUDVVICUS nutu divino a Deo coronatus ſereniſſimus Auguſtus, omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, ſeu cunctis fidelibus noſtris. Capitula quæ nobis addere placuit hæc ſunt.

I. Si quis cum altero de qualibet, &c. *ut tomo* I. *col.* 601. *cap.* X. *his exceptis.* In eccleſiaſticis vero negotiis Crucis judicio

dicio rei veritas inquiratur. Hoc de timidis atque imbecillibus ſive infirmis, qui pugnare non valent, ut nullatenus propter hoc juſtitia ſua careant, cenſemus faciendum. Teſtes vero de qualibet re non aliunde, &c.

IV. Si duo teſtimonia de qualibet re fuerint, & inter ſe diſcordent, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera parte: ut illi duo decertent cum ſcutis & fuſtibus. Nam ſi flebiliores fuerint ipſi teſtes, tunc ad Crucem examinentur. Quod ſi majoris ætatis ſunt, & non poſſunt ad Crucem ſtare; tunc mittant aut filios, aut qualemcumque hominem poſſunt, qui pro eis hoc contendat: & ille qui de illa falſitate convictus fuerit, dextram manum perdat.

vide tom. I. col. 688. n. X.

V. De omnibus debitis ſolvendis, ſicut antiquitus fuit conſtitutum, per XII. denarios ſolidus ſolvatur per totam Salicam, excepto leudes. Si Saxo aut Friſo aliquem occiderit, per XL. denarios ſolidus ſolvatur. Infra Salicos vero ex utraque parte de omnibus debitis, ſicut diximus XII. denarii pro ſolido ſolvantur, ſive de homicidiis, ſive de rebus.

VI. De mannire vero niſi de ingenuitate, &c. *ut in editis.*

Item alia Capitula.

VII. Primum omnium placuit nobis, ut cartulæ, *ut in edit. tom.* I. *col.* 689.

VIII. Qui pulſat quod res venumdaſſet, & non juſto pretio; accedant ambæ partes ſuper res, quas venumdavit, & exiſtimatores cum ipſis, & rememorent & appretient res ipſas, ſicut tunc valebant, quando res ipſæ bene reſtauratæ fuerunt, antequam nos huc cum exercitu noſtro iſſemus. Et ſi res ipſa ſic appretiata fuerit juſto pretio, ſicut in ipſa cartula legitur, quod res ipſæ juſto legitimo pretio venumdaſſent, ſicut tunc valuerunt, ut dictum eſt; venditio ipſa firma permaneat. Nam ſi res ipſas amplius æſtimaverint quod tunc valuiſſent, quam pretium ipſum quod accepit; & ipſe qui venumdaverit oſtendere potuerit, ut ex neceſſitate famis venditionem ipſam feciſſet; aut in cartula ipſa manifeſtaverit tempore neceſſitatis famis: cartula ipſa frangatur, & pretium juxta ut in ipſa cartula legitur, reddat, & recipiat res ſuas ſicut modo invenit eas: ante poſito ædificio aut labore, qui poſtea ibi factus eſt, ipſe qui fecit tollat, aut ſicut inter eos convenerit: & de iſta venditione ipſa perſona agat quæ venumdavit, aut filius ejus, non alter propinquus.

IX. Cartulæ illæ quæ leguntur de donatione, ſimiliter volumus ut appretientur. Si amplius valuerint res ipſæ, quando reſtauratæ fuerunt, quam ipſe * *launegild* fuiſſet, quando accepit; & ipſam donationem ſimiliter ſtrictus ex neceſſitate famis feciſſet, & ſi probare potuerit, reddat *launegild*, & recipiat res ſuas, & cartula ipſa frangatur.

* pretium venditionis *V. Gloſſar.*

X. De donatione vel venditione, quæ in loca venerabilia facta ſunt, ſuſpendi juſſimus, dum enim compenſaverimus in ſynodo cum Epiſcopis & Comitibus, quomodo fieri debeant: & hoc jubemus, ut illis partibus juſtum procedat judicium, ubi nos aut noſtra * oſtis fuerimus per illud quod ſupra ſcriptum eſt. Et hoc ſtatuimus, ut cartulæ illæ, quæ tempore Desiderii factæ fuerunt per diſtrictionem famis, aut per qualecumque ingenium, ut iſta cauſa non computetur: ſed juxta legem ipſorum exinde procedat judicium. Et hoc damus in mandatis, ut quicumque homo ab hac præſenti die xx. menſis Februarii ſuas vendere res voluerit, in omnibus eorum pertineat poteſtatem: tantum ſic faciant, ſicut eorum fuerit lex. Unde qualiter nobis placuit præſentem deliberationis notitiam pro amputandis contentionibus fieri juſſimus, & nobis legi fecimus, & volumus ut ſic procedat judicium. Facta notitia anno dominorum noſtrorum.....

* exercitus

PRÆCEPTUM
LUPONIS DUCIS SPOLETANI
De conditione monaſterii S. Georgii prope Reate.

IN Dei nomine domnus Lupo & domna Hermelinda glorioſi & ſummi Duces, monaſterio ſancti Georgii martyris Chriſti, ſito prope muros civitatis noſtræ Reatinæ, quem Chriſto protegente monaſterium puellarum eſſe conſtituimus. Laudabilis & miſericors omnipotens Deus, qui dedit remedia nobis mundanda peccata, ſicut rogus, inquit, extinguitur latice, ita eleemoſyna ſæva purgantur peccata. Non te excuſes per multitudinem divitiarum tuarum: quoniam qui nobis dedit, & in alios ipſe pro ſua pietate largitur. Quid modi-

cæ fidei, quid adhuc dubii ſumus? nam centies retribuet, & vita æterna fruebitur: quia auctor noſter pro noſtra ſalute ſuum ſanguinem effudit, & nos non volumus pro noſtro Redemptore res noſtras amittere. Eſto propitius Chriſte delictis noſtris, & hoc monaſterium puellarum ſit tibi placabile, Deus, quod pro noſtris facinoribus tribuimus, donamus, & in æterna traditione concedimus prædictum monaſterium ſancti Georgii martyris Chriſti cum omni ſubſtantia ſua, quam ibidem pertenuit, & uſque nunc poſſeſſum eſt, in eo ordine, ut ibidem congregatio ſanctimonialium feminarum eſſe debeat, quas ibi Dominus dignatus fuerit aggregare, tam * incorales, quam de diverſis provinciis, undique Dominus adauxerit, hoc eſt Langobardas vel Francas: ut ſecundum Deum & ſanctam Regulam in ipſo ſancto cœnobio vitam ſuam degere debeant, & quotidianis diebus pro Chriſtianarum animarum ſalute hoſtias & Deo laudes referre debeant: & qualiter Dominus inſpiraverit omnem ipſam congregationem, uno conſenſu ſive Priorem eligant, ſive Abbatiſſam in Dei timore. Et hoc namque monaſterium vel ipſa ſancta congregatio ſub tuitione & defenſione debeat eſſe ſanctæ Dei genetricis Mariæ monaſterii * in Acutiano, & nunc ibi modo DOMNOLINAM abbatiſſam conſtituimus, ut uſque dum ei Dominus vitam dignatus fuerit largire, cuſtos & rectrix ibi eſſe debeat regulariter, uti competit Dei famulam & abbatiſſam. Poſt vero ejus defunctionem, ſicut caſus humanus fragilis eſt, dum ab hac luce fuerit ſubtracta, ipſa congregatio monacharum, ut ſuperius affati ſumus, uno conſenſu, qualis earum congrua fuerit, una cum permiſſione & conſenſu abbatis monaſterii ſanctæ Dei genetricis Mariæ, vel ejus ſucceſſoris, qui poſt ipſum abbas fuerit, licentiam habeat prædicto tenore ſibi eligere abbatiſſam. Quod vero præceptum offertionis noſtræ nullus gaſtaldus vel actionarius noſter de his, quæ noſtra conſtituit largiter poteſtas, audeat vexare quandoque: ſed omni tempore firmum & ſtabile permaneat. Ex juſſione ſupraſcriptæ Poteſtatis ſcripſi ipſe ego Dagar. Notarius. Dat. juſſ. Spolet. in palatio, anno Ducatus noſtri in Dei nomine VI. menſe Aprili, per Indictionem IV. ſub Immone gaſtaldo noſtro feliciter.

* *id eſt* hujus provinciæ

* *ſcil.* Farfenſis

PLACITUM EJUSDEM LUPONIS DUCIS.

IN Dei nomine dum reſiderem ego domnus Lupo, glorioſus & ſummus Dux gentis Langobardorum in Spoleto, in palatio, una cum judicibus noſtris, id eſt Gademario, Arechis Diac. Perto Stol. Allone Sculd. Camerino gaſtaldo de Valva, Immo de Reate gaſtaldo, vel aliis pluribus adſtantibus, ibi venerunt in præſentia noſtra Claudianus presbyter & monachus una cum Vitulo germano ſuo, & nepotibus ſuis, id eſt, Anſualdo presbytero, Saxoreo, Auſone, habentibus cum eo altercationem de ſubſtantia ſua. At ubi proponebat ipſe Claudianus presbyter, dicens. Sunt modo anni non minus triginta, ex quo habuimus ſubſtantias diviſas cum iſtis fratribus meis; & in portione, quæ mihi venit in Terentiano, ædificavi pro anima mea monaſterium ſanctæ Mariæ & ſancti archangeli Michaëlis. Poſtea dum mihi contigiſſet infirmitas uſque quo ad tranſitum venirem, feci per ſcriptum, ut omnes portiones ſubſtantiæ meæ, vel conquiſitum quod habui, cum ipſo monaſterio poſt meum diſceſſum reverterentur omnia in dominatum vel poteſtatem monaſterii ſanctæ Mariæ in Acutiano. Dum hoc factum eſt, fecit in me Deus ſuam pietatem, & reductus ſum ad medelam ſalutis de ipſa infirmitate. Modo vero compungente me divina majeſtate, volo cum omni ipſa ſubſtantia eſſe ſervus ſanctæ Mariæ, & in monaſterio introire, & regulariter vitam meam ibi finire.

Reſpondebat pars Vituli & Anſualdi & nepotum meorum, qui cauſam ſuam aliorumque fratrum ſuorum, qui in Reate remanſerunt, vindicabant. Non faciat Deus ut veritas ſit ſicut propoſuiſti, ſed nos dicimus veritatem, qualiter acta eſt cauſa inter nos de ſubſtantiæ noſtræ diviſione. Verum eſt quod jam plures anni ſunt, ex quo habuimus diviſas ſubſtantias, & in quo modo dicimus. Dum ad dividendum veniſſemus, habuimus ſubſtantias per ſingula loca, & domum cultam non habebamus, niſi unam caſam in Terentiano: alias caſas tantum colonicias habebamus. Et dum in plures partes nobis eveniret, ad ſortiendum ipſam domum cultam, ſic a nobis poſtulavit iſte frater noſter Claudianus, ut dimitteremus illi ſuper totam partem ſubſtantiæ noſtræ ipſam caſam, domum cultam in Terentiano cum omnibus ſuis pertinentiis, in tali tenore, ut commune

nobiſcum ibidem ædificare deberet monaſterium : ita ut filii noſtri ibi tenderent, & in ejus traderentur ſervitio, & ad diſcendum litteras: poſt ejus vero deceſſum, ipſum monaſterium vel ejus partes reverterentur in noſtram vel filiorum noſtrorum poteſtatem. Nos vero communiter cum eo conſtruximus ipſum monaſterium, & filios noſtros ut nobis repromitteret tradidimus ei ad ſerviendum; & chartulam nobis in eo tenore fecit, ut poſt ejus obitum nobis remaneret. Modo autem vult eam ſubtrahere nobis, introïens cum rebus ipſis in monaſterium ſanctæ Mariæ, quod nobis major compareſcit præjudicium eſſe.

Sed proponebat Claudianus dicens. Quid plura habeo dicere quam dixi? nequaquam dixerunt verum, nec aliquando placitum iſtum ad eos feci de mea portione, aut ſcriptum ut proponunt.

Dum talia nos qui ſupra domnus Lupo eorum cognoviſſemus intentionem una cum prædictis judicibus noſtris, interrogavimus ipſum Claudianum, ſi haberet chartulam ut dixit, quam intranſitu ſuo feciſſet. At ille nobis dixit, quia ecce chartam præ manibus habeo illam. Fecimus eam in noſtra relegi præſentia. Continebat enim, qualiter prius dixerat, ut poſt ejus obitum reverteretur in ſanctam Mariam. Iterum ipſi fratres vel nepotes ejus oſtenderunt a parte ſua chartam, ut dicebant, quam Claudianus eis feciſſet. Fecimus & ipſam relegi. Comparuit fraudulentia, in qua re nec Notarium verum habebant, nec teſtimonia. Comparuit nobis rectum, & decrevimus Deo medio una cum ſupra ſcriptis judicibus noſtris, ut pars Claudiani diceret eorum juſtitiam ad ſancta Dei Evangelia, quod ſuam portionem eis nullo modo obligaſſet, nec chartulam ipſam ad eos feciſſet: ſed ab illa hora liceret ei cum rebus ſuis in jam dictum monaſterium introire. Quod de præſenti præparavit ſe ipſe Claudianus facere eis ipſum ſacramentum. Ipſi vero donaverunt ei, & amiſerunt ſacramentum ipſum ante præſentiam Immonis gaſtaldi, Andualdi Sculd. Theuderadi presbyteri, Alifredi actionarii, Teudualdi gaſindii, Guederici ſeu Urſi centurionis, & Probati atque Guſtantii: & finita eſt inter eos cauſa. Quod vero judicatum ex juſſione ſupraſcriptæ Poteſtatis ſcripſi ego Dagar. Notarius menſe Decembri per Indictionem IIII. feliciter.

PLACITUM
Adalhardi abbatis, Miſſi dominici.

CUm veniſſem ego ADALHARD abbas, Miſſus domini Imperatoris Caroli, civitatem Spoletium, & reſediſſem in judicio in palatio cum Sigualdo, Gradigis, & Hiſemundo epiſcopis, Leone judice domini Regis, Fratello abbate, Johanne, Leodegar & Magio, Maximo, Hilderico, ſeu Hilpidiano Caſt. Benedicto & Baſſo ſcavinis, Tribuno ſcavino de Camerino, ibique veniens ad reclamandum BENEDICTUS abbas monaſterii ſanctæ Dei genitricis Dei Mariæ, ſiti Sabinenſis, una cum Johanne advocato ſuo, quod quidam Leo de Reate feciſſet traditionem in eodem monaſterio de rebus ſuis, & haberet exinde conuenientiam factam cum Herſoaldo genero ejuſdem Leonis, filio Rumualdi Caſt. ipſo ejus genitore conſentiente, ut ſuper ſe aut ejus heredes res ipſas retollere quæſiſſent per quodlibet ingenium, aut contra eos exinde habere voluerit cauſationem, componeret eis argenti libras LX. Sed modo contradicunt ei ipſas res, & non permittunt ipſum monaſterium habere ſecundum ſuam obligationem. Et dum ipſe Rumualdus & Herſualdus eſſent præſentes, & audiſſent hanc proclamationem, fecimus nobis in primis relegi breve illud traditionis, quod Leo fecerat in eodem monaſterio de rebus ſuis. Deinde fecimus relegi illam convenientiam obligationis, quam ipſe Herſualdus, ipſo genitore ſuo conſentiente, eidem Benedicto Abbati factam habebat: ubi continebatur, ſicut ſuperius aſſeruerant. Et poſt relecta munimina ipſa, interrogavimus ipſum Rumualdum & Herſualdum, ſi aliquid adverſus hæc dicere voluiſſent. Qui dixerunt: Nos illi de rebus ipſis numquam contradiximus, nec contradicere quærimus. Et replicans ipſe Johannes advocatus aïebat: Certe tu contradixiſti, & contra nos exinde cauſationem oppoſuiſti, & ita poſſumus comprobare. Tunc affati ſunt ipſe Herſualdus & Rumualdus: Certe negare non poſſumus, nec volumus, quia contradiximus ipſas res, & cauſationem exinde oppoſuimus. Hoc dicto venit è contra Scaptolfus de Reate, ſimiliter gener ejuſdem Leonis, & dixit: Convenientiam iſtam quam tibi iſti Herſualdus & Rumualdus fecerunt, facere non potuerunt de

rebus ipſius Leonis, eo quod ex ſe convenientia obligationis, quam mihi fecit iſte Rumualdus, ante ipſam, quam vos oſtenditis, ut res ipſas, quas vos quæritis, mecum dividere debuiſſet: & ſi non diviſiſſet, & aut ipſe, aut Herfualdus filius ejus ita non adimpleſſent, & aliter removere quæſiſſent per qualecumque ingenium; componerent mihi mancos C X C. Et dum ipſam nobis relegi feciſſemus, continebatur ibi, ſicut ipſe Scaptolfus aſſeruerat. Et relecta convenientia ipſa, interrogavimus ipſum Rumualdum, cur talia feciſſet: & quando ſe primo obligaverat Scaptulfo, ſe iterum quare ad partem monaſterii obligaſſet. Qui dixit, quod neſcienter hoc feciſſet. Et adhuc interrogavimus eum, ſi poſſet aliquid contradicere, quod pœnas in ipſis convenientiis obligatas componere non debuiſſet. Qui dixit, quod nullatenus poſſet contendere, ut pœnas ipſas non ſolveret. Hoc dicto, fecimus eum dare guadium ſupra ſcripto Johanni advocato, ut componeret ad partem ejuſdem monaſterii ſecundum ipſam convenientiam, & juxta ſuam obligationem libras L X. Et deinde fecimus eum dare guadium eidem Scaptulfo de compoſitione mancos C X C ſecundam chartam ipſius obligationis, quam ei fecerat: & data guadia iſta, ſuſpendimus cauſas ipſas uſque ad alium diem.

Et dum conjungeremus cum Suppone Comite Palatii, Guinichis & Heccideo Ducibus, & pertractaremus quomodo aut qualiter finem inter eos feciſſemus; venientes alio die in eodem palatio ſupraſcripto, Comiti & Ducibus per ordinem illorum cauſas, ſicut actæ fuerant, intimavimus. Et dum ipſe Rumualdus inventus fuiſſet culpabilis, cœpimus rogare miſericordiam, ut eum non opprimerent, ſicut poterant, de ipſis compoſitionibus. Et ſtatim ſupra ſcriptus Benedictus abbas cum Johanne advocato ſuo dixit: Certe nos à noſtra parte nullam compoſitionem ei tollere quærimus, niſi tantummodo volumus habere res ipſas, quas ad partem monaſterii ipſe Leo tradidit. Deinde Scaptolfus dixit: Certe & ego ex mea parte nullam compoſitionem quæro illius: ſolummodo liceat mihi habere meam portionem, quæ mihi pertinet à conjuge mea de hereditate ejuſdem Leonis ſoceri mei, vel quam per chartam in eadem conjuge mea vel filiis ejus dederat. Et ſtatim ſua bona & ſpontanea voluntate primo omnium ipſe Benedictus abbas cum Johanne advocato ſuo ceſſerunt, & perdonaverunt eidem Rumualdo & Herfualdo filio ejus ipſam compoſitionem nimi-

rum lib. LX. & ſuſceperunt ab eis *Launechild*, manicias par unum. Et deinde Scaptolfus ſua ſponte ceſſit & perdonavit eis ipſos CXC mancos, & ſuſcepit ab eis *Launechild*, ſimiliter manicias par unum. Et cum ita factum fuiſſet, guadiaverunt inter ſe ipſi ſimul & Mauſio, tutor Liupæ, cognatæ ejuſdem Scaptolfi, filii ſupradicti Leonis, ut ambularent ad dividendas ipſas res ejuſdem Leonis: & pars monaſterii tolleret medietatem, quæ fuerat portio ejuſdem Leonis; & ipſe Scaptolfus & Rumualdus cum filio ſuo atque Mauſione, tutore ejuſdem Liupæ, tollerent medietatem ſecundum legem: ita ſane, ut quicquid exinde ipſe Leo in conjuge ejuſdem Scaptulfi vel filiis ejus per chartam dederat ante, haberent ſibi: & dimiſit ipſe Scaptolfus eidem Rumualdo & Herfualdo ſuam portionem, quæ ei de conjuge ſua debebatur in Amiterno. Reliqua omnia diviſerunt, ſicut ſupra ſcriptum eſt, tantum ut hoc quod ipſe Leo alii donaverat, aut in eccleſia obtulerat, vel ſervos pro anima ſua liberos dimiſerat, in illa Leonis ejuſdem portione ſit omne computatum: & munimina omnia obligationis & convenientiæ, quæ inter ſe Scaptolfus & Rumualdus, ſeu & Benedictus abbas facta habuerant, ſtatim præſentibus nobis ſua voluntate caſſaverunt, & dixerunt quod amplius convenientias vel promiſſiones non haberent, quas alter adverſus alterum oſtendere poſſet: tantummodo ſupraſcriptum breve traditionis, & illa charta, quam Leo in conjuge ejuſdem Scalptulfi vel in filiis ejus emiſerat, ſtabilitæ remaneant: & finita eſt cauſa. Unde qualiter acta vel deliberata eſt cauſa, præſentibus teſtibus notitias uno tenore pro eorum ſecuritate Urſinianum notarium domini Regis facere commonuimus: & ego quidem Martinus notarius ex ipſius Urſiniani ſupra dictatu ſubſcripſi anno dominorum noſtrorum Caroli & Bernardi Regum XL & V, menſe Februarii, Indictione ſeptima. † Ego Adalhardus ſubſcripſi. Signum vel manus Supponis Comitis palatii qui interfuit. † Ego Accideus Comes interfui. † Ego Hiſimundus epiſcopus interfui. † Ego Maximus caſt. ibi fui. † Ego Tribunus interfui. † Ego Hildericus interfui. † Ego Johannes Sculd. ibi fui. † Ego Guinich. ibi fui. † Ego Leo baſſus domini Regis concordem me ſubſcripſi.

NARRATIO

NARRATIO CONTENTIONIS
DE CELLA S. MARIÆ IN MINIONE
Inter monachos Farfenſes & ſanctorum Coſmæ & Damiani.

Contentio igitur quæ fuit de Cella ſanctæ Mariæ in Minione inter hoc noſtrum monaſterium, & monaſterium ſanctorum Coſmæ & Damiani, quod ponitur in Mica-aurea, ita exorta eſt, ut inferius referemus: quam huic operi inſeruimus, ex authenticis ſchedantes, ob id maxime, his ut auditis deinceps caveatur à rectoribus cœnobii hujus, ne ſimilis proveniat eventus. Obſecramus autem omnes ſeniores, qui audituri eſtis, pro Dei amore ſanctæque Mariæ ſervitio diligenter auſcultetis, atque diſcrete diſcernatis, ſi umquam plus injuſtam abſurdamque litem audiſtis, quam ſeniores prædicti monaſterii ſanctorum Coſmæ & Damiani de hoc fecerunt. In veritate quæ Chriſtus eſt vobis dicimus, quia per centum & eo amplius annorum curricula fuit prædicta Cella de Minione ſub jure & dominio hujus monaſterii ſanctæ Mariæ, antequam præfatum monaſterium ſanctorum Coſmæ & Damiani fuiſſet incœptum, quemadmodum in ſequentibus audietis.

Karolus denique, piæ memoriæ piiſſimus imperator, prædictam Cellam per ſuum præceptum huic monaſterio in primis contulit. Deinde Hludovicus filius ejus & omnes ſui ſucceſſores confirmaverunt: & hoc monaſterium ſemper illam tenuit, uſque dum Sarraceni venerunt, qui cuncta monaſteria extra Romam divaſtarunt funditus: ita ut etiam hoc monaſterium XLVIII annis abſque habitatore eſſet. Et poſt hanc divaſtationem hujus monaſterii reſtaurator præcipuus exſtitit venerabilis abbas Ratfredus. Poſt ejus mortem Campo abbas tenuit hujus regimen monaſterii: qui ordinavit in prædicta cella unum Præpoſitum ad ipſum locum reſtaurandum, nomine Venerandum, quem acquiſivit ab Abbate monaſterii ſancti Juſti de Tuſcana: ac fecit ei de prædicta cella deſtructa libellum in tribus perſonis monachorum, ſuccedentibus uno duobus, ſicut conſuetudo ſæcularium monachorum tunc erat, unde & apparum ipſe Abbas apud ſe retinuit. Quo ingreſſus,

cito incolumem locum reſtituit: Valentinus quoque, Centumcellenſis Epiſcopus, ipſe eccleſiam conſecravit. Venerandus vero jam dictus præpoſitus, quamdiu ibi habitavit, ita obediebat Camponi abbati ſuiſque ſucceſſoribus, ſicut & alii præpoſiti facere conſueverant.

Hoc namque tempore cœpit Benedictus, qui dicebatur Campaninus, ædificare prælibatum monaſterium ſanctorum Coſmæ & Damiani in ſua proprietate, ſicut pæne omnes Romani ſciunt, & adhuc ſuperſunt plures qui recordantur. quo completo, cœpit jam dictus Benedictus quærere utilem monachum, quem ibi abbatem præponeret. Cui cum à quibuſdam de ipſo Venerando indicatum fuiſſet, cum conſenſu iſtius monaſterii abbatis, cujus erat præpoſitus, ordinavit eum abbatem: qui quamdiu advixit, cellam Minionis ſæpe dictam tenuit ad jus & fidelitatem hujus monaſterii, & penſionem quæ in libello ſuperius nominato, quem ſecum portare ſolebat, annualiter reddebat, & aliud ſervitium Abbatibus hujus monaſterii libenter exhibebat. Quo mortuo ſucceſſor ſuus abbas, Silveſter nomine, cui libellum prædictum dimiſit, cœpit ſubtrahere illam penſionem quam dare debebat: qua de cauſa magna controverſia orta eſt inter illum & Johannem Abbatem hujus monaſterii ante præſentiam domni Ottonis imperatoris primi in Synodo generali, quæ tunc facta fuit in baſilica ſancti Petri majori, in qua ceteris videntibus reinveſtivit idem Imperator Johannem abbatem de prædicta cella, & dedit illi ſuum nuntium uſque illuc, qui & ibi eum inveſtiſſet. Sed Lambertus Cæcus reſtitit illis, qui favebat parti alterius abbatis. Imperator verò ipſe ivit ad alias partes: & tunc ratio ipſa dilata eſt uſque ad tempus Ottonis ſecundi Imperatoris. qui videlicet Imperator ira motus contra Johannem præfatum abbatem, tulit ei abbatiam, & alteri dedit. Qua de cauſa egreſſus Johannes abbas de hoc monaſterio, abiit ad Azonem abbatem de Aventino, ſuum germanum, portans ſecum quædam præcepta & aliquantas chartas hujus monaſterii: inter quas erat præceptum de cella Minionis, & apparum jam dicti libelli: quæ duo furatus eſt Urſus malivolus preſbyter, qui dicebatur de Malepaſcia, qui & camerarius erat ejuſdem Johannis abbatis; atque vendidite a prædicto Silveſtro abbati ſanctorum Coſmæ & Damiani, & tulit inde triginta libras denariorum. Ad quorum exemplar fecit ſibi facere idem Abbas

unum falſum præceptum, quod dicebat factum fuiſſe à rege Hugone.

Ab hoc tempore cœperunt ipſi abbates jam ſecurius ipſam tenere cellam uſque ad tempus Ottonis III. imperatoris atque Hugonis hujus monaſterii abbatis: quam contentionem idem Imperator legaliter cum conſilio Silveſtri venerabilis Papæ atque conſenſu, necnon & Hugonis inclyti marchionis, ceterorumque judicum Romanorum judicio finivit, ut inferius veraci ſtilo demonſtrabimus. Ex quo jam tempore præfatus Hugo abbas, ejuſque ſucceſſores tenuerunt ipſam Cellam quiete, ſcilicet ſub ipſo Imperatore & Hugone marchione per XXXII annorum pæne curricula. quibus mortuis invaſit eam Cadulus Comes, ſed citò emendavit. Deinde ſub domino Heinrico imperatore, qui reconfirmavit eam huic monaſterio per ſuum præceptum, ac ſub Raynerio marchione: ſed neque Romani Pontifices, quibus pertinet monaſterium ipſum ſanctorum Coſmæ & Damiani, & ibi juxta habent civitatem Centumcellenſem, aliquam umquam moleſtiam abbatibus hujus monaſterii ſanctæ Mariæ de ipſa cella fecerunt.

Hanc autem cellam Minionis monaſterio ſanctæ Mariæ confirmavit Otto, & Heribertus cancellarius vice Petri Cumani epiſcopi recognovit, data III Non. Decembris, anno dominicæ Incarnationis DCCCC XCIX, Indict. XIII. anno domini Ottonis regnantis XVI, imperii IV. Actum Romæ feliciter.

Anno vero pontificatus domni Gregorii V. Papæ ſecundo, imperii autem domini Ottonis imperatoris ſimiliter ſecundo, preſbyteri eccleſiæ ſancti Euſtathii, ſitæ in Platana, reclamaverunt ad dominum Gregorium papam & imperatorem Ottonem, reſidentes in baſilica beati Petri apoſtoli, ſuper Hugone abbate hujus monaſterii, dicentes quod contenderet eis duas eccleſias ſanctæ Mariæ & ſancti Benedicti, ædificatas in Thermis Alexandrinis, cum caſis, cryptis, hortis, terris cultis & incultis, areis, columnis, & oratorio Salvatoris infra ſe, vel omnibus earum pertinentiis, ſitas Romæ regione IX. Caſu autem accidente affuit ibi Hugo prædictus abbas. qui juſſus ad ipſum placitum venit, & inquiſitus reſpondit: Rogo vos date mihi inducias, quia neque judices habeo, neque advocatum. Tunc voluerunt ei dare Romanum advocatum; Et Abbas: Res monaſterii noſtri ſub lege Langobarda viguit: propterea nolo

Romanum advocatum. Et illi: Velis, nolis, legem Romanam facere habebis. Et hoc ſe abbas nullatenus facturum reſpondit, niſi audiſſet ex ore domini Imperatoris. Tunc per cucullam apprehenſus, ibidem ſedit coactus: juſſu autem domini Imperatoris inducias accepit à tertia feria uſque in ſextam feriam. Abiens autem abbas, die quo juſſus eſt cum advocato & judicibus reverſus eſt. Interrogatus autem per quam ſe legem defendere vellet; reſpondit Hubertus Dativus judex, & hujus monaſterii advocatus: Secundum legem Langobardam nos defendimus, quia per centum & eo amplius annos res noſtri monaſterii ſic defenſata eſt. Quod cum Imperatori fuiſſet relatum, dixit: Si ipſum monaſterium per legem Langobardorum fuit defenſatum, à ſua lege nullatenus ſubtraho eum. Tunc præfatus abbas oſtendit confirmationem factam a Lothario imperatore, ubi continebatur, quomodo diffinitum eſt ante præſentiam prædicti Imperatoris & domni Paſchalis papæ, quod hoc monaſterium ſub lege vivere debeat Langobardorum, & ſub tali privilegio, ſicut cetera monaſteria regni Francorum, id eſt Luxovienſium, Lirinenſium, & Agaunenſium: & Pontificem Romanum nullum dominium in jure ipſius monaſterii habere, excepta conſecratione. Quam confirmationem advocati preſbyterorum voluerunt reprobare. Ad hæc advocatus hujus monaſterii jubente domno Leone, qui erat archidiaconus, & ex parte domni Imperatoris, voluit ſacramentum præbere cum ſuis ſacramentalibus, quod ſcripta ipſa falſa non eſſent, & quod hoc monaſterium per ipſam confirmationem per centum & amplius annos ſe defenſavit per legem Langobardorum. Inſuper per pugnam & per teſtimonia probare voluit: ſed preſbyteri recipere noluerunt, dicentes, quod non oporteret eis. Ad hæc domnus Leo: Modo ſcio pro certo, quod idem monaſterium ſemper fuit ſub tuitione Regum, & per legem Langobardorum eſt defenſatum. Nunc quærite abbatem, & reſpondeat vobis ſecundum ſuam legem.

Tunc advocatus preſbyterorum quæſivit domnum abbatem de duabus eccleſiis ſupraſcriptis; & dicebat, quod de eis ab anterioribus illorum preſbyterorum charta tertii generis facta fuiſſet anterioribus ejuſdem abbatis in tribus perſonis ad penſionem reddendam. Ad hæc Hubertus advocatus reſpondit, quod hoc monaſterium per xxxx annos poſſedit eas ad proprietatem: & oſtendit capitulum, ubi continebatur, quod de

penſione non deberet reſpondere, ſed de poſſeſſione ſecundum ſuam legem. Et tum induciatum eſt in alteram diem, in qua querimonio facto ſicut prius, reſponſumque eſt ut ſupra relatum eſt. Tunc preſbyteri accuſare cœperunt noſtrum advocatum ad domnum Leonem, dicentes, illum eſſe fallacem. Sed domnus Leo accepto utiliori conſilio, fecit eumdem advocatum jurare per quatuor Evangelia, ut ex illa hora & deinceps verum judicium judicaret. Et dedit alium advocatum pro eo Petrum, filium Raynerii, Comitatus Reatini: & inquiſivit domnus Leo judices Romanos, quid ſibi videretur de hoc. Et reſponderunt: Judex Hubertus, qui eſt Langobardus, diffiniat, quia nobis non pertinet de hoc judicare. Tunc Hubertus oſtendit capitula, ubi continebatur, quod ſancta & venerabilia loca ſecundum legem Langobardam per XL annos poſſent per ſacramentum probare ſuam poſſeſſionem. Et ita judicavit Hubertus judex. Tunc præparavit ſe advocatus domni abbatis, ut ſic juraret cum ſacramentalibus ſuis: & omnes judices Romani affirmarunt, quod recte judicaſſet Hubertus ſecundum ſuam legem.

At contra advocatus preſbyterorum dare volebat teſtimonia, quod infra ipſorum curricula annorum penſionem accepiſſent ab hoc monaſterio. Deinde Hubertus reſpondit: Noſtra lex non præcipit, ut de penſione reſpondeat advocatus domni Abbatis, ſed tantum de poſſeſſione: nec ego aliter judico. Tamen ſi placet domino Leoni & judicibus, dent preſbyteri teſtimonia; dabit & domnus Abbas ſua: & diſcernatur per pugnam. Et placuit omnibus. Et dederunt preſbyteri tria teſtimonia, quorum nomina ſunt, Caſtorius, Johannes ſutor, & Benedictus Leonis ſubdiaconi: qui ſecundum legem ab invicem ſeparati, & interrogati bis. Et primo quidem diſcordes, tunc inventi ſunt per omnia fallaciores. Tunc judicaverunt judices, quod falſi eſſent teſtes, & abjiciendi ex placito; & preſbyteri refutarent ipſas eccleſias domno abbati cum pertinentiis ſuis.

Iterum pars preſbyterorum dicebat, ut advocatus domni abbatis de poſſeſſione ſupradicta juraret cum ſacramentalibus ſuis. De quo interrogatus Hubertus, reſpondit: Non eſt lex, ſed, ſi judicibus placet, faciat advocatus domni abbatis ſacramentum. Ad hoc omnes judices Romani concorditer dixerunt, non debere Langobardum ſine * aſto jurare. Tunc affir-

* *id eſt non* voluntarie.

maverunt omnes, ut aut unus preſbyterorum, aut advocatus juraret eorum, ut hoc quod quæſierant rectum quæſiſſent: & poſt hoc advocatus domni abbatis juraret cum ſacramentalibus ſuis. Sed neque preſbyteri, neque eorum advocatus jurare voluit. Inventi ſunt enim fallaces. Poſt hoc judicantibus judicibus preſbyteri apprehenderunt baculum, & in manibus domni Hugonis abbatis & Huberti ejus advocati præfatas eccleſias refutarunt cum charta, per quam litigarant: & ſi quolibet modo litem renovare voluerint vel tentaverint, componere ſe ſtatuerunt libras decem auri optimi, medietatem Regi, & medietatem rectoribus hujus monaſterii.

OBSERVATIO.

HÆc in ſpecimen retulimus ex chartaceis libris monaſterii Farfenſis, cujus Chronicon, prout a Cheſnio partim editum eſt, truncum ac lacerum, exemplaris dignitati haud quaquam reſpondet. Dignum eſt certe quod integrum edatur: ſed res eſſet magnæ molis, ſi omnia privilegia, uti inſerta ſunt, in lucem ederentur. Quatuor omnino codices hæc continent, quorum tres priores à Gregorio monacho in ordinem redacti ſunt: quartus per Iohannem monachum, qui ſe Grammaticum *vocat, ingens volumen conficit.*

Gregorius in præfatione ad ſecundum librum ſuum, qui glorioſiſſimo ſemperque venerando magnificentiſſimo patri, Chriſtique vices gerenti domno & abbati BERALDO, *hujus nominis primo, nuncupatus eſt, primum ſuum codicem vocat* Cleronomialem, id eſt hereditalem: *ſecundum vero* Largitorium vel Notarium, eo quod res monaſterii notet ab ejus rectoribus poſſeſſas, vel alicui petenti legaliter ſive uſualiter largitas. *In præfatione autem ad tertium codicem idem auctor ait*, ex priori Chartario magno, & ſequenti breviori libello hoc tertium opus breviſſimum *ab ſe confectum*: ut lectus & relectus ſine tædio hic liber & frequentius, notitiam bonorum omnium hujus monaſterii adminiſtret præſentibus poſteriſque rectoribus. *Qua in deſcriptione ſe ab omni falſitate abhorrere aſſerit, indignum eſſe ratus gratis mendacio uti*, quippe qui ſæpiſſime, etiam in rebus mihi, *inquit*, conceſſis & neceſſariis penurias ultra modum patiar. *In hoc autem codice tertio exſtant primo loco ſancti Laurentii epiſcopi, primi cœnobii conditoris; tum beati Thomæ abbatis acta, aliorumque abbatum, cum privilegiis & inſtrumentis ſub unoquoque abbate confectis.*

Tertium volumen magnæ molis concinnavit Iohannes monachus, in eoque retulit cœnobii Farfenſis omnia inſtrumenta cum ſigillis &c. Beraldo abbati ſecundo inſcribitur hic codex ſub hoc titulo & exordio. INCIPIT PROLOGUS DOMNI JOHANNIS GRAMMATICI ſuper hujus opera libri. Imperante domno Henrico quarto, Romanorum patricio & imperatore, ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti anno M XC II, Indictione XI, XIII Kal. Maias, divina inſpirante gratia placuit domno Beraldo, reverentiſſimo abbati hujus eccleſiæ Farfenſis, nobiliſſima gente progenito Florentiæ urbis, quatenus hujus ſacri cœnobii univerſa privilegia & præcepta, necnon & tomos & legales chartas, nimia vetuſtate jam pæne conſumpta, in unum volumen colligere, eaque ad memoriam poſteritatis ſtudioſiſſime declarata, veraciſſime tranſcripta relinquere, *eo ſcilicet modo*, quo ſcripta erant per manus confratris noſtri magnæ ſagacitatis GREGORII, Comitatu Sabinenſi oriundi in caſtro Catinenſi, nobiliſſimis parentibus progeniti, & noſtræ eccleſiæ fere ab infantia lacte enutriti. *Subdit Iohannes quoſdam verſus de Gregorio, ejuſque fratre Donadeo, quos ambos genitor eorum Deo in monaſterio Farfenſi obtuliſſe memoratur ſub Berardo abbate, ejus nominis primo. Et Donadeum quidem obiiſſe dicit anno* M LXVIII. *Gregorium vero anno octavo-decimo poſt ſuſceptas monaſticas veſtes. Ex his duobus auctoribus ſeriem Ducum Spoletanorum, Abbatumque Farfenſium hic ſubjicere operæ pretium putamus. Et primum quidem referemus verba brevium Annalium, qui majori Chartario inſerti ſunt: deinde quædam ex aliis codicibus addemus.*

INDEX
DUCUM SPOLETANORUM
ET ABBATUM FARFENSIUM.

ANno DC LXXX ſanctus Thomas abbas.
DC XCI Tranſmundus Dux, pater Faroaldi.
DCC III Faroaldus Dux.
DCC XVI Haunepertus abbas.
DCC XVII Fluvius Tiberis intumuit per dies octo.
DCC XXIV Lucerius abbas. Tranſmundus dux filius Faroaldi.

DCC XXXV Cœnobium Domini Salvatoris ædificatur in Letaniis.

DCC XL Fulcoaldus abbas.

DCC XLVI. Lupo dux.

DCC LVII Albuinus dux.

DCC LIX Guandelbertus abbas.

DCC LX Giſulfus dux Spol.

DCC LXI Halanus abbas.

DCC LXIII Theodericus dux.

DCC LXX Probatus abbas.

DCC LXXIV Hildebrandus dux.

DCC LXXXI Ragambaldus abbas.

DCC LXXXVI Alpertus abbas.

DCC LXXXIX Guinichus dux.

DCC XC Morraldus abbas.

DCC XCVII Inundatio aquæ fit Romæ in via Lata ad duas ſtaturas.

DCCC II Benedictus abbas.

DCCC VI Romanus dux.

DCCC XIV Guinichus dux.

DCCC XVI Ingoaldus abbas. Geraldus dux.

DCCC XXXII Sichardus abbas.

DCCC XXXVI Berengarius dux.

DCCC XLV Eccleſiæ apoſtolorum Petri & Pauli divaſtantur.

DCCC XLVII Hildericus abbas.

DCCC LVII Perto abbas.

DCCC LXVII Domnus Hludovic imperator venit in hoc monaſterium.

DCCC LXXII Johannes abbas.

DCCC LXXXI Anſelmus abbas.

DCCC LXXXII Teuto abbas.

DCCC LXXXVIII Nordebertus abbas. Spento abbas.

DCCC LXXXIX Vitalis abbas.

DCCC XC Petrus abbas.

DCCC XCI Monaſterium Salvatoris a paganis incenditur.

CM XIX Johannes II. abbas.

CM XX Rimo abbas.

CM XXX Ratfredus abbas.

CM XXXI Theobaldus dux.

CM XXXVI Campo abbas.

CM XXXIX

CM XXXIX Hildebrandus abbas.
CM XL Anſcharius marchio obiit.
CM XLIII Sarilo abbas.
CM XLVI Bonefatius & Thebaldus duces.
CM XLVIII Dagibertus abbas.
CM LIV Albericus princeps Romæ obiit.
CM LXVI Johannes abbas.
CM LXVII Hodelricus receſſit: Johannes abbas fit.
CM LXXII Domnus Hugo abbas naſcitur menſe Aprili.
CM LXXIV Eccleſia Domini Salvatoris ædificatur in Boiano.
CM LXXXVI Hugo abbas ingreditur monaſterium ſancti Quirici.
CM XCVII Albericus abbas.
CM XCVIII Domnus Hugo abbas.
M IX Guido I. abbas.
M XIV Hugo abbas reordinatur ſecundo.
M XXVII Guido abbas.
M XXXVI Hugo abbas reordinatur v. Idus Junii.
M XXXVIII Guido II. abbas obiit.
M XXXIX Hugo abbas obiit. Suppo abbas.
M XL Almer. abbas.
M XLVII Suppo abbas obiit.
M XLVIII Domnus Berardus I. abbas.
M LXXXIX Domnus Berardus I. abbas obiit. Rainaldus abbas.
M XC Berardus II. abbas.
M XCIX Berardus II. abbas obiit.

INCIPIUNT CATALOGI OMNIUM Abbatum, cum ſuis temporibus quibus præfuerunt.

LAURENTIUS igitur, beatus fundator hujus monaſterii primus, preſbyter & abbas, temporibus Gothorum prioribus: poſt cujus obitum monaſterium iſtud a Langobardis deſtruitur. *Ejus vitæ exſtat in Sæculo noſtro* I.

THOMAS autem venerabilis, poſt deſtructionem reſtaurator hujus monaſterii primus, preſbyter & abbas temporibus domni Adeodati papæ, & Conſtantini ac Tiberii auguſtorum, atque Johannis VI papæ, necnon & Giſulfi Beneventani ducis, ſive Tranſmundi & filii illius Faroaldi ducum ducatus Spo-

letani. Præfuit vero annis XXXV & menſibus VII ac diebus V. Obiit autem IV. Idus Decemb. in pace. *Vita ejus in Sæculi* III *parte* I.

HAUNEPERTUS, Aquitania Toloſanæ civitatis provincia exortus, præfuit annis VII, menſibus V, ac diebus XVIII.

LUCERIUS ex Maurigena provincia, præfuit annis XVI, menſes VI, dies X. Obiit XIII Kal. Julii, temporibus Liutprandi regis, & Tranſmundi atque Luponis ducum.

FULCOALDUS ex Aquitania, temporibus Haiſtulfi regis, & Luponis, Tranſmundi ac Albuini ducum, præfuit annis XVIIII, menſes VI, dies XII. Obiit IV Non. Decemb.

GUANDELPERTUS preſbyter & abbas ex Aquitania, præfuit anno I, & menſes VII. quem poſtulantem abſolverunt ab hoc regimine fratres.

HALANUS ex Aquitania, preſbyter & abbas temporibus Conſtantini imperatoris, & Deſiderii & Adelchis regum, & Giſolfi & Theoderici ducum. Præfuit annis VIIII, menſes tres, dies VIII. Obiit V Non. Martii. *In alio codice ſic.* Hic Alanus abbas in extremo obitus ſui die quemdam epiſcopum, Guicbertum nomine, ſuaſit facere promiſſionem Regulæ; & continuo rudem adhuc & hoſpitem, & Anglorum exortum gente, conſtituit abbatem, contra ſanctos Canones & Regulam ſancti Benedicti agens. Qui per undecim menſes exercuit tyrannidem, quoſdam ex monachis cædens, alios in carcerem trudens, alios in exilium mittens; & in tantam ſuperbiæ audaciam prorumpens, ut nonnullos ejus fugientes veſaniam furoris, ſeque abſcondentes in velamina altaris, exinde pellere faceret: & quia inconditos habuit mores, rogantibus monachis, juſſu regis Deſiderii Alefridus caſtaldus Reatinus eum de monaſterio exire compulit, & eligendi abbatem demum congregationi licentiam dedit. Septimus ab omni congregatione electus huic ſacro cœnobio præfuit abba PROBATUS, diaconus quidem, ſed Sabinenſi provincia natus &c.

PROBATUS preſbyter & abbas ex provincia Sabinenſi, temporibus Deſiderii & Adelchis regum, & Hadriani papæ, & Theoderici & Hildeprandi ducum, & Karoli regis, præfuit ann. XI, menſ. IV, dies XV. Obiit IV. Idus Auguſti.

RAGAMBALDUS preſbyter & abbas ex Gallia, temporibus Karoli regis & Pipini filii ejus, præfuit annos tres, menſes VIII dies XXIII. Obiit V Nonas Martii.

Aupertus preſbyter & abbas ex Pariſius civitate Galliarum, temporibus Karoli & Pipini regum, & Hadriani papæ, & Hildeprandi ducis, præfuit ann. v. menſes x. dies xv. Obiit xviii Kal. Jan.

Mauroaldus presbyter & abbas ex Franciæ Guarmacia civitate, temporibus Karoli & Pipini regum, præfuit ann. xii, menſ. iv. dies xv. Obiit viii Kal. Novemb. temporibus domni Leonis Papæ III.

Benedictus presbyter & abbas temporibus Caroli & Pipini regum & Leonis papæ, præfuit ann. x, menſ. v. dies iii. Obiit iii. Id. Auguſti.

Ingoaldus presbyter & abbas temporibus Ludovici regis & Leonis papæ, & Stephani papæ, & Paſchalis papæ & Bernardi regis præfuit..... Obiit vii Kal. April.

Sichardus presbyter & abbas temporibus Ludocvic & Hlotharii imperatorum, præfuit ann. xiv, menſes vi, dies x. Obiit xiv Kal. Octob.

Hildericus presbyter & abbas temporibus Hlotharii & Ludocvic filii ejus imperatorum.

Pertho presbyter & abbas temporibus Ludovici imperatoris.

Johannes presbyter & abbas temporibus Hludovici & Karoli filii ejus imperatorum.

Anselmus presbyter & abbas temporibus Karoli imperatoris.

Teuto presbyter & abbas temporibus Karoli imperatoris.

Nordepertus presbyter & abbas.

Spemto presbyter & abbas anno Dominicæ Incarnationis dccc lxxx viii.

Vitalis presbyter & abbas.

Petrus presbyter & abbas anno Domini dccc xc, temporibus Guidonis imperatoris, & Lamberti imperatoris, & Hugonis imperatoris.

Johannes presbyter & abbas.

Rimo presbyter & abbas.

Radfredus presbyter & abbas temporibus Hugonis regis & Hlotharii filii ejus, & Theobaldi ducis.

Campo presbyter & abbas temporibus Hugonis & Hlotharii filii ejus regum, & domni Leonis Papæ, & Bonefatii & Tebaldi filii ejus Ducum, & * Bernardi & Adelberti filii ejus

* Berengarii

regum, & Stephani papæ, & Leonis ducis, & Johannis papæ, & Marini papæ, & Sarilonis marchionis, & Rainerii ducis Sabinenſis.

Ex alio codice.

Hildebrandus iſte concubinis & filiis ac filiabus res hujus monaſterii dedit.

Dagibertus presbyter & abbas præfuit anno.

Adam presbyter & abbas præfuit anno.

Sarilo marchio & abbas præfuit anno.

Johannes III. presbyter & abbas.

Albericus presbyter & abbas anno DCCCC XCVI.

Hugo iſte in utroque reſtitutor, ſed & in plurimis diſcretus largitor, præfuit anno DCCCC XCIX.

Guido presbyter & abbas anno M IX.

Guido presbyter & abbas.

Suppo, presbyter & abbas anno M XXXIX.

Almericus presbyter & abbas anno M XL.

D. Berardus Hortanus, & primus, presbyter & abbas M XLVIII.

Berardus Florentinus presbyter & abbas, ſecundus, præfuit anno M XC.

D. Beraldus diaconus & abbas anno M XCIX. Hic ab Henrico V. imperatore obtinuit confirmationem omnium ſui monaſterii poſſeſſionum anno M C XVIII.

Anno ab Incarnatione Domini M C XL. menſe Februario, quidam Henricus ſpontanea voluntate fecit hominium, & juravit fidelitatem domno Adenulfo abbati venerabili ſanctæ Mariæ in Farfa, de podio quod fuit ante roccam Septemjanulæ & de ejus pertinentiis.

INCIPIT EPISTOLA JOHANNIS S. R. E. DIACONI AD SENARIUM VIRUM ILLUST.

De variis ritibus ad Baptiſmum pertinentibus, & aliis obſervatione dignis.

1 DOmino merito inluſtri, ſemperque magnifico filio SENARIO, JOHANNES Diaconus. Sublimitatis veſtræ paginam filio noſtro ſpectabili viro RENATO deferente ſuſcepimus, in qua & antiquæ gratiæ nobis jucundam feciſtis memoriam, & quantus pectori veſtro divini cultus ardor inſideat, catholica ſollicitudine non celaſtis. Nam, ut veſtræ loquuntur litteræ, quædam vobis ſcribi, quædam dirigi tranſcripta voluiſtis. Sed in tranſcribendo curam noſtram utcumque notariorum labor adjuvit: in his vero quæ ſcribenda ſunt, multum fateor laboris indicitis, & ſuperaddere hoc menſuram meam adducta fronte reſpondeo. Primum, quod ea, ſicut opus eſt, diſſerere, non ita, ut credit amici æſtimatio, meum valet ingenium. Fallitur enim amantium ſæpe judicium, cum plus dilectioni tribuit, quam meritis dilectus oſtendit. Accedit deinde quod infirmus corpore, ut alia taceam, eccleſiaſtico jugiter adſtringor officio. Poſtremo otioſum tempus res poſtulat, ut majorum volumina recenſentibus quid de unaquaque re dici debeat, illorum tuta juvamine procedat oratio. Quid igitur in hæc poſſumus, niſi forte quod me poſſe vota deſideriaque veſtra præſtiterint? Idcirco quæſita breviter conabor attingere, ne ſi omnino taceam, infructuoſi ſilentii pœnas excipiam. Confido enim orationibus tuis me poſſe juvari, qui ut hæc auderem tam ardua compuliſti. Unde quæſo, ut nihil in me eloquentiæ, nihil ſummæ doctrinæ deſideres: quia nec illi plene ſtudui, & doceri adhuc malo, quam doctoris nomen audire. Igitur ſi in hac inquiſitione, mea, qualiſcumque eſt, placet aut expectatur oratio, jam nunc de ſingulis quæ ſunt propoſita videamus. Illud interea prudentiæ veſtræ prædico,

quia inquiſitionum ordo, non ita, ut veſtra legitur pagina, conſequetur: ſed ut ſe unaquæque ſuggeſſerit, abſolutione congrua terminabitur. Itaque inquiſitionis tuæ verba ita ſe habent.

" II. Requiro, inquis, a vobis, quare antequam baptiſma
" quis conſequatur, Catechuminus fiat: vel quid ſibi habeat hoc
" vocabulum, aut hæc catechizatio, aut qua regula in veteri
" Teſtamento præmiſſa ſit: aut certe, ſi novella regula eſt, &
" magis a novo Teſtamento ſumpſit exordium. Simul etiam ſcru-
" tinium quid ſit, aut quare tertio ante Paſcha ſcrutinentur in-
" fantes; aut quid ſibi hæc diſtrictio vel ſollicitudo ſcrutaminis
" vindicet, &c.

III. Ad hæc ita reſpondeo. Studium veſtrum noſſe confidimus: quia omne genus humanum in ipſis, ut ita dicam, mundi cunabulis prævaricatione primi hominis in morte fuerit jure conlapſum; nec ab ea poſſe redimi, niſi affuerit gratia Salvatoris: qui dum ante ſæcula genitus eſſet ex Patre, propter nos ex ſola matre fieri non eſt dedignatus in tempore. Non eſt ergo dubium, quod priuſquam aliquis renaſcatur in Chriſto, diabolicæ poteſtati teneatur adſtrictus: cujus laqueis niſi inter ipſa primitus fidei rudimenta veraci profeſſione renuncians exuatur, ad ſalutaris lavacri gratiam non accedit. Et ideo hunc oportet prius catechuminorum auditorium introire. Catecheſis enim græce, inſtructio dicitur. Inſtruitur namque eccleſiaſtico miniſterio per benedictionem imponentis manum, ut intellegat quis ſit, quiſve futurus ſit, hoc eſt quia ex damnabili ſanctus fiat, ex injuſto juſtus appareat, ad poſtremum filius fiat ex ſervo: ut qui in primo parente perditus fuerat, ſecundi reparatus beneficio, hereditatis paternæ poſſeſſor exſiſtat. Exſufflatus igitur exorcizatur: ut fugato diabolo, Chriſto Deo noſtro paretur introitus; & a poteſtate erutus tenebrarum, transferatur in regnum gloriæ caritatis Dei: ut qui dudum vas fuerat ſatanæ, fiat nunc domicilium Salvatoris. Exſufflatur itaque, quia tali dignus eſt ignominia deſertor antiquus. Exorcizatur autem, id eſt conjuratur, ut exeat & recedat, illius agnoſcens adventum, cujus erectam in paradiſi felicitate imaginem prava ſuaſione dejecerat. Accipiet jam catechuminus benedictum ſal, in quo ſignatur: quia ſicut omnis caro ſale condita ſervatur, ita ſale ſapientiæ & prædicationis verbi Dei mens fluctibus ſæculi madida & fluxa conditur, ut ad ſoliditatem ſtabi-

ter Ital ad pag. 70.



litatis atque permanſionis digeſto penitus corruptionis humore divini ſalis ſuavitate perveniat. Hoc ergo agit frequens impoſitio manus, & reverentia Trinitatis, & invocata ſuper caput ejus tertio benedictio Conditoris.

IV. Dehinc quodam profectu atque provectu ille, qui dudum exſufflatus diabolicis laqueis pompiſque renunciaverat, Symboli ab Apoſtolis traditi jam meretur verba ſuſcipere: ut qui paullo ante ſolum Catechuminus dicebatur, nunc etiam vocetur Competens vel Electus. Conceptus enim eſt in utero matris Eccleſiæ, & vivere jam incipit, etiam ſi nondum ſacri partus tempus explevit. Tunc fiunt illa, quæ ab eccleſiaſtica conſuetudine Scrutinia dictitantur. Perſcrutamur enim eorum corda per fidem, utrum menti ſuæ poſt renunciationem diaboli ſacra verba defixerint; utrum agnoverint futuram gratiam Redemptoris; utrum ſe credere fateantur in Deum Patrem omnipotentem. Et cum hæc ita eſſe illorum reſponſione claruerit, quia ſcriptum eſt, Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit in ſalutem; tanguntur ſanctificationis oleo aures eorum, tanguntur & nares: ſed aures ideo, quia per eas ad intellectum fides ingreditur Apoſtolo dicente, *Fides autem per auditum, auditus vero per verbum Dei:* ut quaſi quodam ſanctificationis muro aures inſtructæ, nihil noxium, nihil quod retro revocare poſſit admittant.

V. Cum vero tanguntur nares eorum, ammonentur ſine dubio, ut quamdiu ſpiritum vitæ hujus naribus trahunt, in Dei ſervitio mandatiſque perdurent. Unde ille vir ſanctus dicebat: *Vivit Dominus qui abſtulit judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec ſupereſt halitus in me, & ſpiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.* Aliud quoque in narium unctione ſignatur: ut quia illud oleum in nomine benedictum eſt Salvatoris, ad ſpiritalem ejus odorem quadam ineffabili interiores ſenſus ſuavitate ducantur, ut delectati cantent: *Vnguentum effuſum eſt nomen tuum: poſt odorem unguentorum tuorum curremus.* quo myſterio ſenſus narium præmunitus, nihil voluptuoſum ſæculi, nihil quod mentem reſolvere queat, poſſit admittere.

VI. Dehinc pectus eorum oleo conſecrationis perunguitur, in quo eſt ſedes & habitaculum cordis: ut intellegant firma ſe conſcientia & puro corde debere promittere, quod jam relic-

to diabolo Chriſti mandata ſectentur. Hi etiam nudis pedibus jubentur incedere, ut depoſitis morticinis & carnalibus indumentis, agnoſcant ſe illius viæ iter arripere, in qua nihil aſperum, nihil poteſt inveniri nocivum. Hæc igitur eccleſiaſtica ſollicitudo per ſucceſſiones temporum cauta diſpoſitione conſtituit: quamvis horum veſtigia vetus pagina non oſtendat. Proinde cum iſtis quaſi vehiculis ſpiritalibus Electus ſive Catechuminus in fide proceſſerit, tunc & neceſſe eſt unici lavacri baptiſmate conſecrari. in quo ſacramento baptizatus trina demerſione perficitur. Et recte. Nam qui in nomine Trinitatis baptizandus accedit, ipſam utique Trinitatem trina debet merſione ſignare, & illius ſe agnoſcere beneficiis debitorem qui tertia pro eo die reſurrexit a mortuis. Sumptis dehinc albis veſtibus, caput ejus ſacri chriſmatis unctione perunguitur: ut intellegat baptizatus regnum in ſe ac ſacerdotale conveniſſe myſterium. Chriſmatis enim oleo ſacerdotes & principes unguebantur: ut illi offerendo ſacrificia, illi populis imperarent. Ad imaginem quippe ſacerdotii plenius exprimendam, renaſcentis caput lintei decore componitur. Nam ſacerdotes illius temporis quodam myſtico velamine caput ſemper ornabant: cuncti vero regenerati albis veſtibus induuntur ad miniſterium reſurgentis Eccleſiæ, ſicut ipſe Dominus & Salvator coram quibuſdam diſcipulis ac Prophetis ita in monte transfiguratus eſt, ut diceretur, *Reſplenduit facies ejus velut ſol: veſtimenta vero ejus facta ſunt candida ſicut nix.* Quo facto ſplendorem, ut dictum eſt, reſurgentis in futurum figuravit Eccleſiæ, de qua item ſcriptum eſt: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata?* Utuntur igitur albis veſtibus: ut quorum primæ nativitatis infantiam vetuſti erroris pannus fuſcaverat, habitus ſecundæ generationis gloriæ proferat indumentum: ut ad menſam ſponſi cæleſtis nuptiali veſte circumdatus homo novus occurrat.

VII. Illud autem ne prætermiſſum videatur, ante prædicimus, quod iſta omnia etiam parvulis fiant, qui adhuc pro ipſius ætatis primordio nihil intellegunt. Unde ſcire debetis, quia dum a parentibus aut a quibuſlibet aliis offeruntur, aliena eos profeſſione ſalvari neceſſe eſt, qui fuerant alieno errore damnati. Ac proinde adjungis ut dicam, cur ſanctum Chriſma ſoli Pontifici liceat conſecrare, quod presbytero non videtur eſſe conceſſum. Et merito: quia Epiſcopus ſummi Pontificis gradum obtinet, presbyter vero ſecundi ſacerdotii locum retine-

re

re cognoſcitur. Omnis enim Pontifex eſt ſacerdos, non omnis ſacerdos Pontifex dici poteſt. Nam in veteri Teſtamento, ut alia taceam, etiam indumentorum habitu differebant: ita ut ſacerdotes quatuor quibuſdam myſticis veſtibus uterentur, quæ illis cum Pontifice videbantur eſſe communes: at Pontifex quatuor aliis utebatur, quibus indui ſacerdotibus penitus non licebat. Adicitur etiam quod in ſancta ſanctorum ſemel in anno ſolus Pontifex habebat acceſſum. Unde jam in novo populo Epiſcopus ordinandi presbyteros meruit poteſtatem. Recte igitur benedictionis & unctionis quodammodo poteſtas apoſtolica huic traditioni ſervatur, quam conſtat eccleſiaſticorum Ordinum tenere principium.

VIII. Illud quoque non prætereundum videtur, quia nec eadem benedictionis verba presbyterii conſecratio promeretur, quæ pontificalis apex conſuevit audire. Nam ſi nihil ſpeciale reſervatum eſſet Epiſcopo, gradus indifferens eſſe videbatur: nec opus eſſet diverſo vocabulo, quod eadem benedictio conſecraret. Sed nec illud tangat animum, quod ſibi aliquando quædam vis neceſſitatis aſſumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur,) ut Presbyteri ſanctum chriſma conficiant. quod merito moveret, ſi iſtam pontificalis auctoritas licentiam non dediſſet. Unde conſtat etiam nunc à Pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum neceſſitate, ut a presbyteris effici poſſit, ſuperior ordo conſtituit. NOTA.

IX. Illud etiam vultis ſcire, quos Eccleſia catholica redeuntes non baptizet hæreticos? Quod ego pro meo modulo brevi reſponſione concludam: illos venientes baptizari, quos non conſtiterit in nomine Trinitatis æque ſuſcepiſſe myſterium. Nam ſive Patrem ſolum quis confiteatur, negans Filium & Spiritum-ſanctum, baptizandus omnino eſt: ſive Filium confitens, neget Patrem vel Spiritum-ſanctum, ſine dubio conſequi debet baptiſmatis ſacramentum: vel ſi Spiritum-ſanctum denegans, Patrem fateatur ac Filium, æque, ut meminimus, myſtico fonte purgabitur, juxta illam Domini regulam dicentis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti.* Verum ſi Trinitatis nomen accepit, inæqualitatis quolibet modo faciens differentiam, veluti qui illo in tempore Arrium ſunt ſecuti, baptizari omnino non poſſunt: quia illam dominicam conſecuti ſunt regulam, licet videantur errare. Unde hujuſmodi docendi ſunt potius quàm baptizandi, &

incorporandi matris Eccleſiæ viſceribus benedictione ſuccedente Pontificis: ut per caritatem, qua Deus proximuſque vere diligitur, quid minus habuerint, quidve in eis completum fuerit, recognoſcant. De Pelagianis autem, Eutycianis, ſive Neſtorianis aperta & vulgata ſunt omnia, quæ in libro de hæreſibus cum legeritis, plenius poteritis advertere.

X. Acolythi autem exorciſtis hoc ordine differunt, quod exorciſtis portandi Sacramenta, eaque ſacerdotibus miniſtrandi negata poteſtas eſt; tantumque manus impoſitioni vacent, propter quod exorciſtæ dicuntur; vel cetera quæ intra acolythorum ordinem eſſe probantur, explere feſtinent. Acolythi verò Sacramentorum portanda vaſa ſuſcipiunt, & miniſtrandi ſacerdotibus ordinem gerunt. Ideoque exorciſta fieri poteſt acolythus: iſte verò ad exorciſtarum officium nulla penitus promotione deſcendit. qui ſi optime ſuum officium miniſtraverint, ad ſubdiaconatus gradum poterunt pervenire: cujus hic apud nos ordo eſt, ut accepto ſacratiſſimo calice, in quo conſuevit Pontifex Dominici ſanguinis immolare myſterium, ſubdiaconus jam dicatur. Qui ſi rurſus nullo fuſcatus vitio inculpabilis perſeverat, ad diaconii vel preſbyterii ſacratiſſimas dignitates poterit pervenire.

XI. Quod de ſeptem altaribus inquiſiſti, quæ in urbe Roma ſabbato Paſchæ moris eſt conſecrari; hoc dico, quia majores noſtri, ſive in ſeptiformis gratiæ ſpiritu decreverint faciendum; ſive quia ſeptem regionibus eccleſiaſtica apud nos militia continetur, à qua hæc ipſa parantur altaria, ut ſingulis benedictio præſtaretur: an quia ſeptenarius ipſe numerus myſticus & ſacratus eſt, hoc eſt, quia in Trinitatis nomine orbis credit univerſus, qui quatuor partibus ab Scriptura ſæpe deſcribitur; ac per hoc ternarius quaternario junctus ſeptenarium efficiat, qui quaſi inter illa ſacra terribilia totius mundi repræſentat imaginem: an alia quadam ratione conſtitutum ſit, certe mihi habetur incognitum. Illud tamen firma mente cuſtodio, quod non a majoribus tradita cuſtodiret Eccleſia, niſi certa ſui ratio popoſciſſet. Nec ea poſſumus dicere inania videri ac fribola, quia eorum minime rationem accepimus. Nam multa qui proximè ante nos fuerunt, & nos, ut nobis ratio perſuadet, in eccleſiis quædam nova ſancimus: quæ dum ad poſteros tranſmittimus obſervanda, etiamſi qua id ratione a nobis factum ſit, longe poſterior ætas ignoret, non putabit tamen inania, ſi in-

Deum piam præcedentium intellegat voluntatem. Hoc ergo modo etiam nos quod... majorum ratio ipſa non venit, nam quorum pervenit, & ipſa tenentur & res: quorum autem cauſa latet, & res fidei non reſultat, obſervari ac teneri neceſſe eſt.

XII. Quod autem quæſiſtis, cur in ſacratiſſimum calicem lac mittatur & mel, & Paſchæ ſabbato cum ſacrificiis offeratur? illud in cauſa eſt, quia ſcriptum eſt in veteri Teſtamento, & novo populo figuraliter repromiſſum: *Introducam vos in terram repromiſſionis, terram fluentem lac & mel.* Terra ergo repromiſſionis terra eſt reſurrectionis, & in illa felicitate ſemper permanentis, quæ nihil eſt aliud quàm terra corporis noſtri, quæ in reſurrectione mortuorum incorruptionis paciſque gloriam conſequetur. Baptizatis ergo hoc ſacramenti genus offertur, ut intellegant, quia non alii, ſed ipſi qui participes fiunt corporis & ſanguinis Domini, terram repromiſſionis accipient, cujus iter inchoantes, tamquam parvuli lacte nutriuntur & melle, ut incipiant decantare: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua Domine, ſuper mel & favum.* Lac ergo & mel potantur novi homines poſt amara delicta: ut qui in prima nativitate corruptionis lacte nutriti ſunt, & amaritudinis lacrymas inchoarunt; ſecunda generatione lactis ac mellis dulcedinem in Eccleſiæ viſceribus ſumant, ut nutriti talibus ſacramentis incorruptionis perpetuæ myſteriis conſecrentur.

XIII. Illud etiam quod interrogare dignatus es, cur *Alleluia* uſque ad Pentecoſten in Eccleſia decantatur? ſcire vos convenit, alia eſſe in Fide catholica, quibus per totum mundum omnis Chriſtianus adſtringitur, veluti eſt auctoritas novi ac veteris Teſtamenti: alia rurſus eſſe inſtituta Patrum, à quibus nulli licet catholico deviare, veluti Nicæni Canones, & ſi quid hujuſmodi eſt: itemque alia eſſe, quæ una quæque eccleſia tamquam propria retinet, & à ſuis majoribus tradita ſibi cuſtodit, quæ ſalva fide & pace catholica cum alterius regionis non obſervat eccleſia, ut eſt Romana, quæ ſabbatis omnibus jejunat, quod Orientalis facere non videtur: vel quod hîc ſeptem altaria componuntur, quod alibi nullus attemptat: & rurſus fiant alia alibi, quæ hîc fieri non probantur. Hæc autem omnia ita diverſis eccleſiis diverſo modo fiunt; ut tamen omnes illius Reginæ veſtem faciant, de qua dictum eſt: *Adſiſtit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta varietate.* Nihil ergo moveat, cum videntur hîc aliqua in Dei lau-

dibus fieri, quæ alibi alio modo fieri comprobantur. Sive enim uſque ad Pentecoſten *Alleluia* cantetur, quod apud nos fieri manifeſtum eſt; ſive alibi toto anno dicatur; laudes Dei cantat Eccleſia. Sed reſervatur aliquid apud nos paſchali reverentiæ, ut majoribus gaudiis, & quaſi mentibus innovatis ad laudem Dei recurrat affectus: propter quod *Alleluia*, latino ſermone *Laudate Dominum* dicitur. Quamquam & aliis verbis id quotidie populorum vox dicentium reſonet: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis.* itemque, *Laudate Dominum omnes Angeli ejus.* & iterum, *Laudate Dominum omnes gentes.* Semper ergo cum Deus quoquo modo fideli corde laudatur, *Alleluia* cantatur.

XIV. Reſtat nunc illud quod interrogandum putaſtis: Si baptizatus ſine chriſmatis unctione ac benedictione Pontificis ex hac vita migraverit, utrum ei obſit aliquid, an non? De qua re magis à doctis plenius audire vellem, quàm ipſe aliquid dicere. Quid tamen mihi videatur, ſalva meliore intelligentia & majorum plena ſententia, quod in omnibus ſupradictis volo tenere; quia ita veſtræ voluntati parere ſtudui, ut tamen de omnibus quid melius (quod non dubito) à majoribus dictum eſt, hoc uterque ſervemus. Quid ergo videatur breviter dicam. Ducatur ergo ſimilitudo ab hac prima nativitate, in qua orti ſumus, ut intellegamus illam ſecundam, ex qua vere vivimus, & in qua juſtificati ſumus. Cum natus fuerit infans, & lucis hujus participationem contigerit, perfectum hominem natum eſſe dicimus, & eſt ejuſdem ſubſtantiæ, cujus eſt ille qui genuit, hoc eſt, animal rationale mortale, quamquam ille grandis, hic parvus. quæ ſunt accidentium vocabula, non naturæ. Si ergo accidant adjumenta ad ætatis provectum, numquid adjectum eſt aliquid definitioni ſubſtantiæ? abſit. quia non extenditur aut minuitur naturæ proprietas...... *Ceteræ deſunt.*

OBSERVATIONES.

I. *Illuſtris eſt ſuperioris epiſtolæ ſcriptor Iohannes Diaconus: ſed quis ſit ille Senarius, ad quem ſcribit, ignoramus. Hanc epiſtolam eruimus ex vetuſto codice Chriſtinæ reginæ, qui olim fuit monaſterii noſtri Ferrarienſis. In ea quædam occurrunt obſervatione digna de miniſtro Confirmationis; de ſeptem altaribus, ſabbato ſancto in eccleſia Romana erigi ac conſecrari ſolitis; deque immiſtione lactis*

& mellis in calicem eodem die : cujus utriuſque poſtremi ritus nullam invenimus mentionem etiam in Ordine Romano. Niſi ſi benedictio lactis & mellis , quæ poſt benedictionem agni in die ſancto Paſchæ præſcribitur, huc referenda eſt.

II. *Quod attinet ad Iohannem, vir fuit pro ſua ætate doctiſſimus, atque accurrato judicio præditus, ut probant libri quatuor ab eo conditi de vita ſancti Gregorii Papæ primi, qui recentioribus ſcriptoribus vitas ſanctorum ex propriis eorum ſcriptis contexendi exemplum præbuerunt.*

III. *Præter hos libros Iohannes commentarios in Pentateuchum, & in binos ſubſequentes Ioſuæ & Iudicum libros compoſuit ex ſententiis Patrum, Auguſtini & Hieronymi paſſim, Origenis, Euſebii* ex quæſtionibus Pentateuchi, *Victoris Capuæ epiſcopi* ex libello ſuo Reticulo vel de Arca Noë, *item* ex libro Paradiſi; *tum* ex ſcholiis Diodori Tarſenſis epiſcopi; *ad hæc* ex ſermone ſancti Baſilii de dogmatibus *apud eumdem Victorem*; *Ambroſii ex* tribus libris Officiorum, *&* ex libro de martyrio Agricolæ & Vitalis; & *Hilarii* ex libro quinto de Fide; *ac denique Pagati ſeu Pacati* contra Porphyrium. *Hi commentarii in optimæ notæ codice noſtro perantiquo ita inſcripti ſunt:* EXPOSITUM JOHANNIS ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONI IN GENESIM. *Sic vero incipit hæc expoſitio :* In principio Deus creavit cælum. In primo libro Auguſtinus contra adverſarium Legis & Prophetarum. Aut ſic intellegendum eſt quod ſcriptum eſt, &c.

IV. *Sed nullum majoris momenti ac pretii opus à Iohanne excogitatum fuit, quam conſilium ſcribendæ univerſalis hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Ad id exſequendum Anaſtaſius Iohanni petenti ſuppetias tulit ex copiis græcis ab ſe latine verſis. Quod argumento eſt Iohannem græce neſciſſe. In primis hiſtoriam ſeu Chronographiam tripertitam contexuit Anaſtaſius ex tribus auctoribus græcis, Nicephoro, Georgio Syncello, & Theophane, cum præfatione* ad Johannem Diaconem urbis Romanæ, *quam ita exorditur.* Eccleſiaſticam, cariſſime frater & digne Chriſti Levita Johannes, ſcripturus hiſtoriam, exigis à me, quædam in latinum ſtilum ex græcis voluminibus transferenda: quo & ipſa quoque propoſito inſeras operi & intexas. *Alterum Anaſtaſii opus in gratiam Iohannis eſt*, Collectanea de iis quæ ſpectant ad hiſtoriam Monothelitarum hæreticorum, *quæ collectanea Iacobus Sirmundus publici juris fecit. Quid ex his ſuppetiis à Iohanne patratum ſit, non conſtat. Quidam tamen ei tribuunt* Hiſtoriam Miſcellam, *quaſi ex illis tribus hiſtoricis*

græcis aliiſque conſarcinatam, quæ ab aliis Paulo Vvarnefridi, diacono ac monacho Caſinenſi adſcribitur.

V. *Inſuper Iohannes, rogante Gauderico Veliterno antiſtite adorſus eſt ſcriptionem geſtorum ſancti Clementis Papæ, quemadmodum ex ſequenti Gauderici epiſtola intelligitur. Idem atteſtatur Iohannes ipſe in fine libri quarti de vita Gregorii M.* Ego tamen divinæ ſpei fiducia roboratus, quia Gaudericus Veliternus epiſcopus expoſtulat, ad Clementem Romanæ ſedis antiſtitem, ſuffragante Domino, ſtilum convertam: quatenus qui continuis infortuniis attenuatus, amicis meis, à quibus utcumque ſuſtentor, meritum rependere nequeo, ſaltem verba, quæ valeo, minime denegaſſe cognoſcar. *At imperfectum hoc opus ob mortem auctoris remanſiſſe ex ſubſequente epiſtola manifeſtum eſt.*

VI. *Eadem epiſtola de Iohanne duo nos docet: alterum, Iohanni cognomen fuiſſe* HYMONIDEM: *alterum, eumdem morte deceſſiſſe ſuperſtite Iohanne VIII. cui Gaudericus ſuam inſcribit epiſtolam, in qua Iohannis Diaconi mortem commemorat. Ceterum idem Iohannes Anaſtaſio fuit auctor de græco in latinum transferendi paſſionem ſancti Demetrii martyris, cujus* in domo ſua *Iohannes* miræ antiquitatis & pulcritudinis oratorium habebat. *Hæc ſatis de Iohanne cujus facta obſcuriora erant.*

GAUDERICI VELITERNI EPISCOPI

AD SANCTISSIMUM PAPAM JOHANNEM

S. CATHOLICÆ ET APOSTOLICÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

In vitam ſancti Clementis Papæ,

PRÆFATIO.

DOmino ſemper beato, ſummo Pontifici & univerſali Papæ Johanni, Gaudericus, epiſcoporum noviſſimus, perenne gaudium in Domino Jeſu-Chriſto. Dignum eſſe putavi ad honorem & laudem tui prædeceſſoris beati Clementis, martyris atque pontificis, aliqua de genere vel vita ipſius Deo inſtitutore in unum colligi; & quam generoſa fuerit oriundus proſapia, quamque philoſophando contra idola diſputans, divino præſagio veritatem cognoverit, enucleatius invenire:

præſertim cum ego valde inutilis hujus eximii martyris Chriſti eccleſiæ Veliterno oppido ſitæ præfuerim. Jam quia meritum mihi non ſuffragatur, vel amoris & ſtudii mei affectus, quem erga ſervitia ejus poſſideo, eum mihi propitium faceret, ut aliquantulum pro peccatis meis adjuvante Domino interceſſor exſiſteret. Hujus rei gratia quemdam olim JOHANNEM DIACONUM, cognomento HYMONIDEM, virum periſſimum poſtulavi, quia multa legerat, pauca ex iis ad ædificationem multorum colligere, & quæ forte nonnullis comperta non erant, ipſe relegens breviter reſerare. Quod ille meis precibus humiliter ſatisfaciens, cœpit quidem à genealogia ejus perſtringere, & quæ legerat vel expertus fuerat, liquido coartare. Sed quo minus ad concluſionem hujus opuſculi ſcriptitans perveniſſet, hunc Dominus ab hoc ſæculo morte, quam ipſe permiſit, præventum, ad æternam quietem vocavit. Cujus ego pediſſequus adſpirante Deo exſiſtens, hoc quod deerat, non tam ſtrenue quam devote collegi, & in tribus libris conglutinans ordinavi. In primo ſiquidem libro Clementis genus, patriam, nativitatem, inſtitutionem, propoſitum, vitam, converſionem, & qualitatem recognitionis ejus innuimus. In ſecundo vero Deo auxiliante profunditatem doctrinæ, dignitatem epiſcopalis apicis, auctoritatem ſingularis pontificatus, & audaciam contra idola ſophiſtice diſputantis ſubdidimus. At in tertio miraculorum prodigia, exſulationis anguſtias, martyrii laureas, reverſiones ejus ad propriam ſedem poſt plurimos annos, & miracula colligere procuravimus: quatenus qui multos libros aut habere nequeunt, aut habitos perſcrutari contemnunt; iſtorum compendio, quantum pertinet ad præſens negotium, non incongrue fulciantur. Quapropter, ſumme Pontificum, ſanctimoniam tuæ paternitatis depoſco, ut hæc eadem ſtudia noſtra, quæ non noſtro libitu, ſed auctoritate veterum probabiliumque virorum decerpſimus, approbans, ſi in his aliquid dignum correptione repereris, tu Pater beatiſſime, corrigas: quatenus te præceptore & judice, alienis judiciis non ſubmittatur; & qui tibi forte non diſplicemus, aliis ſuper hoc opere placeamus, quia nos, ut meminimus, quæ vidimus & legimus, ipſius Chriſti martyris fiſi orationibus, colligentes tranſſcripſimus, & ad laudem Dei omnipotentis ex multis pauciſſima defloravimus, præſtante eodem Deo noſtro & Domino Jeſu-Chriſto, cui eſt honor & gloria, poteſtas & imperium per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

INCIPIT TEXTUS LIBRI PRIMI.

JUliorum familia, de qua Cæſarum generoſa deſcendit proſapia, vetuſtior creditur urbe Romana, præſertim quæ à Trojanis per Aſcanium, cognomento Julium, filium ſcilicet Æneæ, Creuſa generante deſcendens, trecentis ferme annis ſub quatuordecim Regibus, id eſt uſque ad Romuli Romanæ urbis conditoris tempora feliciter penes Albam civitatem regnavit, &c.

INCIPIT PROLOGUS
ANASTASII S. R. E. BIBLIOTHECARII

In paſſionem ſanctorum M CCCC LXXX *Martyrum.*

PETRO egregio epiſcopo ſanctæ Gavinenſis eccleſiæ, ANASTASIUS ſummæ & apoſtolicæ eccleſiæ Bibliothecarius, apoſtolicam ſalutem. Poſt tranſlatam à me ad petitionem ſanctitatis tuæ paſſionem præcipui doctoris & martyris Petri, Alexandrinæ urbis epiſcopi, mihi præcipere voluiſti, quod paſſionem ſanctorum mille quadringentorum octoginta Martyrum, apud Græcos habitam, latino traderem eloquio. Quod conſiderata imperitia ſcientiolæ meæ, primum quidem hoc aggredi non præſumpſi: deinde vero paternitati tuæ inobediens apparere refugiens parui; & quod juſſiſti, cælitus adjutus explevi, malens penes doctos de inſcientia reprehendi, quam apud paternitatem tuam pro inobedientia culpabilis exhiberi: præſertim cum ſanctitas tua in amore Martyrum flagrans, non ruſticitatem, qua & Apoſtolos ante vocationem non caruiſſe manifeſtum eſt; ſed triumphos eorum, qui ex ipſa minus urbana peritia utrumque ſcire poſſunt, attendat, & ad venerationem multorum enucleatos habere deſideret. Benevalens diutius in Domino paternitas tua pro nobis orare dignetur.

Sume Pater placidus multorum geſta piorum.
Ruſticus eſt ſermo, calamus quem vertit achivo.

INCIPIT

INCIPIT PASSIO.

SAlvatore noſtro ..... Adrianus & Antoninus imperatores prœlium cum Eufratenſibus habuerunt. Elegerunt viros numero mille quadringentos octoginta, potentes in fortitudide, & illuſtres in bello. Aſcenderunt ergo ſimul cum eis adverſus hoſtes. Habebant autem ſecum Apollinem & Jovem, &c.

OBSERVATIONES.

Varia ſanctorum acta e græco in latinum vertit Anaſtaſius Bibliothecarius, cujus verſiones quædam abſque nomine & indicio auctoris, quædam typis ineditæ, aliæ vulgatæ ſunt. Edita eſt vita ſancti Iohannis, cognomento Eleemoſynarii, ipſo Anaſtaſio interprete, cum ejus præfatione ad Nicolaum Papam primum: in qua fas non eſſe ait, ut abſque Vicario Dei, abſque unico Papa, aliquid conſummetur aut divulgetur. *quod etiam Iohannes Diac. ſenſit in epiſtola ad vitam Gregorii M. Iohanni Papæ VIII. inſcripta. Item paſſio ſancti Demetrii martyris, ab eodem Anaſtaſio tranſlata, exſtat in tomo* I. *Analectorum noſtrorum,* Domino piiſſimo imperatori Karolo ſemper Auguſto, *cognomento Calvo, nuncupata. Ineditæ ſunt Anaſtaſii aut verſiones, aut ſaltem præfationes, una in vitam ſancti Petri, Alexandrinæ urbis epiſcopi, de qua mentio in ſuperiori præfatione, quæ Romæ in bibliotheca ſanctæ Crucis in Ieruſalem habetur: item aliæ nonnullæ, ex quibus aliquot hic in lucem proferimus. Anaſtaſius vitæ Baſilii Magni ab ſe ſcriptæ meminit in præfatione ſubſequenti, quam accepimus ex codice Vaticano. Hanc laudat Baronius in Notis ad Martyrologium ad Ianuarii diem primum; ibidemque indicat præfationem Vrſi S. R. E. Subdiaconi in vitam Baſilii, ab eodem Vrſo latinitate donatam. Verum illa præfatio non alia eſt ab Anaſtaſiana, quæ ſubſequitur, excepta inſcriptione, quæ apud Roſvveidum alioſque detracta eſt. Ex hac manifeſte colligitur, Anaſtaſium interpretem eſſe vulgatæ vitæ, quæ Vrſo perperam tribuitur in editis. Ideoque in poſterum vitæ illius interpretatio tribuenda erit Anaſtaſio, qui eam Vrſo inſtigante aggreſſus eſt.*

II. PROLOGUS
EJUSDEM ANASTASII
In quædam miracula ſancti Baſilii epiſcopi Cæſarienſis.

URſo venerabili ſubdiacono ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſeu Medico & Domeſtico domini noſtri ſacratiſſimi Papæ Nicolai, Anaſtaſius exiguus abbas monaſterii ſanctæ Dei genitricis Mariæ Virginis, ſiti trans Tiberim, ubi olim circa Domini nativitatem fons olei fluxit, in Domino ſalutem. Beati Baſilii Cæſareæ Cappadociæ Præſulis vitam me in latinam vertiſſe dictionem ſecundum poſtulationem tuam cognoſce. Neque enim inobediens eſſe tibi debeo, qui omnibus fratribus meis & proximis debitor ſum. Sed utinam tam bene, quàm prompte; tam utiliter, quam fideliter quod poſtulaſti fuerim exſecutus. præſertim cum neceſſario ſuper hoc fueris exhortatus, & ut tantus vir apud Latinos, quemadmodum apud Græcos, celebris habeatur jure ſategeris. Denique licet ejus quædam ſalutifera ſcripta ſermo latinus haberet, vita tamen illius quam ſit ammirabilis hactenus ignoravit. Et certè ſatis incongruum eſt quid docuerit ſciri, & quid fuerit operatus neſciri: cum ſanctus vir, utpote imitator illius, de quo Lucas ſcripſit, quia cœpit Jeſus facere & docere; non ſolum verba Dei docebat homines, ſed ut Magnus vocaretur in regno cælorum ante faciebat. Fruere igitur ſalubrius doctrinis ejus. Et ne forte dicas, illum docuiſſe, & non feciſſe; jam nunc ſcies quia fecit quod docuit, & de cetero habebis quod imiteris: licet ante hoc opus ego non præſumpſerim aggredi, putans, ut ipſe noſti, ab alio jam tranſlatum. In quo merito ipſe me reprehendi. Numquidnam quia Scripturam ſacram quidam interpretati ſunt, idcirco poſteriores interpretes hanc minus interpretati ſunt? Si hoc eſſet, eamdem ſanctam Scripturam latinitas ex ipſo Hebraico fonte per beatum Hieronymum eccleſiæ Romanæ preſbyterum & divinæ Bibliothecæ cultorem hactenus non hauſiſſet. Verum diligenter inquirens, nihil ſcriptum de vita hujus ſancti apud Latinos inveni, niſi duo miraculorum ejuſdem, de puero Chriſti negatore liberato, & muliere a peccatis erepta. Quæ tamen adeo depravata repperi, ut rurſus ea in-

terpretari, quam emendare maluiſſem. Sane notandum eſt, quia cum quidam legunt in his actibus, quæ ſanctus Amphilochius ſcripſit, diſcrepaſſe autumant ab his quæ Gregorius Nazianzenus in epitaphio hujus magni viri commemorat: cum alter fortè tacuerit, quod alter non tacuit, id ipſum nobis inter Evangeliſtas repperientibus: præſertim cum & idem Amphilochius qui ſuper tanti viri vita ſcripſerint, hæc expoſiturus aperte deſignet.

CAPUT I.

De Hebræo qui ſecundam potiunculam accepit.

ITaque cum divinum celebraretur officium &c.

Helladius ſanctæ recordationis, qui inſpector & miniſter fuit &c.

Mulier autem quædam &c.

III. PROLOGUS

ANASTASII item BIBLIOTHECARII

In verſionem Paſſionis Sanctorum Cyri & Iohannis.

NOn me. . . . . puſillitatem meam cogere volueris, Paſſionem ſanctorum Kyrri atque Johannis ex Græco in Romanum vertendi ſermonem: & quia pro cauſa tanta nos ad hoc inſtantia in aliis multis inplicitos urſeris, mecum tractavi. Sed aliud nihil prorſus occurrit, niſi quia caritatis fraternæ teneris affectu, geſtientis profecto, non ſolum græce, ſed & latine accedentes proximos ſalutaris pabulo verbi reficere, & ad pia exempla & horum fortes pro Chriſto agones accendere: præſertim cum eccleſia, in qua divinis penes Urbem cultibus & obſequiis incumbis, horum victorioſiſſimorum Martyrum memoria, immo miraculis fulgeat, & eorum annuæ celebritatis en dies feſtus immineat. Ergo, prout potui, caritati tuæ ſatisfeci, & omiſſo parumper opere præ manibus habito, votis parere tuis etiam languidus malui. Sane paſſionis horum duas editiones . . . .

. . . .

Hujus autem ſcriptor ſanctus Sophronius, qui poſt Jeroſolymitanus claruit epiſcopus, exſtitit, cujus celebris memoria in mul-

tis majorum conſcriptionibus, ſed & in ſancta ſexta & univerſali Synodo repperitur: præſertim cum nonnulla ad inſtructionem multorum opuſcula ediderit, & ſana orthodoxæ Fidei dogmata prædicaverit. Sed & horum inſignium Martyrum non tantum paſſionem, verum etiam ſeptuaginta (qui numerus apud nos ſacratus eſt) capitula miraculorum ipſorum conſcripſerit. Quin potius principibus mundi non ſolum Chriſtianæ, ſed & externæ religionis pro domo Domini murum inexpugnabilis veritatis oppoſuerit, & conſtantia fortis invectionis arguerit. Quorum videlicet miraculorum Bonifatius Conſiliarius ad petitum Theodori primicerii, Defenſoris eccleſiæ Romanæ, duodecim cum præfatione capitula olim interpretatus eſt. Cætera, ſi Deo auctore vita fuerit comes, noſtri. . . . .

. . . .

Deum orare . . . . diſſime Chriſti . . . ſacerdotis ſacerdos. Data IIII. Kalendas Februarii, Indictione VIII. anno vero domini noſtri [Johannis] octavi Papæ.

Sume ſacer tandem Sanctorum lætus agones,
Qui fuerunt facti graii, nunc arte latinos.

INCIPIT TEXTUS PASSIONIS.

DIvinus nobis Sermo, qui vere Veritas eſt, Chriſtus videlicet Deus noſter, in Evangeliis altiſone prædicat, dicens, Omnia poſſibilia credenti. Beatus quoque Paulus &c.

OBSERVATIO.

SVperioribus Anaſtaſii præfationibus viſum eſt etiam hanc, tametſi mutilam, ſubjicere ex veterrimo codice bibliothecæ noſtræ ſancti Petri apud Carnutas. Hujuſce paſſionis hiſtoriam, ab Othone Zylio Societatis Ieſu ex græco latine redditam, cum Anaſtaſii verſionem non vidiſſet, Bollandus edidit ad Ianuarii diem XXXI. *Sed quem ille incertum auctorem exiſtimavit, is eſt ſanctus Sophronius Ieroſolymorum antiſtes, ut ex hac præfatione conſtat. Anaſtaſii nomen, quod in vitioſo atque ex ſitu corrupto exemplari obliteratum erat, ex conjectura reſtituimus: quod tempus atque ſtilus Anaſtaſio conveniant.*

Horum Sanctorum reliquiæ Romam allatæ ſunt, & depoſitæ in eccleſia, dudum ante ſub ipſorum nomine Deo dicata ſecus Tiberim, via Portuenſi, dicta Sancta Paſſara. *quod a ſanctæ Praxedis primæ patronæ vocabulo tractum Baronius exiſtimat. At forte non ſine veri*

ſimili conjectura dici poteſt, id ex nomine Abba-Cyri (*ſic enim non raro Cyrus appellatur*) *corruptè deductum fuiſſe. Reliquiæ ſacræ in eam eccleſiam nondum illatæ fuerant, cum hæc ſcriberet Anaſtaſius. Hujus verſio magis litteræ inhæret, quam illa Bollandiana: in qua omiſſum eſt loci nomen in Arabia, ubi Cyrus & Iohannes monaſticam vitam profeſſi ſunt, de quo ſic Anaſtaſius.* Ad Arabiam, quæ eſt Ægypti maritima, venit, & in caſtello, quod vocatur Cerzo, habitavit, & cum habitatione etiam habitum commutavit. *Idem artis medicæ officinam vocat* ergaſterium, *quod nos* laboratorium *appellamus.*

IV. PROLOGUS

EJUSDEM ANASTASII BIBLIOTHECARII

In Vitam ſancti Donati epiſcopi apud Euriam in Syria.

DEſideranti tibi, famula Dei Anaſtaſia, ut vitam beati Donati epiſcopi de græco in latinum transferrem ſermonem, videlicet ut merita ipſius, quæ legendo cupis decurrere, melius intelligendo cognoſcas: cum tibi apertius natura ſit locutionis janua patefacta, & totum ſubtilitatis admiſeris ſenſum. Nam & mihi hanc rem infructuoſam eſſe non arbitror, ſi tanti viri virtutes, quæ nonniſi graiis litteris continentur, per me etiam latine ſcribantur lectoribus. Orationibus ergo tuis adjutus, facta, ut dixi, de alia in aliam linguam libri tranſlatione, religioni tuæ direxi: ut habeas, quod & libenter legere, & legendo religioſe poſſis imitari.

INCIPIT VITA.

TEmporibus Theodoſii principis erat in provincia Syriæ veteris, in civitate quæ dicitur Euria, ſanctus Donatus epiſcopus. Sub ipſius territorio civitatis eſt poſſeſſio, quæ dicitur nomine Iſoria, in qua eſt tranſitus publicus. In ipſo erat fons aquæ tam noxius, ut ſi quis exinde biberet, ſtatim moreretur. Quod audiens homo Dei Donatus, convocatis ad ſe clericis dixit. Fratres cariſſimi, accepto ſancto Evangelio & Cruce, eamus ad locum fontis, & oratione facta deprecemur Dominum, ut effugetur malum, quod in aqua eſt. *Cæſo ac conſumto dracone, qui aquam inficiebat, populus* tamen non audebat adhuc ſuſpecti fontis poculum, appetere. Adproximans autem

fonti homo Dei, facta oratione orarium ſuum plicans, in circulo poſuit in terra, ipſeque rediit ad turbas, dixitque puero ſuo: Accipe ſtolam, & vade ad locum, ubi me vidiſti ante modicum ſtare orantem, & invenies aquam, quam hauriens affer ut bibamus &c.

OBSERVATIO.

ET hanc verſionem eſſe Anaſtaſii non dubito, tametſi ejus nomen deſideratur in Caſinenſi codice, ex quo ſuperiora deſcripſimus. Integrum libellum edere non viſum eſt operæ pretium, tametſi in Aprili Bollandiano ad diem XXX *non alia Donati acta referantur, quam ex Menæis Græcorum, rejectis iis, quæ apud Mombritium vulgata ſunt, ipſiſſima quæ in codice Caſinenſi.*

His ſubjicimus Concilii Romani in cauſa Formoſi ſupplementum, quod ex pervetuſto ac præclaro codice Patrum Oratorii Romani deſcripſimus.

CONCILIUM ROMANUM

Quo acta Stephani VI. contra Formoſum habita reſcinduntur anno DCCCC IV. tempore Iohannis IX.

LEctum eſt quoddam indiculum, quatenus ventiletur a cunctis Eccleſiæ ſtatus & pacis. Johannes Aretinus dixit: Et nos optamus ut ea ventilentur quæ pertinent ad ſanctæ Eccleſiæ exaltationem & pacis robur. Petrus Albanenſis dixit: Vult dominus Papa ut legatur Synodus acta a Theodoro Papa. Et factum eſt. Tunc Amolo dixit: Canonicum eſt, ut qui injuſte damnatus eſt, reſtituatur, & canonica ſervetur de exſpoliatis ſententia. Et lecta eſt Synodus Johannis Papæ. Tunc profeſſi ſunt Petrus Albanenſis & Silveſter Portuenſis inter ſe in depoſitione Formoſi, licet coactè: & interrogati ſunt ab Amolone, cujus temporibus judicatum eſt. Qui reſponderunt: Dicant ceteri. Tunc Johannes Aretinus dixit: Perlegatur judicium finis iſtius Synodi. Et factum eſt. Quo finito Amolo Taurinenſis: Legatur Synodus facta a Stephano contra Formoſum. Quod & factum eſt. Cumque veniſſet, ubi Paſchalis, Petrus, & Silveſter contra Formoſum dixerunt accuſationem perjurii & laicæ

communionis; interrogati ſunt, ſi vera eſſent quæ legebantur. Qui dixerunt: Minime. Iterum Paſchalis dixit, nequaquam illi interfuiſſe ſynodo. Et perlecta ſynodo, dixit Johannes Aretinus: Dicant ſi interfuerunt. Petrus Albanenſis dixit: Interfui, ſed non ſubſcripſi. Et inducias petiverunt. Et cum datæ eis eſſent, ſurrexerunt Petrus, Silveſter, Paſchalis; & interrogati dixerunt minime interfuiſſe.

Amolo dixit: Veniat Benedictus Protoſcriniarius, & dicat quæ ſcripſerit. Cumque veniſſet in medium, Johannes Aretinus dixit: Benedicte, ſcripſiſti hanc ſynodum? Qui dixit: Non ego ſcribere debui, ſed Subdiaconus de armario. Et interrogati præfati Epiſcopi diligenter; iterum profeſſus eſt Petrus interfuiſſe. Stephanus Oſtenſis dixit: Omnes contra dominum Papam inſurgitis. Tunc Antonius Brixienſis in perſona omnium dixit: Jam quia nos ſeparatos dicis a gremio apoſtolico, in craſtinum ſit examinandi ſuſpenſio. Et datæ ſunt induciæ in craſtinum.

Altera autem die cum reſediſſent, Amolo Taurinenſis dixit: Quia indiſcuſſa heſterno remanſit propter datas inducias ratio; oportet, ſi vobis placet, ut accipiamus nunc reſponſum. Johannes Aretinus dixit: Ubi heri remanſit, ibi, ſi placet, debet incipi. *Surgens Petrus Albanenſis, dixit Johannes Aretinus: Volunt fratres ut detur reſponſum. Petrus Albanenſis dixit: Veniant ceteri qui mecum fuerunt. Johannes Aretinus dixit: Aut veraces dicite litteras, aut falſas. Petrus Albanenſis dixit: Veniant ceteri qui interfuerunt, quia Sedes ibi apoſtolica erat. Johannes Aretinus reſpondit: Non nos Sedem judicamus apoſtolicam. Cum ſæpius Petrus alia non renueret nequaquam interfuiſſe, dixit Aretinus Epiſcopus: Legatur ſynodus. Et ſubjunxit: Dicat ſancta ſynodus, ſi illi ea quæ deſtruxerunt reſtituere potuerunt. Quia ſi ita eſt, illud apoſtolicum, *Si ea qui ædificavi iterum deſtruxero, peccatorem me eſſe conſtituo.* Amolo Taurinenſis dixit: Non hic apoſtolica facta eſt ſententia: quia primitus deſtruxerunt, & poſtea idipſum reædificare conati ſunt. Johannes Aretinus dixit: Ut malum in Eccleſia perpetratum funditus eradicetur. Sancta ſynodus acclamavit: Et nos ac petimus, ac omnes optamus. Et audita eſt juſſio apoſtolica, ut daretur reſponſum. Petrus Albanenſis dixit: Interfui, ſed coacte. Interrogatus Silveſter ab Amolone, dixit, interfuiſſe illi ſynodo. Ildegerius Laudenſis dixit: Culpabilem heſterno in

* Surgente.

conſpectu omnium te reddidiſti, qualiter interfuiſſes ſynodo. Amolo Taurinenſis dixit: Silveſter Portuenſis, dic, fuiſti in electione Formoſi Papæ? Qui dixit: Interfui, & omnes illum inthronizavimus. Adelardus Veronenſis dixit: Dic, Silveſter, ſi fuiſti in ſynodum Franciæ? Reſpondit: Interfui. Item interrogatus ſi interfuiſſet illi horrendæ ſynodo Romæ? Reſpondit: Interfui, ſed coacte. Interrogatus Johannes Bellitranus ſi interfuiſſet illi ſynodo, reſpondit: Interfui coactus & invitus. Similiter interrogatus Johannes Galliſanus ſi interfuiſſet, reſpondit: Interfui coactè. Interrogatus ſimiliter Stephanus Ortenſis ſi interfuiſſet, reſpondit: In fine fui, & ſubſcripſi coactè. Interrogatus etiam Johannes Tuſcanenſis, reſpondit, non interfuiſſe, ſed poſtea ſubſcripſiſſe coacte. Interrogatus ſimiliter Bonoſus Narnienſis, reſpondit, nec interfuiſſe, nec ſubſcripſiſſe, nec aſſenſiſſe.

Interrogatus Johannes qui dicebatur Mutinenſis epiſcopus, ſi haberet aliquam proclamationem adverſus Gamenulfum Mutinenſem epiſcopum, vel ſi repeteret ipſam eccleſiam, an non? Reſpondit: Non repeto, neque proclamo ſuper ipſum Gamenulfum epiſcopum, ſed terra proſtratus, veniam atque miſericordiam peto.

Proſtrati poſt præfati Epiſcopi, qui interfuerunt illi Stephani ſynodo contra domno Formoſo, miſericordiam deprecati ſunt. Tunc omnis ſancta ſynodus petiit miſericordiam domni Apoſtolici, ut illud funditus eradicetur, ne ulterius Epiſcopi cogantur quid contra canonum auctoritatem per vim facere, aut ullo modo Epiſcopi in cuſtodiam trudantur. Quibus libenter domnus Papa aſſenſit. Interrogati Petrus preſbyter tituli Eudoxiæ, & Benedictus tituli Damaſi, ſi interfuiſſent illi ſynodo? Reſponderunt interfuiſſe coacte, & miſericordiam petiverunt.

CAPUT I. Synodum tempore piæ recordationis ſexti Stephani Papæ *&c. ut in Concilio Romano Tomo* IX *Labb. col.* 502. *niſi quod perturbatus eſt ordo Capitulorum, quorum duo deſunt in mſ. nempe* VIII *&* IX *adduntur vero in mſ. canones, qui habentur col.* 506. *apud Labbeum: quibus additur caput ſequens in codice Vallicellano.*

Si quis ſanctorum Patrum regulas contempſerit, & glorioſiſſimorum Imperatorum, Karoli videlicet Magni Imperatoris, & Hludovvici atque Hlotharii, necnon & filii Hludovvici, de eccleſiaſticis decimis in eorum Capitularibus ſtatuta atque ſancita

cita ſunt, non obſervaverit, & eas aliubi, niſi in baptiſmalibus eccleſiis, abſque conſenſu Epiſcopi dare temptaverit, vel retinere præſumpſerit; & qui dat, & qui recipit, auctoritate ſanctæ Sedis apoſtolicæ & ſanctione ſanctæ Synodi excommunicationi ſubjaceat.

ADMONITIO
IN SEQUENTEM PRÆFATIONEM.

Gezo, ſubſequentis opuſculi ſcriptor, monachus & abbas fuit cœnobii ſanctorum Petri & Martiani apud Dertonam Liguriæ opidum: quod cœnobium Giſeprandus, illius urbis antiſtes, ſub medium ſæculum decimum, Ottone Magno imperante, conſtruxit, atteſtante Vghello in Italiæ ſacræ tomo quarto col. 856. Codex, ex quo ſubjectam præfationem cum adjuncta capitulatione deſcripſimus, exſtat in Padolironenſi ſancti Benedicti monaſterio prope Mantuam. Idem liber, ſed ſine præfatione, habetur in alio codice Conventus ſanctæ Crucis Minorum obſervantium apud Florentiam: quo ex codice piæ memoriæ Cardinalis Bona exemplum deſcribi, & ad noſtrum Acherium tranſmitti olim curavit, abſque nomine auctoris. Non dubium eſt quin Gezo Paſchaſii Radberti doctrinam pro catholica habuerit: cum librum Paſchaſii fere integrum in ſuum tranſtulerit, eumque diſcipulis ſuis propoſuerit ad credendum. Non viſum eſt operæ pretium Gezonis opus integrum exhibere, cum nihil ſingulare contineat: ratis ſufficere indicem capitulorum in ſpecimen operis. Si cui tamen ſecus placuerit, exemplum ejus habemus in promtu ex codice Florentino.

His ſuccedent epiſtolæ quatuor, quæ ad ritum Ambroſianum pertinent, deſcriptæ ex codice bibliothecæ Ambroſianæ.

PROLOGUS VEL EPISTOLA
SEQUENTIS OPERIS
GEZONIS MONACHI
De corpore & ſanguine Domini.

Dilectiſſimis fratribus, quibus ex divina diſpenſatione, quantum propria permittit infirmitas, paternam impen-

do ſollicitudinem, Gezo, Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti ſervus. Decreveram quidem olim, Fratres cariſſimi, graviſſimorum mihi conſcius delictorum, patriam parenteſque relinquere, & in aliquod me conferre conſecretum: ubi a ſæcularium negotiorum ſtrepitu omni modo ſequeſtratus, in omnipotentis Dei ſervitio ævum tranſigerem, peccata mea jugiter deplorans, & continua pænitentiæ ſatisfactione clementiſſimum Dominum & Judicem univerſorum ad miſerendum invitans. Quantum autem huic decreto voluntatis meæ, reverendæ memoriæ dominus GISEPRANDUS, illo tunc tempore noſter epiſcopus, & vi & auctoritate reſtiterit, non habetis incognitum, aſſerens non eſſe canonicum, ut relicta eccleſia, in qua nutritus & ordinatus fueram, meo arbitrio alio demigrarem: ſe vero numquam mihi ad iſta præbiturum eſſe conſenſum: præſertim cum jam ipſe decreverit in propria eccleſia, ubi beatiſſimi martyris Martiani corpus humatum quieſcit, monaſterium conſtruere: in quo ſi omni modo ſtatueram mutare propoſitum, & ſolitudo mihi non deeſſet, & ad ſerviendum Deo juxta libitum cuncta ſuppeterent. Quam ergo pollicitationem pro mea tunc imperitia ægre ſuſcepi: quia æſtuanti deſiderio nimis prolixa tanti temporis videbatur exſpectatio. Prævaluit tamen ejus auctoritas: quoniam tanti viri juſſionibus non parere, & conſiliis non acquieſcere, non modo temerarium, verum etiam inſaniæ ſimile diceretur. Acceleravit igitur quantocius implere promiſſum; & poſtpoſitis curis omnibus ſæculi, quibus nimium impediebatur, ad monaſterii fabricam ſe totum tranſtulit, indulta mihi bono animo licentia monachum profitendi. Nec diu moratus, ubi proſperari in manibus ſuis cœptum opus Domino cooperante perſpexit, omni mihi inſtantia cœpit imminere, ut totius loci curam ſuſciperem, & in lucrandis Deo animabus ſollicitum me vigilemque præberem. Repugnanti itaque mihi, & pondus regiminis non ſegniter refugienti, eo uſque inſtitit, & inrevocabilis manſit; ut nulla a me excuſatione ſuſcepta, ſub divini ſe nominis obteſtatione conſtringeret, quod niſi eo die voluntatis ejus arbitrio me committerem, ut ſubirem ſarcinam quam jubebat; ſine aliqua dilatione eliminatis hinc his ipſis, qui pauci admodum habebantur, monachis, canonicis, quos jam ad hoc præparaverat, locum traderet incolendum. Suſcepi itaque infirmis humeris grave pondus regiminis, & nimia neceſſitate compulſus, illius profeſſionis magiſter factus ſum, cu-

jus non fueram ante diſcipulus. Diſpenſationis igitur mihi per vos creditæ ex eo tunc tempore curis mordaciſſimis occupatus, dum utilitati veſtræ plurimum intendo, & quæ potiſſimum vobis expediant mecum ipſe pertracto; occurrit animo de Dominici corporis & ſanguinis Sacramento mellitum vobis atque florulentum, ſacriſque permixtionibus ſobrie temperatum poculum pro mei ingenii paupertate conficere, quod dilectioni veſtræ & voluptati ſit, & ſaluti. Sanctorum ſiquidem catholicorum Patrum ſcripta lectione percurrens, & intenta, quantum potui, meditatione retractans, quicquid in eiſdem abſolutius atque enodatius ad intelligendum de tantæ,tamque ſubliмiſſimæ rei myſterio invenire valui,in unius libelli corpuſculum compendioſa brevitate redegi. Quod vobis, ſi Spiritus-ſancti favor adſpiret, nec ex intellectus difficultate diſpliceat, & ex ſui parvitate complaceat: imitatus in hoc opuſculo Paſchaſium Ratbertum, qui de hac eadem re Placido cuidam ſuo diſcipulo libellum luculento ſermone compoſuit; eoſdem ipſe quos & ego ſecutus auctores, beatiſſimos ſcilicet Domini ſacerdotes, Cyprianum, Hilarium, Ambroſium, Auguſtinum, Gregorium, Johannem, Iſidorum, Iſicium, Hieronymum & Bedam: de quorum omnium ſcriptis quoſdam ſententiarum decerpimus flores, cauſæ valde neceſſarios, item Dominici corporis & ſanguinis ſuaviſſimum odorem exhalantes. Ipſius vero Paſchaſii libellum totum pæne, ſicut invenimus, ita in noſtrum tranſtulimus, ſenſum ejus potius in aliquibus locis, quam verba ſequentes, & ſuperflua quæque vitantes. Ut autem tanti myſterii gratia liquidius & purius veſtris mentibus favore ſancti Spiritus commendetur, miraculorum copiam congeſſi, quæ ſanctis ac diligentibus ſe olim Dominus revelare dignatus eſt ad laudem & gloriam ſuam; ut oſtenderet quid eis præparaverit in cælis, quibus tantum munus reliquit in terris: ſimul etiam illud attendens, ut ſi quibus forte, vel propter tarditatem ſenſus, vel propter litterarum imperitiam, redemptionis hujus ſacramentum ex Patrum ſcriptis non poterit eſſe perſpicuum, ſignorum fiat revelatione manifeſtum. Qua verò reverentia, quove timore ſacro altari debeatis aſſiſtere, participationem tantæ gratiæ præſtolantes, ne forte (quod abſit) communicantibus vertatur in perniciem, quod ſumere cupitis ad ſalutem; libello huic, quantum potui, ſtudioſe adnexui: ut in omnibus Domino placentes, & ego ex veſtro provectu, & ex meo vos

labore atque ſollicitudine miſericordiam invenire valeamus in die Domini. Accipite igitur, Fratres cariſſimi, eo quo offertur affectu qualecumque parvitatis meæ munuſculum; nec ex mea vobis humilitate vileſcat, quod ex ſenſus ſui continentia glorioſum eſt atque præclarum. Non enim ſine miraculo poterit a legente contemni: quia etſi minus habet aliquid in eloquio, nihil tamen præſtantius eſſe poteſt in materia, qua digne credentibus vita præſtatur incorruptibilis & æterna. Nec parvipendatis obſecro gratiam Domini, ſed de ejus lectione intelligite, quanta ſit virtus vitam æternam in terris accipere, angeliciſque dapibus quotidie ſaginari. Quoniam etſi Deo plena ſunt omnia, nos quoque coram oculis divinæ majeſtatis ſemper verſamur; plurimum tamen coram ſanctis altaribus & Dei vultum, & Angelorum præſentiam obſervare oportet atque vereri: ubi tanta tamque excellentia nobis Verbi Dei virtute atque miſeratione præſtantur, quanta nullus hominum eloqui poteſt. Ipſe autem Deus & Dominus noſter, Verbum, virtus & ſapientia Patris, hanc eamdem gratiam, quam jam præſtitit, conſervet ſimul & tueatur in vobis; & oculos quos vobis aperire jam cœpit, plenius illuminare dignetur: per quem, & cum quo æterno Patri eſt laus omnis & gloria, honor atque magnificentia & poteſtas cum ſancto Spiritu a ſæculis & nunc, & ſemper, & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Sequuntur verſus domni Odonis de Sacramento corporis & ſanguinis Domini

Convivas epulis mundos Deus eſſe ſuperni, &c.

Incipiunt verſus Paſchaſii Ratberti ad Placidum diſcipulum

Regis adire ſacræ, &c.

CAp. I *Quod humana infirmitas non facile debeat divina diſcutere. Ex lib. B. Hilarii epiſc. & conf. de Trinitate.*

Cap. II *De Dominici corporis origine.*

III *De nativitate Filii Dei.*

IV *Quod formis ſæpe corporabilibus erudiamur ad intelligenda divina.*

V *De Dei Patris ſubſtantia.*

VI *De nativitate Filii Dei ex Patre.*

VII *Recta fides.*

VIII. *De Filii Dei generatione.*

IX *Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum per aſſumptam carnem naturaliter manere in nobis, & nos per perceptionem corporis & ſanguinis ejus manere in eo.*

X *Eccleſiæ fides catholica.*

XI *Non eſt confidendum in humana prudentia.*

XII *De Dei verbo Cyprianus vel Hilarius.*

XIII *Auguſtinus de Dei verbo.*

XIV *De libello Paſchaſii Ratberti ad Placidum diſcipulum, Chriſti communionem verum ejus corpus & ſanguinem eſſe non dubitandum.*

XV *Quod hoc myſterium Chriſti nullus fidelium debeat ignorare.*

XVI *Quid ſint ſacramenta, vel quare dicantur.*

XVII *Vtrùm ſub figura, an veritate hoc myſterium calicis fiat.*

XVIII *Quid ſit inter immolationem veterum, figuraſque legalium, & inter ſacramentum dominici corporis ac ſanguinis.*

XIX *Quid ſit digne ad vitam percipere corpus & ſanguinem Chriſti.*

XX *Quibus modis dicitur corpus Chriſti.*

XXI *Quod in hac communione aut judicium percipiatur, aut præmium.*

XXII *Quod neceſſe fuerit quod ſemel geſtum eſt, Chriſtum quotidie immolari: quid boni tribuant hæc myſteria digne accipientibus.*

XXIII *Cur in pane & vino hoc myſterium celebratur.*

XXIV *Cur in calice aqua miſceatur.*

XXV *Vtrum plus habeat aliquid hoc myſterium, quoties a bono; aut minus quippiam quam Veritas repromittit, ſi à malo conficiatur miniſtro.*

XXVI *Vt quid nec colorem, aut ſaporem in ſacramento minime permutant.*

XXVII *Quod hæc ſæpe viſibili ſpecie apparuerint.*

XXVIII *Quibus verbis hoc myſterium conficiatur.*

XXIX *Vtrum hoc corpus poſt conſecrationem panis jure queat vocari.*

XXX *Vtrum plus ex eo habeat qui majus, an qui minus accepit.*

XXXI *Cur hoc myſterium ante paſſionem diſcipulis traditur.*

XXXII *Vt quid in ſanguine Chriſti fragmentum corporis admiſcetur.*

XXXIII *Cur generaliter hoc a jejunis myſterium ſacræ communionis celebratur, cum Dominus diſcipulis poſt cœnam hoc tradidit.*

XXXIV *Quid ſit quod Dominus ait,* Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei.

XXXV *Si ulla defferentia ſit in hoc myſterio juſto & pænitenti reconciliato.*

XXXVI *Quid digne vel indigne ſumentibus dominici corporis & ſanguinis præſtet Euchariſtia.*

XXXVII *Quid beatus martyr Cyprianus affirmat ſe præſente contigiſſe his, qui polluti de idolaticis, dominici corporis & ſanguinis ſacramenta temere ſuſceperunt.*

XXXVIII *Quare peccatis criminalibus irretiti a ſacramentis dominicis arceantur.*

XXXIX *Iudæos ab omni conventu fidelium arcendos, præcipue ubi Chriſtianorum celebratur oblatio.*

XL *Qualiter accedendum ſit ad dominici corporis & ſanguinis ſacramentum.*

XLI *De revelationibus, quibus Dominus de veritate corporis & ſanguinis ſui hæſitantium corda firmavit.*

XLII *Miraculum de quodam Iudæo.*

XLIII *Item de quodam ſene Eremita, cujus dubitationem Dominus eadem veritatis revelatione firmavit.*

XLIV *Item miraculum quod Romæ actum eſt.*

XLV *Item aliud miraculum quod eſt actum Romæ.*

XLVI *De ſacramento Calicis quid revelatum ſit beato Cypriano.*

XLVII *Qualiter in Domini noſtri Ieſu-Chriſti paſſione myſticum ſit paſcha, & in ejus immolatione rei veritas ſit oſtenſa.*

XLVIII *Vtrum Paſcha iſtud legitimum poſt anni ſpatium vel poſt longa intervalla dierum, an quotidie fidelibus ſit edendum.*

XLIX *Quantum ſacra oblationis immolatio mortuorum ſpiritibus prodeſt.*

L *De quodam monacho, qui per ſalutarem hoſtiam ſupplicium evaſit.*

LI *De quodam cujus vincula in captivitate oblato pro eo ſacrificio ſolvebantur.*

LII *De quodam nauta, qui poſt longa maris diſcrimina dicti virtute ſacramenti mortem evaſit.*

LIII. *Quibus immolatio Dominici corporis proſit.*

LIV *Qua diſciplina, qua modeſtia orandum ſit, cum ſacerdos ſacrificat, & unuſquiſque in ſuo ordine horam ſacræ communionis exſpectat.*

LV *Quid cavendum in oratione ſit, & qualiter faciendæ preces.*

LVI *Cyprianus ad clerum Domini deprecandum.*

LVII *Viſio beati Cypriani.*

LVIII *Quod etiam in exteriori cultu ſacro ſcilicet Dei altare ornandum ſit.*

LIX *Quod hic nihil ſuper altare ponendum ſit præter ſacroſanctam oblationem.*

LX *Quod pro homicidis & latronibus non ſit ſacrificandum.*

LXI *De iis qui eleemoſynam faciunt, & peccata non dimittunt.*

LXII *Stupendum nimis de quodam presbytero.*

LXIII *Quod qualiſcumque ſacerdotis excommunicatio valde formi-*

danda ſit; nec attendendum cujus ſit meriti, per cujus auctoritatem hoc facit, etiam ſi injuſta videatur (quod abſit) excommunicatio.

LXIV *Laudabile nimis exemplum Theodoſii Imperatoris.*

LXV *Item exemplum nimis pavendum.*

LXVI *Quanta reverentia epiſcopali cathedræ habenda, de domno Petro Alexandrino Patriarcha.*

LXVII *Quam grave peccatum ſit ſacra loca temerare, vel aliqua ſorde polluere.*

LXVIII *De quodam ſepulto.*

LXIX *De quodam latrone in cœmiterio B. Iohannis ſepulto.*

LXX *Item beatus Auguſtinus, Hieronymus & Salomon.*

LXXI *De Sacramento Baptiſmi beatus Ambroſius.*

I. EPISTOLA DOMINI PAULI SACERDOTIS & Gebehardi religioſorum virorum ſanctæ eccleſiæ Ratiſponenſis, miſſa ad presbyterum Martinum, theſaurorum ſancti Ambroſii Cuſtodem, pro officio Ambroſiano.

MArtino fideliſſimo Cuſtodi theſaurorum beati Ambroſii, Paulus & Gebehardus Germani, inveſtigabiles divitias Chriſti. Tertius annus eſt, quod una tecum & cum ceteris Ambroſianis lectiſſimam ſancti Spiritus feſtivitatem celebravimus, & adhuc ſollemnizant mentes noſtræ ex memoria dulcedinis veſtræ. Multum enim humane & honeſte tractati ſumus a vobis. Hinc etiam eodem anno miſimus vobis ſuaviſſimam expoſitionem Ambroſii ſpecialis veſtri Doctoris in partem gratiarum actionis. Nunc autem & quam intime ſalutantes dilectionem veſtram, impenſe rogamus, ut tranſcribi nobis faciatis Sacramentarium ejuſdem ſancti Ambroſii cum Antiphonario ejus, nobiſque ſine dubio redempturis pretium ſcriptori tranſmittendum deſignetis. Hoc verò gratuitum caritatis tuæ munuſculum eſſe volumus, ut nobis initia & fines evangelicarum & apoſtolicarum lectionum, ſecundum morem veſtræ eccleſiæ ad Miſſas legendarum, in breviario comprehendas. Inſuper & catalogum, quem mihi Paulo promiſiſti, Mediolanenſium Epiſcoporum ſubjungas. Præterea primum ſuſceptorem noſtrum abbatem de ſancto Dionyſio, deinde ab-

batem de ſancto Victore, clerum quoque ſancti Nazarii, & venerabilem Ambroſium presbyterum, benefactores noſtros, ex parte noſtra ſalutare te depoſcimus. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen.

II. ITEM EPISTOLA EORUMDEM nobilium virorum ad eumdem miſſa, venerabili laude plena ſub nomine ad Anſelmum.

ANſelmo, ſtellæ prælucidæ in firmamento Mediolanenſis eccleſiæ divinitus poſitæ, Paulus & Gebehardus deſideratores luminis ejus, nobilem claritatem in ſplendoribus ſanctorum. Quoniam princeps in divinis laudationibus apud Latinos præfulſiſſe cognoſcitur mellifluus doctor Ambroſius, idcirco ne ingrati ſimus tam ſanctis primordiis, habere delectamur notitiam tantæ auctoritatis. Hoc dicimus, quoniam probitatem tuam admirari comperimus, cur nos, qui habemus Ordinem Romanum, ſimul habere geſtiamus Ambroſianum. Fuit olim tanta Mediolanenſis eccleſiæ gratia & excellentia, ut Aurelio & Auguſtino, ceteriſque Africanis præſulibus non ſufficeret in dubiis rebus Romanum conſulere Pontificem, niſi pariter conſulerent & [a] Mediolanenſem. Deſine ergo admirari imitatrices ſanctorum Patrum inquiſitiones noſtras, & adhibe oportunas opitulationes tuas: ut Ordo Ambroſii, dulciſſimi ſancti Spiritus organi, quem diſcipulus ejus doctor eximius Auguſtinus traduxit in Africam, nobis transferatur in Germaniam, ad excitandam & dilatandam boni odoris fragrantiam. Nam & nos parati ſumus ejus cunctorumque fratrum tuorum voluntatibus ſatisfacere, ſicubi forte nos aliquid Ambroſiani operis, quod vos non habetis, contigerit invenire: ſicuti Veronæ poſiti fecimus, quando expoſitionem quinti-decimi Pſalmi, in qua de morte Gratiani Imperatoris agitur, domno Martino, ejuſdem beati Ambroſii theſaurario, tranſmiſimus. De cetero optamus, ut cum beatiſſimi Ambroſii præſidio, numquam tibi deſit ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, ejuſque proximæ Teclæ veneranda interceſſio.

a Hoc ſpectat ad Conſilium tertium Carthaginenſe, cujus Patres conſultationem direxerunt ad Siricium Papam & ad Simplicianum Mediolani Pontificem.

III.

III. ITEM AD MARTINUM pro dubitatione Sacramentarii.

MArtino, fideliſſimo Cuſtodi paucorum bonorum beatiſſimi Ambroſii, Paulus & Gebehardus humiles amici ejus, ſuper multa conſtitui in introitu gaudii Dominici. Magnas referimus gratias benivolentiæ tuæ, Pater amantiſſime, quoniam caritatis noſtræ notitiam non ſolum dignatus es in gremio tuo confovere, ſed etiam principalis cleri piis manibus & oculis curaſti exhibere. Quod autem ambiguitatem removeri poſtulas ab appellatione Sacramentarii; nos nullum appellamus Sacramentarium, niſi librum Miſſalium orationum abſque lectionibus evangelicis, apoſtolicis & propheticis, quarum fines & principia ſecundum Ambroſianam exceptionem petentibus nobis annotare pollicitus es. Nam illum titulum, quem tu ita ponis, *Incipit liber Sacramentorum*, nos non habemus. quippe qui non unum tantum, ſed & ſex Ambroſianos libros de Sacramentis lectitare ſolemus. Verum quod interrogas, utrum Antiphonarium cum notulis, vel ſine notulis habere velimus; nihil Ambroſianæ integritatis deeſſe nobis volumus: quoniam ipſa ſpecies operum ejus & uſum eorum neſcientes oblectat. Mitte ergo nobis Antiphonarium cum notulis, & Sacramentarium cum ſolis orationibus & præfationibus Ambroſianis. Nam geſtis ſanctorum, quæ Miſſarum celebrationibus apud vos interponi ſolent, non indigemus, quoniam his abundamus. Etiam dicenda de pretio quod mandaſti, vel de gratiarum actione quam meruiſti, litterarum injunximus portitori. De cetero optamus, ut poſt theſauros beatiſſimi Ambroſii, cum eodem poſſidere merearis inenarrabiles divitias Chriſti.

IV. INVECTIVA DOMINORUM PAULI & Gebehardi ad Martinum ſacerdotem pro Rege Cunrado.

MArtino, fideliſſimo Cuſtodi theſaurorum ſancti Ambroſii, Paulus & Gebehardus intimi dilectores ejus, Ambroſianis interceſſionibus redintegrare quidquid corruptum eſt perfidorum contagione. Quod Agareni noſtri tamdiu illudere potuerunt nobiliſſimæ Mediolanenſium eccleſiæ, ſcias nos vehe-

menter admiratos graviter doluiſſe, magnoque ſtupore defixos ſcribendi ad te conſuetudinem intermiſiſſe. Nunc verò quia beati Ambroſii meritis ceſſiſſe feruntur Iſmahelitæ, & ingenuæ retractationis lumen dicitur refulſiſſe, libet iterum ſcribere caritati tuæ, hortantes te deinceps Ambroſiano exemplo declinare Eugenium, & amplecti Theodoſium. Nobis quoque, ſicut ſæpius poſtulatum & laudatum eſt, duplicem Ambroſianæ auctoritatis Antiphonarium, diurnum videlicet ac nocturnum, ſine mora tranſmittere comparandum à præſentium latore, exceptis orationibus quas jam miſiſti, & hymnis, quorum non minor copia nobis eſt, quam tibi. Noſtrum erit cogitare, ut ingratitudinis non accuſemur, neque ex tua benevolentia, neque ex noſtra conſcientia. De cetero Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus, beati Ambroſii patrociniis ſuper te vigilantibus.

V. RELATIO MARTINI SACERDOTIS & theſaurorum S. Ambroſii Cuſtodis ad cariſſimos fratres & amicos Paulum & Gebehardum.

GEbehardo & Paulo venerabilibus fratribus & amicis, Martinus theſaurorum beati Ambroſii Cuſtos, in agone fideli perſiſtere, & a veſtigiis beati Petri non deviare. Quod de veſtris Agarenis, qui proſelyti ſive vana vallis eſſe probantur, intimandum tranſcribendo invective procuraſtis; nunc a nobis reſcribendo rem & rei cauſam ſuſcipiatis. In deſerto enim populus rebellis & incredulus ex Aaron digitis vitulum conflatilem ex igne & auro ad ſuam ſuperſtitionem ſibi conflavit. Ipſius tamen Aaron & Hur conſcientia totiuſque ſtirpis Leviticæ ſana interius exiſtente, conſcientia intemerata & impolluta permanſit. Inſulſi quippe populi voce non minus acclamante, *Hii ſunt dii tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti, & de domo ſervitutis.* Eadem vero ratione Siccimitæ contra Joathan filium Hierobaal legitimum, Abimelech filium ejuſdem Gedeonis, aliqua tamen ſibi materna conſanguinitate conjunctum, ſine aliquo reſpectu Dei ſibi dominum conſtituerunt, interfectis ſeptuaginta filiis Hierobaal ſuper lapidem unum &c. Quod autem de Eugenio & Theodoſio intuliſtis, verbis Cuſai Arachitæ ad Abſalon de fuga David requirente vobis reſpondere non pigebit. Dicebat ergo Abſalon Cuſai: *Eſtne gra-*

tia David patris mei amici tui, ut ſine te vellet abſcedere? Cui reſpondit Cuſai: *Ave Rex, ave Rex.* Et adjecit: *Illius ero quem Dominus elegerit.* Illud vero quod de Iſmahelitis interpolare voluiſtis, qui obedientes ſibi, & non Deo interpretantur; adhuc grana cum paleis in area dominica verſantur, quæ ventilabro examinis dominici diſcernentur. Hinc rurſus Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribit: *Qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Item Ambroſius in libro Sermonum cap. XI. « Qui navem Petri non aſcendit, diluvio inundante peribit. « Hanc Dominus noſter aſcendit, quando Evangelium mundo nunciavit: & in illa, quam Dominus Petro tradidit, Deo juvante noſtra fides inconvulſa permanebit. Unde idem Ambroſius quibuſdam dicit in libro I. Pænitentiæ: Non habent hereditatem Petri, qui Petri fidem non habent, quam impia diviſione quidam diſcerpunt. *Ambroſ. lib. I. de Pænit. c. 6.* Multum enim ille qui videbatur auſter eſſe, & qui leniter flare debuerat, hanc Chriſti navem turbavit. Sed ut illa omittamus, ad cetera quæ nobis mandaſtis, quantumcumque valuimus, fideliter ſicut decet explevimus. Pretium etenim libri eſt ſol. XLV. & vix pro tanto habere potuimus. Sed ibi poteris invenire omne Officium: & cantus illi qui ſunt abſque notulis, & abbreviati omnes ſunt cum notula inantea. Sciatis namque nos in litteris veſtris & in memoria veſtri valde jocundatos eſſe: & quia in tanto amore habetis doctrinam beati patris noſtri Ambroſii, quamplures gratias Deo & vobis cum clero noſtræ civitatis indifferenter referimus. Valete. Amen.

OBSERVATIONES DE RITU AMBROSIANO.

I. *Non erunt inutiles (ut ſperamus) ſuperiores quinque epiſtolæ ad illuſtrandum ritum Ambroſianum, qui hactenus viget in eccleſia Mediolanenſi. Iam dudum nos tenet cogitatio, ut ad hanc rem, ſane præclaram, explicandam aliquid conferre conemur. Quam ob rem in brevi mora, quam fecimus aqud Mediolanum, nihil non tentavimus, ut iſtius ritus originem & primam inſtitutionem e tenebris pro modulo erueremus. Ita enim in obſcuro ſunt ea principia, ut quid de his ſtatuere liceat, ignoretur. Sed diuturniori mora opus fuiſſet ad id exſequendum. Interim quod in illis temporis anguſtiis conceſſum eſt nobis, nonnulla obſervavimus de illo ritu, quæ hic in pauca conferenda ſunt.*

II. *Scriptæ ſunt præmiſſæ epiſtolæ eo tempore, quo, mortuo Heinrico primo Imperatore, Conradus Salicus & Cono Dux de principatu de-*

certabant, *id eſt anno* M XXIV. *Id patet ex epiſtola quarta. Paulus & Gebehardus*, *epiſtolarum auctores*, *Canonici erant Ratiſponenſes: ex quibus Gebehardus poſtea in ſedem eccleſiæ Ratiſponenſis evectus eſt Conradi favore*, *qui ejus frater erat. Illi amore Ambroſii ejuſque doctrinæ capti*, *cum Mediolanum iviſſent*, *viſa ritus Ambroſiani majeſtate*, *eum in ſuam eccleſiam cum Ordine Romano inducere cogitarunt. Petunt proinde libros huc neceſſarios*, Sacramentarium, Antiphonarium, initia & fines evangelicarum, apoſtolicarum, & propheticarum lectionum, *una cum* catalogo Mediolanenſium Epiſcoporum. *Nam hymnos*, *& acta Sanctorum*, *quæ in ſacris apud Mediolanenſes legebantur*, *jam penes ſe habebant.* Sacramentarium *appellant* Librum Miſſalium orationum & præfationum: Antiphonarium *vero codicem*, *qui antiphonas in diurnis nocturniſque officiis cantari ſolitas continebat. In beneficii hujuſce proxenium Martino*, *Ambroſianæ baſilicæ cuſtodi ſeu theſaurario*, Veronæ poſiti, aliquid Ambroſiani operis, *quod non habebant Mediolanenſes*, *præmiſerant*, *nempe* expoſitionem * quinti-decimi Pſalmi, in qua de morte Gratiani Imp. agitur. *Ex quibus intelligimus*, *egregium illud par*, *Paulum ſcilicet & Gebehardum*, *Italiam peragraſſe*, *ut Ambroſii operum reliquias colligerent.*

* *l.* ſexageſimi-primi.

III. *In Ambroſiana bibliotheca*, *quæ ſuperiores nobis litteras ſuppeditavit*, *invenimus vetus Ordinis Ambroſiani Antiphonarium*, *& antiquum catalogum Mediolanenſium Antiſtitum*, *quem mox ſubjiciemus*, *ſecuti hac in re Pauli & Gebehardi conſilium. Præter ea in eadem bibliotheca & in archivo eccleſiæ metropolitanæ exſtant veteres item codices*, *qui tum Orationes & Præfationes Miſſarum*, *tum Evangelia*, *aliaſque lectiones ritus Ambroſiani continent: ſed nullus codex annos octingentos ſuperat. Hoc loco inquirendum occurrit*, *primo an illius Ordinis ſeu ritus*, *qui Ambroſianus appellatur*, *primus auctor fuerit Ambroſius: deinde qualis fuerit ille ritus; & an idem hactenus in eccleſia Mediolanenſi immutatuſque perſeveret*, *tum in iis quæ ad Miſſam*, *quam in illis quæ ad cetera divina officia pertinent.*

I.

IV. *Ambroſium hujuſce ritus primum inſtitutorem non fuiſſe cenſent recentiores*, *Ioſephus Vicecomes*, *& præter alios piæ memoriæ Cardinalis Bona in cap.* XVIII *divinæ Pſalmodiæ. Verum contraria fuit veterum perſuaſio*, *VValafridi Strabonis*, *qui ante annos octingentos vivebat; Landulfi ſenioris*, *atque Pauli & Gebehardi in ſuperioribus epiſtolis: quibus ſine dubio conſentit antiqua traditio eccleſiæ Mediolanenſis. Ioſephus Vicecomes ait in lib.* II. *de ritibus Miſſæ*

cap. XII, *Miſſæ ordinem a ſancto Barnaba apoſtolo; pſallendi autem regulam a Mirocl ete archiepiſcopo Mediolani inſtitutam fuiſſe. De pſallendi norma repugnat Paulinus in libro de Ambroſii vita : ubi tempore Iuſtinæ perſecutionis* primo antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in eccleſia Mediolanenſi, *inquit*, celebrari cœperunt : cujus celebritatis devotio uſque in hodiernum diem, non ſolum in eadem eccleſia, verum per omnes pæne Occidentis provincias manet. *Adſtipulatur iiſdem fere verbis Auguſtinus in lib.* IX *Confeſſionum cap.* VII. Tunc hymni & pſalmi ut canerentur ſecundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt, & ex illo in hodiernum retentum, multis jam ac pæne omnibus gregibus tuis & per ceteras orbis partes imitantibus.

V. *Miſſæ ordinem atque ritum a primis Chriſtianæ religionis apud Mediolanenſes inſtitutoribus, qualis primis illis temporibus erat, traditum fuiſſe non infitiamur. Verum ſine multo rituum apparatu ſacra tunc fiebant, nec rata fixave erat eorum diſpoſitio, nec uniformis. Paullatim ad certam quamdam Liturgiæ formam ſe ſe compoſuerunt eccleſiæ: quæ forma in eccleſia Occidentali non una fuit. Alia quippe Romanis, alia Gallis, alia Hiſpanis, Afris alia competebat: tametſi præcipua liturgiæ capita ubique concordabant. Sua etiam fuit, ſupereſtque etiam nunc eccleſiæ Mediolanenſi forma ſacrificii, ab aliis diverſa : cui id privilegii conceſſum eſt, ut ceteris ferme abrogatis & ad Romanam redactis, ſola retenta ſit cum Romana apud occidentales. Nec dubium quin hoc tributum fuerit Ambroſio, quem hujuſce ritus auctorem majores noſtri ſemper habuerunt, ob idque ab auctore Ambroſianum Ordinem appellarunt. Notum eſt quod ait VValafridus Strabo in lib. de ritibus eccleſiaſticis cap.* XXII. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus tam Miſſæ, quam ceterorum diſpoſitionem officiorum, ſuæ eccleſiæ & aliis Liguribus ordinavit, quæ & uſque hodie in Mediolanenſi tenentur eccleſia.

II.

VI. *Qualis fuerit Ambroſii tempore divinorum Officiorum, ſive in vigiliis, ſeu in Miſſis ab eo inſtituta diſciplina, non facile eſt explicare. Atque ut a lectionibus incipiamus, hæ duplicis generis erant: una fortuita, & ut ferebat vel præſidentis arbitrium, vel librorum ſacrorum continuata lectio : altera ſollemni ritu conſtituta. De hoc ſollemni lectionum more loquitur Ambroſius in epiſtola* XIV *ad Marcellinam, ubi exponit perſecutionem ab Arrianis, Iuſtina duce, ad Dominicam Palmarum Eccleſiæ intentatam. Poſtera die*, audiſtis ſi-

lii, *inquit Ambroſius*, librum Job hodie legi, qui SOLLEMNI MORE eſt decurſus & tempore. *Deinde feria quarta* lectus eſt DE MORE liber Jonæ. Erat autem dies, quo ſeſe Dominus pro nobis tradidit, quo in Eccleſia pænitentia relaxatur. *Itaque feria ſecunda hebdomadæ ſacræ* ſollemni more *liber Iob recitari ſolebat: feria quarta liber Ionæ. Morem legendi in Eccleſia Scripturas ſacras Ambroſio antiquiorem eſſe, adeoque ejus originem Ambroſio auctori non eſſe tribuendam exiſtimamus. Secus eſt de alterno cantu Pſalmorum & hymnorum: cujus ritus Mediolani inſtitutor Ambroſius ex dictis cenſendus eſt. Quippe ante Ambroſium, id eſt ab exordio naſcentis Eccleſiæ, certis diebus & horis Fideles conveniebant in eccleſiam ad audiendas lectiones & Pſalmos recitandos: ſed hæc recitatio apud Mediolanenſes abſque cantu fiebat ante Ambroſium: qui tamen fortaſſe illius ordinis diſciplinam certis legibus adſtrinxit.*

VII. *Pauca hujuſce diſciplinæ veſtigia ſuperſunt in Ambroſii libris. Iam vidimus feria ſecunda majoris hebdomadæ librum Iob* ſollemni more *fuiſſe* decurſum & tempore: *& feria quarta ſequente librum Ionæ* de more. *Decembris die* VII. *quando ſancti Doctoris ordinatio annua feſtivitate recurrebat*, Pulcre mihi, ait, hodie legitur Legis initium, quando mei natalis eſt ſacerdotii. *quæ verba leguntur in ejus commentario ſuper Lucam lib.* VIII. *num.* 73. *novæ editionis. Hoc Legis initium videtur fuiſſe deſumtum ex Deuteronomio, non vero ex Evangelio Lucæ, quod tunc ſanctus Doctor ad populum interpretabatur. Ad hæc in concione de baſilicis non tradendis contra Auxentium, meminit lecti Evangelii de ingreſſu triumphali Chriſti Domini in urbem Ieroſolymorum.* Audiſtis quod hodie lectum ſit. Pullum ſibi aſinæ Salvator per Apoſtolos juſſit adduci, mandavitque, ut ſi quis reſiſteret, diceretur: Dominus ejus operam deſiderat. *Alia eodem die lectio item facta de vinea Nabuthæ ex libro tertio Regum cap.* XXII. *Poſt hæc de evangelica lectione ſubdit ibidem Ambroſius:* Lectio nempe iſta nulla noſtra diſpoſitione recitata eſt, ſed caſu, quæ præſentibus bene aptatur temporibus. *Lectio hæc caſu facta dicitur, habita ratione urgentis perſecutionis, ſed non ratione temporis, in quod illa perſecutio incidebat. At difficile eſt ſtatuere, cui tempori aſſignatæ fuerint prædictæ lectiones. Neque vero Evangelium de Chriſti ſuper aſinam proceſſione antiquitus in eccleſia Mediolanenſi legebatur Dominica Palmarum, ut in Romana, ſed Dominica quarta Adventus: quo die ibidem legitur etiam nunc. An vero tempore Ambroſii, affirmare non auſim. Saltem hæc obſervatio viam*

aperire poteſt ad conciliandum id, quod Ambroſius de illis turbis Auxentianis ſcribit, tum in hac concione, tum in epiſtola XIV *ad Marcellinam ſororem. quam controverſiam erudite tractavit V. Cl. Godefridus Hermannus in Obſervationibus ad Vitam Ambroſianam: ubi recte advertit, non ad idem illius perſecutionis tempus ſpectare epiſtolam* XIV *ad Marcellinam, & concionem prædictam contra Auxentium: ſed hanc concionem videri poſteriorem. Atque adeo epiſtola* XIV *ad Dominicam Palmarum anni* CCC LXXXVI *referenda eſt; concio vero illa fortaſſe ad ſubſequentem Adventum, ſi Evangelium de ingreſſu Domini triumphali in urbem Ieroſolymorum tempore Adventus lectum eſt, uti modo legitur, legebaturque olim in multis eccleſiis, immo etiam in Romana, ut patet tum ex Homiliario Pauli Diaconi, ubi hoc Evangelium ponitur Dominica prima Adventus; tum ex variis capitularibus Evangeliorum. In Quadrageſima porro Evangelium Iohannis de cæco nato lectum fuiſſe patet ex epiſtola* XLV *ad Bellicium.* Audiſti, frater, lectionem Evangelii, in qua decurſum eſt, quod præteriens Dominus Jeſus vidit à generatione cæcum. *Et infra:* Veni ad baptiſmum: tempus ipſum adeſt: veni feſtinus. *Hæc verba tempus Quadrageſimæ denotant, quando Electi ſeu Competentes ad ſuſcipiendum baptiſma excitabantur.*

VIII. *Multa alia loca exſtant apud Ambroſium, ubi fit mentio de lectione librorum ſacrorum, ſed quibus diebus facta fuerit, non ſatis perſpicuum eſt. In lib.* II *de Iacob & vita beata cap.* V. Ubi enim fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum, ſicut legi audiſti hodie, *ex Lucæ cap.* XII. *In libro de Elia & jejunio cap.* XIX. Audiſtis hodie quid lectum ſit: Mercatores, inquit, Phœnicum tranſmittentes mare, *Iſaiæ cap.* XXIII. *Quod quidem lectum fuiſſe inſtante Quadrageſimæ jejunio colligitur ex ſequenti cap.* XXVIII. Canamus tuba, tamquam in prœlium progredientes: certamen imminet; certamen noſtrum jejunium eſt. *Præter ea libri Tobiæ expoſitionem aggreſſus eſt Ambroſius,* lecto prophetico libro, qui inſcribitur Tobias, *ut ipſe initio expoſitionis ſuæ declarat. Denique, ut cetera prætereamus, in epiſtola* XVIII *ad Marcellinam diſerte ſcribit, prophetiæ Ieremiæ caput primum de baculo nucino fuiſſe recitatum; ſimulque Evangelium de convivio Phariſæi.* In libro prophetico ſcriptum: Sume tibi baculum nucinum. . . Hæc de prophetica lectione libata ſunt. Evangelii quoque lectio quid habeat, conſideremus. Rogavit quidam Phariſæus Dominum Jeſum ut manducaret cum illo, &c. *Lectionem Evangelii ſancti Io-*

hannis de adultera memorat idem vir ſanctus initio Apologiæ David: & cap. V *ejuſdem libri Evangelium Lucæ de homine divite, qui abiit in regionem longinquam. Poſtremo in epiſtola* LII *ad Studium quindecim Pſalmos graduales, quos* anabatmos *vocat, comparat cum hiſtoria Ezechiæ de quindecim gradibus aſſcenſionis Solis, & cum quindecim diebus, quibus Paulus apud Petrum commoratus eſt.*

III.

IX. *Non eumdem lectionum ordinem, atque tempore Ambroſii, ſaltem in omnibus, obſervari modo in eccleſia Mediolanenſi, facile probari poteſt ex duobus indubitatis locis. Liber Iob, ut ſuperius vidimus, legebatur feria ſecunda ſacræ hebdomadis: & prophetia Ionæ feria quarta ſequente. Nunc vero neutra legitur ipſis diebus, neque ad matutinum officium, neque ad Miſſam. Nam utraque feria ad matutinas horas recitantur lectiones ex prophetia Ieremiæ: ad Miſſam vero ex Iſaia. Porro Ionas modo legitur ad Miſſam feria ſecunda hebdomadæ quintæ in Quadrageſima, itemque feria quinta in Cœna Domini: quo die prolixa ex Iona lectio nunc recitatur. Attamen veriſimile eſt, Evangelium de cæco nato, quod nunc in uſu eſt Dominica tertia Quadrageſimæ, unde & vocabulum accipit* Dominica de cæco, *itidem Ambroſii tempore lectum fuiſſe eodem die, aut certe in Quadrageſima, ex dictis. Denique Pſalmum* Dilexi *in exſequiis mortuorum, uti etiam nunc, recitatum fuiſſe ſatis innuit Ambroſius in Concione de obitu Theodoſii:* in quo Pſalmo, *inquit*, dum legitur, velut ipſum Theodoſium loquentem audivimus.

IV.

X. *Ordinem Miſſæ ei, qui nunc in uſu eſt, antiquitus non multum abſimilem fuiſſe colligimus ex paucis, qui nobis reſtant, hujus argumenti apud Ambroſium locis. Unus eſt in epiſtola* XIV *ad Marcellinam.* Sequenti die (erat autem Dominica, *ſcilicet in Palmis ſeu* in Ramis olivarum, *ut loquuntur Mediolanenſes*) poſt lectiones atque tractatus dimiſſis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptiſterii tradebam baſilica. *Ubi tria obſervare juvat, unum ad propoſitum, nempe lectionibus propheticis, apoſtolicis & evangelicis ſucceſſiſſe, ut modo, tractatum ſeu concionem. Alterum eſt, Symboli traditionem Competentibus Ambroſii ævo factam fuiſſe, quemadmodum apud Gallos etiam & Hiſpanos, ipſa Dominica Palmarum, non ſabbato præcedente, ut in Ambroſianis Miſſalibus poſterioribus notatur. Alius in Africa ritus, alius item in eccleſia Romana, in qua Symbolum feria quarta hebdomadæ quartæ Quadrageſimalis tradebatur ex Ordinis Romani præſcripto. In Africa vero quintodecimo*

decimo die ante Paſcha. qua de re vide ſis Auguſtini ſermonem LIX *novæ editionis, & Notationem ad ſermonem* CC XII. *Tertium obſervatione dignum eſt, baptiſterii baſilicam, etſi majori vicinam, ab ea tamen tantiſper ſeparatam fuiſſe: ut in multis Italiæ locis etiam nunc advertere licet.*

Evangelio recitando non nudum venerandi nominis JESU *vocabulum proferebatur Ambroſii ævo: ſed* DOMINUS JESUS *ſemper appellabatur. In epiſtola* XVIII. Rogavit quidam Phariſæus DOMINUM JESUM. *& in epiſtola* XLV. Præteriens DOMINUS JESUS vidit a generatione cæcum. *Idem ritus hactenus ſervatur in eccleſia Mediolanenſi: quod etiam in Gallicana olim fiebat.*

XI. *Ceterum Ambroſius non modo Dominicis, ſed ſingulis diebus ſacra celebrabat: cujus rei unicum adducimus teſtimonium ex epiſtola* XIV *ſæpe memorata.* Vos quoque ipſos mihi bonos filios geſtiebat eripere, pro quibus ego quotidie inſtauro ſacrificium.

XII. *An vero tunc Euchariſtia ſacra in Viaticum apud Mediolanenſes aſſervaretur, quæſtio eſſe poteſt. Sane id colligi videtur ex Paulino in Ambroſii vita: qui cum morti proximus eſſet, ab Honorato divinitus excitato abſque mora Viaticum accepit, indicta Miſſa, quod temporis anguſtia non ferebat. Accedit etiam locus ex epiſtola* LX *ad Felicem Comenſem epiſcopum, ubi agens de cujuſdam baſilicæ dedicatione & de ejus altari;* Ibi, *inquit*, arca Teſtamenti undique auro tecta, id eſt doctrina Chriſti, doctrina ſapientiæ Dei. Ibi dolium aureum habens manna, RECEPTACULUM ſcilicet SPIRITALIS ALIMONIÆ, & divinæ promtuarium cognitionis. *Nam* dolium *illud* aureum *ad Euchariſtiam referri exigit* mannæ *mentio, & interpretatio ſubſequens*, receptaculum ſcilicet ſpiritalis alimoniæ. *Quod vero ſequitur pertinet ad libros ſacros.*

XIII. *Neque hoc loco prætermittendum eſt, Ambroſii ævo in eccleſia Mediolanenſi frequentes fuiſſe & pæne quotidianos tractatus. quo nomine conciones ſacras & Scripturæ ad populum expoſitiones appellabant. Hinc in epiſtola* XXVI *ad Vercellenſes:* Eccleſia quotidie in lectionibus ſacris, in ſacerdotum tractatibus, laudem pudicitiæ, gloriam integritatis perſonat. *Unde Auxentius Arrianorum epiſcopus eodem munere etiam in dies defungebatur: ſed* tractanti quotidie non crediderunt, *ut legitur in Ambroſii concione adverſus ipſum. Saltem Ambroſium ſingulis Dominicis ſermonem ad populum habuiſſe conſtat ex Auguſtino, qui* eum quidem in populo verbum veritatis recte tractantem omni die Do-

minico audiebat, *ex lib.* VI *Confeſſionum cap.* III. *Hi vero tractatus fiebant tum in Miſſa poſt lectionem Evangelii, tum in Veſperis. qui ritus hodie quoque in eccleſia Mediolanenſi obſervatur, ubi ſermo, qui fit in veſperis,* Lectio *appellatur. Ex quibus omnibus intelligitur, ritum Ambroſianum primarium in quibuſdam cum hodierno convenire, in aliis ab eo diſcrepare.*

V.

XIV. *Quo tempore hodiernus Ordo Ambroſianus ad eam, quæ nunc eſt, formam redactus ſit, conjicere poſſumus ex Landulfo ſeniore in hiſtoria Epiſcoporum Mediolanenſium. Narrat quippe hic auctor, qui ante annos ſexcentos vivebat,* temporibus Caroli ſecundi (*Magnum appellamus*) & Hadriani Papæ I. *numeroſam Synodum Epiſcoporum Romæ conveniſſe*, in qua cum multa tractarentur, improvide contra myſterium Dei, beatique Doctoris & confeſſoris Ambroſii ſe ſe intulerunt, *nempe ut ritus Ambroſianus abrogaretur, parvi penſo, quod Gregorius M. Romani ritus inſtaurator, Ambroſianum inviolatum reliquiſſet. Hoc loco id obſervandum, quod olim Epiſcopi, qui erant ex ordinatione Sedis apoſtolicæ, in Cautione ſua, qualis in libri Diurni cap.* III, *titulo* VII *habetur, ſpondebant ſe divina officia Romano more perſoluturos, qui ritus ibidem exponitur. Non dubium quin hac lege, quæ forte Gregorium M. auctorem habet, ſolutus fuerit epiſcopus Mediolanenſis, qui eamdem Cautionem faciebat. Et huc forte reſpexit prædictæ narrationis auctor. Poſt Synodum memoratam, inſtigantibus epiſcopis, Carolus ſatis egit,* ut quidquid in cantu & miniſterio divino inveniret a Romano diverſum, totum deleret, & ad unitatem myſterii Romani *redigeret. Quam ob rem Mediolanum profectus*, omnes libros Ambroſiano titulo ſigillatos, *nimirum qui ad divina officia pertinebant*, quos vel dono, vel pretio, vel vi habere potuit, alios combuſſit, alios trans montes, quaſi in exilium miſit. *Interim cum Romam veniſſet*glorioſæ memoriæ Eugenius tranſmontanus epiſcopus, amator & quaſi pater Ambroſiani myſterii, & Caroli pater ſpiritualis, *factum indigne tulit, conqueſtus* myſterium perire myſteriorum, *de quo Gregorius M.* ſiniſtrum quid proferre *timuiſſet, ex quo denique multa Romano ritui inſeruiſſet. Sic Eugenius Epiſcopos, ipſumque Pontificem ad meliora conſilia revocavit, & ut intemeratus ſervaretur Ambroſianus Ordo, tandem evicit, non ſine atteſtatione divina. Cum enim in id conſenſiſſent omnes, ut poſitis ſuper altare ſancti Petri duobus codicibus, uno qui Gregorianum, altero qui Ambroſianum ritum contine-*

ret, ſigillatis, ſi quis ex alterutro, nemine reſignante, cælitus apertus fuiſſet, is altero abrogato retineretur; contigit, ut ambo ſponte aperti fuerint. Ex quo id conſecutum eſt, ut Sedes Ambroſiana *Ambroſianum* myſterium (*ita ſemper loquitur Landulfus*) *retineret: at ceteræ latini orbis partes Gregoriano uterentur. Mox Eugenius voti ſui compos factus Mediolanum properat, Ambroſiani ritus libros recolligit: ſed* nihil præter Miſſale *recuperare potuit, quod pius quidam ſacerdos furtim ſubduxerat.* Manuale autem poſtea, *curante Eugenio, nonnulli ſacerdotum & clericorum*, qui multa memoriter retinebant, convenientes in unum, Deo opitulante *reſtituerunt. Hæc fuſius referuntur tum in mſ. hiſtoria Landulfi ſenioris, quæ Datio archiepiſcopo perperam tribuitur, tum ex eo apud Mombritium & in veteri Breviario Mediolanenſi: qua in narratione, licet quædam ſubleſtæ fidei ſubeſſe videantur, tamen res ipſa vera eſſe poteſt Certe ab eo tempore ritus Ambroſianus ſemper manſit uniformis, ut ex relictis antiquis libris deprehendimus: niſi quod ſubinde facta eſt novorum feſtorum, ut moris eſt, acceſſio.*

XV. *Unus ex antiquioribus codicibus eſt* Antiphonarium de univerſis feſtivitatibus anni circuli Mediolanenſis eccleſiæ, *aſſervatum in bibliotheca Ambroſiana, quod incipit à feſto ſancti Martini, cujus officium tam ad Miſſam, quam ad reliquas horas in eo codice exhibetur. Subſequuntur in eodem officia de Sanctis & de tempore, nempe* Idib. Novemb. S. Antonini, XIV. Kal. Decembris Romani ſacerdotis & martyris; X. *eaſdem Kal.* tranſlatio S. Cæciliæ: *die ſequenti* Natalis S. Clementis; *prid. Kal.* S. Andreæ, & Baptiſmum ſancti Ambroſii. *In officio de ſancto Andrea referuntur verba ex vulgatis ejus actis, & orationes de Baptiſmo Ambroſii, quem ipſo die baptizatum fuiſſe conſtat. Inde eſt, quod in pervetuſto Kalendario Gellonenſi, ſcripto Caroli M. principatu, prid. Kal. Decemb. fit memoria*, Mediolano Ambroſii Epiſcopi & Confeſſoris, *cujus depoſitio ibidem præceſſerat prid. Non Aprilis. Sed ad Antiphonarium Mediolanenſe redeamus.*

Decembris die VII Ordinatio S. Ambroſii, *poſtea* ſancti Zenonis, ſancti Syri, ſancti Thomæ. *Inde incipit officium de Adventu Domini, cujus ſex Dominicæ aſſignantur, ut in vulgatis. In Nativitate Domini unica Miſſa*, Lux fulgebit. *Mox* S. Stephani, ſancti Johannis, ſanctorum Innocentium, *die* XXIX Natale S. Jacobi apoſtoli, ſancti Silveſtri. *Ianuario* Epiphania *cum* Vigilia: *quatuor poſt eam Dominicæ: Feſta ſanctorum* Sebaſtiani, Agnetis, Vincentii, Babilæ & trium parvulorum, *& prid. Kal. Febr.* ſancti Julii.

Februarii Kal. ſancti Severi : *deinde* Purificatio, ſanctæ Agathæ, Cathedra ſancti Petri, *in cujus oratione habetur*, animas ligandi atque ſolvendi pontificium tradidiſti &c.

Martio ſancti Gregorii : ſancti Benedicti, ſanctæ Mariæ. *In feſto ſancti Benedicti notatur illa Præfatio, ſub his aliiſque verbis :* Hic eſt ille cæleſtis negotii Mercator egregius, per quem ad viam ſalutis multorum corda converſa ſunt : quique monachorum innumerabilium Pater exiſtens, quos verbis imbuerat, adſtruebat exemplis : ut non ſolum exanimatis redderet corporibus vitam, ſed erroris obſcuritate deterſa, animas reſuſcitaret multorum. *Hæc Præfatio non ſolum in mſſ. ſed etiam in primis vulgatis Miſſalibus Ambroſianis refertur : at deeſt in Miſſali edito anno* M D LX. *ubi nihilo minus habetur Miſſa propria de ſancto Benedicto in Martio, ejuſque nomen in Canone Miſſæ extremo loco memoratur : ſecus quam in recentioribus Miſſalibus, in quibus Miſſa propria rejecta, & feſto ſancti Benedicti in menſem Iulium relato, nomen ejus e Canone expunctum eſt.*

In prædicto codice, quem modo examinamus, notantur in Martio Dominicæ Septuageſimæ, *& ſubſequentes; tum* Dominica in caput Quadrageſimæ : *quam ſequuntur Dominicæ* de Samaritana, de Abraham, de Cæco, de Lazaro : *quæ vocabula hodie quoque retenta ſunt in eccleſia Mediolanenſi. In ſabbato ante Dominicam Palmarum, Miſſa completa Diaconus dicit excelſa voce ad cornu altaris :* Si quis catechumenus, procedat. *Tum*, Si quis Judæus, procedat. *Deinde*, Si quis paganus procedat. *Poſtea*, Si quis hæreticus, procedat. *Poſtremo*, Cujus cura non eſt, procedat. *His dictis canebatur cum infantibus* Reſp. Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos &c. *Hæc pro traditione Symboli, quæ in recentioribus Miſſalibus amplius non comparent.*

Aprili ſancti Georgii, *ubi hymnus de ejus geſtis.*

Maio, Philippi & Jacobi, Inventio ſanctæ Crucis, Paſſio S. Victoris ad Ulmum, *nempe die octava : & die* XXV depoſitio ſancti Dionyſii : *ſequenti* Siſinnii, Marii & Alexandri.

Iunio XV Viti martyris, XIX Protaſii & Gervaſii ; XXII Juliani Martyris ; *poſtea* S. Johannis Bapt. SS. Petri & Pauli :

Iulio, *die tertia* tranſlatio ſancti Thomæ Apoſtoli ; natale S. Margaretæ *abſque diei deſignatione :* XII Naboris & Felicis. *Tum* S. Marcellinæ : S. Apollinaris : S. Jacobi Apoſtoli, Chriſtophori & Chriſtinæ : XXVIII Nazarii & Celſi.

Auguſto, I Maccabæorum & Euſebii ; *deinde* Sixti, Donati,

& Carpophori; Laurentii, Hyppoliti & Caſſiani. xv tranſlatio Siſinnii & Alexandri; & depoſitio S. Simpliciani: Feſtivitas beatæ Mariæ: *poſtea* Mammetis & Agapiti: xxii Bartholomæi, xxv Geneſii, xxvi Alexandri, xxviii Auguſtini, *& ſequenti* Decollatio Johannis Baptiſtæ.

Septembri, vii *Id.* Dedicatio ſancti Michaëlis ſub Domo. *Die ſequenti* Nativitas ſanctæ Mariæ: xviii *Kal. Octob.* Cornelii & Cypriani: *tum* Exaltatio ſanctæ Crucis, Nicomedis, Euphemiæ, Satyri, Euſtorgii, Matthæi, Mauricii, Domnini martyris: Dedicatio majoris Mediolanenſis eccleſiæ. *In hymno hæc habentur.*

Hæc domus rite tibi dedicata
Noſcitur, in qua populus ſacratum
Corpus aſſumit, bibit & beati
Sanguinis hauſtum.

Octobri Lucæ, Coſmæ & Damiani, Simonis & Judæ.

Novembri denique, omnium Sanctorum: Vitalis & Agricolæ.

XV. *Minutiora ſunt hæc, & quæ fortaſſe relatu indigna quibuſdam videbuntur: ſed ex his ſaltem facile intelligitur, quantum creverint poſtremis temporibus ſollemnitates, quæ longe pauciores erant in eccleſia Mediolanenſi ante annos quingentos: quo tempore codex ille calamo exaratus eſt. In Miſſali anni* MDLX *& deinceps exſtat Miſſa propria de ſancto Barnaba apoſtolo, de quo in Præfatione legitur:* Hic Mediolanenſis eccleſiæ primus Pontifex perſpicuis eam miraculis inſignivit &c. *Sed tamen in Canone Miſſæ nulla ejus mentio. In ſequenti vero Catalogo Mediolanenſium Antiſtitum perantiquo, manu recentiori Barnabæ nomen primo loco poſitum eſt. Præclara ſunt Ambroſii verba in Concione adverſus Auxentium:* Abſit ut tradam hereditatem Patrum, hoc eſt, hereditatem Dionyſii, qui in exſilio in cauſa Fidei defunctus eſt; hereditatem Euſtorgii Confeſſoris, hereditatem Myroclis, atque omnium retro Fidelium epiſcoporum.

INCIPIUNT NOMINA EPISCOPORUM Mediolanenſis civitatis.

BARNABAS, *manu recentiſſima.*

ANATALON ſedit annos XIII. depoſitus eſt VIII Kal. Oct.

GAGIUS ſedit annos XXII. depoſitus eſt VI Kal. Oct. ad Concilia ſanctorum.

Castricianus ſedit annos xli. depoſitus Kal. Dec. ad S. Johannem ad Conca.

Kalimerus ſedit annos liii. depoſitus prid. Kal. Aug.

Monas ſedit annos lviiii. depoſitus viii Kal. April. ad ſanctum Vitalem.

Mirocles ſedit annos xxii. dep. prid. Kal. Decemb. ad S. Victorem.

Maternus ſedit annos xii. dep. xv Kal. Aug. ad ſanctum Naborem.

Protasius ſedit annos xxv.[e] depoſ. viii Kal. Decemb. ad ſanctum Victorem.

Eustorgius ſedit annos xvii. depoſ. xiiii Kal. Oct.

Dionysius ſed. annos xiiii. dep. viii Kal. Jun.

Ambrosius ſed. ann. xxvi, menſ. iiii, dies v. dep. die v menſ. April.

Simplicianus ſed. ann. x. dep. xviii Kal. Sept.

Venerius ſed. ann. viiii. dep. die iiii menſ. Maii ad S. Nazarium.

Marobus ſed. ann. xv. dep. viiii Kal. Maii ad ſanctum Petrum, ad S. Naz.

Martinianus ſed. ann. xxx. dep. iiii Kal. Jan. ad S. Stephanum.

Clicerius ſed. ann. xviii. dep. xvii Kal. Oct. ad S. Nazarium.

Lazarus ſed. an. xi. dep. xiiii die menſis Martii ad ſanctum Nazarium.

Eusebius ſed. ann. xvii. dep. die viiii menſ. Aug. ad S. Laurentium.

Gerontius ſedit ann. vi. dep. die vii Maii ad S. Simplicianum.

Benignus ſed. ann. viii. dep. x Kal. Dec. ad S. Simplicianum.

Senator ſed. ann. iii. dep. iiii Kal. Jun. ad ſanctam Eufimiam.

Thedorus ſedit ann. viiii, menſ. viii, dies xvii. dep. v Kal. April. ad ſanctum . . . . .

Laurentius ſed. ann. xxii. dep. viii Kal. Aug. ad ſanctum Caſſianum.

Eustorgius ſed. ann. vii. dep. viii Id. Jun. ad S. Xyſtum.

Magnus ſed. ann. xxx. dep. Kal. Novemb. ad S. Euſtorgium.

DATIUS ſed. ann. XXII. dep. XVIIII Kal. Feb. ad S. Victorem.

VITALIS ſed. ann. IIII. dep. ad S. Vitalem.

AUXANUS ſed. ann. II. dep. III Non. Sept. ad S. Stephanum ad R.

HONORATUS ſed. ann. II. dep. ad Nocetam.

FRONTUS ſed. ann. XI [a]. dep. in Genua ad ſanctum . . .

LAURENTIUS ſedit annis XVIIII, menſ. VII. ob. XII Kal. Septemb. ſepultus eſt in Genua ad S. Syrum. Vixit annis LXXXV.

CONSTANTIUS [b] epiſcopus ſed. ann. XVIII. ob. die III menſ. Sept. ſepultus in Jenua in domo S. Ambroſii. Vixit annis C.

DEUSDEDIT epiſc. ſed. ann. XXVIII, menſ. unum, dies XIIII. ob. III Kal. Novemb. ſepultus in Jenua ad S. Syrum. Vixit annis XC.

AUSTERIUS epiſc. ſed. ann. X, menſ. V, dieb. VII. ob. die IIII menſ. Julii, ſepultus in Jenua ad S. Syrum. Vixit ann. LXX.

FORTIS epiſc. ſed. ann. III.

JOHANNES epiſc. ſed. ann. X. ob. IIII Non. Jan. ſepultus eſt ad S. Mikahelem in Domo.

ANTONIUS epiſc. ſed. ann. II. ob. prid. Kal. Nov. ſepultus eſt ad S. Simplicianum.

MAURICILLUS epiſc. ſed. menſ. IIII.

AMPELIUS epiſc. ſed. ann. V. ſepultus ad S. Simplicianum.

MANSUETUS epiſc. ſed. ann. VIIII. ob. XI Kal. Mart. ſepultus eſt ad S. Ambroſium.

BENEDICTUS epiſc. ſed. ann XLVII. ob. V Id. Mart. ſepultus ad S. Ambroſium.

THEODORUS epiſc. ſed. ann. XIIII. ſepultus in monaſterio Auronæ.

NATALIS epiſc. ſed. menſ. XIIII. ob. prid. Id. Maii. ſepultus eſt ad S. Georgium.

ARIFRETUS epiſc. ſed. menſ. VIIII. ſepult. eſt ad S. Nazarium.

STABILIS epiſc. ſed. ann. II, menſ. IIII. ob. Id. Decemb. ſepultus eſt ad ſanctum Ambroſium.

LÆTUS epiſc. ſedit ann. XIII, menſ. XI. ob. prid. Non. April. ſepultus eſt ad S. Ambroſium.

a. Hactenus verbum *depoſitus:* in ſequentibus *obiit*. Ex quo conjectura eſt priorem hanc partem concinnatam fuiſſe poſt obitum Frontonis.

b. Abhinc Epiſcopi dicuntur, quæ nova formula eſt.

THOMAS epiſc. ſed. ann. XXVIII, dieb. V. ob. V Kal. Octob. ſepultus ad S. Laurentium.

PETRUS epiſc. ſed. ann. XVII, menſ. II. ob. Id. Maii. ſepultus eſt ad S. Ambroſium.

ODELBERTUS epiſc. ſed. ann. VIIII, menſ. VII. ob. V Kal. Martii. ſepultus eſt ad S. Ambroſium.

ANSELMUS epiſc. ſed. ann. V. ob. V Id. Maii. ſepultus eſt ad S. Ambroſium.

BONUS epiſc. ſed. ann. IIII. ob. X Kal. Febr. ſepultus ad S. Ambroſium.

ANGELBERTUS epiſc. ſed. anno I, menſ. II, dieb. XXII. ob. VII Id. Oct. ſepultus eſt in eccleſia hiemali.

ANGELBERTUS epiſc. ſed. ann. XXXV, menſ. V, dies XVII. ob. Id. Decemb. ſepultus ad S. Nazarium.

TADO epiſc. ſed. ann. VII, menſ. VI, dieb. XIII. ob. VII Kal. Junii, ſepultus ad S. Ambroſium.

a ANSPERTUS[a] epiſc. ſed. ann. XVI, menſ. V, dieb. XIII. ob. VII Id. Decemb. ſepultus eſt ad S. Ambr.

ANSELMUS ſed. ann. XIIII, menſ. VI, dieb. XXII. ob. V Kal. Octob. ſepultus eſt ad S. Ambroſium juxta altare ſanctæ Marcellinæ.

LANDULFUS ſedit ann. III, diebus minus XXXVIII. ob. nono Novembris, ſepultus eſt ad S. Ambroſium.

ANDREAS ſedit annis VI, menſ. III. ob. prid. Kal. Mart. ſepultus ad S. Ambroſium.

ACHO ſed. ann. XII, menſ. VI. ob. VII Id. Sept. ſepultus eſt in eccleſia hiemali.

VVARIMBERTUS ſed. ann. II, menſ. VIII. ob. XVIII Kal. Sept. ſepultus eſt ad S. Stephanum ad Fonti.

LAMPERTUS ſedit ann. VIIII, menſ. VIII, dieb. XV. ob. XIII Kal. Julii, ſepultus eſt in eccleſia hiemali.

HILDUINUS ſed. ann. V, dieb. XXV. ob. VIIII Kal. Auguſti, ſepultus eſt in eccleſia hiemali.

ARDERICUS ſed. ann. XII, menſ. II. ob. III Id. Octob. ſepultus eſt in eccleſia Apoſtolorum intra capellam ſancti Lini Papæ.

ALDELMANNUS & Manaſſes V annis inter ſe diviſerunt.

VVALPERTUS ſed. ann. XVIII. ob. VIII Id. Novemb. ſepultus in eccleſia hiemali.

a. Hic deſinit epiſcopi vocabulum, & formula prior reſumitur.

ARNULFUS

ARNULFUS ſed. ann. III, menſ. IIII. ob. XVI Kal. Maii, ſepultus in eccleſia hiemali.

GOTTEFREDUS ſed. ann. V, menſ. I, dieb. XXIII. ob. XIII Kal. Octob. ſepultus eſt in eccleſia hiemali.

LANDULFUS ſed. ann. XVIII, menſ. III. ob. X Kal. Octob. ſepultus ad monaſterium S. Celſi.

Domnus ARNULFUS ſed. ann. XVIIII, menſ. VIIII, dies VI. ob. V Kal. Martii; ſepultus eſt ad S. Victorem ad Corpus.

Domnus HERIBERTUS ſed. ann. XXVII. ſepultus eſt ad S. Dionyſium.

Domnus GUIDO ſed. ann. XXVI. ob. X Kal. Sept. ſepultus eſt in Bergullio.

Domnus TEDALDUS [a] archiepiſcopus ſedit annos VIIII & menſes tres & dies XXI. ob. VIII Kal. Junii, ſepultus in Arona.

Hactenus primaria manu.

Domnus ANSELMUS archiepiſcopus ſedit ann. VII & menſes V & dies IIII. ob. prid. Non. Decemb. ſepultus in baſilica Apoſtolorum.

Domnus ARNULFUS archiepiſcopus ſed. ann. III & menſes VIIII & dies XVIIII. ob. VIII Kal. Octubris, ſepultus eſt in Clavienſi (*aliis* Clivaënſi) monaſterio.

* Venerabilis memoriæ ANSELMUS archiepiſcopus ſed. ann. III & menſ. X & dies XXVIII. ob. II Kal. Octub. ſepultus eſt Conſtantinopoli, ut peregrinus, in monaſterio S. Nicolai.

** Hæc duo verba non ſunt ejuſdem ſcripturæ.*

GROSOLANUS hanc ſedem ann. novem & menſ. IIII perturbavit.

Domnus JORDANIS archiepiſcopus ſedit ann. VIII & menſes VIIII & dies III. ob. IIII Non. Oct. ſepultus eſt apud S. Ambroſium juxta pulpitum

Domnus OLRICUS archiepiſcopus ſed. ann. V & menſes VI dieſque undecim. ob. V Kal. Junii, ſepultus in eccleſia hiemali juxta pulpitum.

Ab electione domni ANSELMI de Puſterula uſque ad electionem domini Ribaldi, qui tunc erat Albenſis epiſcopus, ſunt anni VIIII & dies XXVIIII. *Recenti manu ſic ſubſtitutum eſt*, Anſelmus de Puſterula ſedit ann. X menſem I, dies XIIII. ob. decimo nono Kal. Octob. ſepultus eſt in Roma ad S. Johannem Lateran.

a. Abhinc Archiepiſcopi titulus, non tamen ad finem catalogi.

Superiores VII *Epiſcopi ſcripti ſunt manu paullo recentiori: ſequentes vero tres longe recentiori.*

ROBALDUS ſedit annis x, menſibus IIII & diebus XXVI. ob. autem III Kal. Januar. ſepultus eſt in eccleſia B. Mariæ, quæ dicitur hiemalis, juxta pulpitum. Fuerunt autem ab ipſius obitu uſque ad electionem domini Oberti dies XXVI.

OBERTUS ſedit annis XX, menſibus II & diebus VI. obiit autem VI Kal. Aprilis, Sepultus eſt Beneventi exulans pro fide in eccleſia ſanctæ Sophiæ. Fuerunt autem ab obitu ipſius uſque ad electionem domini Galdini dies XX.

GALDINUS ſedit annis x, eadem die conſecratus & mortuus. Obiit autem XIIII Kal. Maii ſupra pulpitum beatæ Teglæ, prædicans populo verbum fidei & veritatis, & præcipue contra Catharos. Sepultus eſt in eadem eccleſia juxta pulpitum. Fuerunt autem ab obitu ipſius uſque ad electionem domini Algiſii ſeptimanæ x & dies IIII.

ALGISIUS ſedit annis VIII & menſibus VIIII, quinque diebus minus. Vacavit autem ſedes per menſem unum & dies XI. ſepultus eſt autem in eccleſia hiemali juxta pulpitum.

Dominus UBERTUS, qui & papa Urbanus, ſedit annis duobus & menſibus quatuor, & diebus x. Vacavit autem ſedes menſe uno & diebus ſedecim. Sepultus vero eſt in eccleſia Ferrarienſi.

MILO ſedit annis VII & menſibus octo, & diebus octo. Vacavit autem ſedes per XXVI dies.

UBERTUS, dictus Ciago, ſedit menſibus novem & diebus V. & vacavit ſedes diebus XXVIIII.

PHILIPPUS ſedit annis x & menſibus IIII & diebus VII. Vacavit autem ſedes diebus XXIIII. Sepultus eſt in eccleſia ſanctæ Mariæ Majoris Mediolan.

MCCC XLIIII Dominus JOHANNES de Vicecomitibus factus fuit archiepiſcopus Mediolanenſis, & vixit in archiepiſcopatu annis XI. Obiit MCCC LV, quinto Octubris, die Dominico. Qui etiam fuit Dominus generalis civitatum Mediolani, Bononiæ, Januæ, Parmæ, Placentiæ, Bobii, Laudæ, Briſcæ, Pergami, Cremonæ, Cumarum, Vercellarum, Novariæ, Aſti, Tretonæ, Alexandriæ: qui multa bona paraverat & parabat ſuæ eccleſiæ, ſi proximi ejus ipſi eccleſiæ dimiſiſſent, ipſe non potuit attingere, ſi libros in officio, & theologia, calices, cruces, figuras ſanctorum, aureas mitras, baculos, &c.

OBSERVATIONES.

I. HUnc Indicem Archiepiſcoporum Mediolanenſium exſcripſimus ex veteri codice bibliothecæ Ambroſianæ, ſignato B n°. 245. Non una, ſed diverſa manu ſcriptus eſt Index, uti ſuis locis notavimus. Poſt Calimerum, qui quinto loco numeratur, ſequitur in hoc catalogo Mirocles, deinde Maternus: ſecus quam apud Ughellum, ubi Maternus Mirocli præponitur. Hos ſequitur in noſtro Indice Protaſius, & poſt eum Euſtorgius, Dionyſius, Ambroſius. Verum plura nomina & alius ordo apud Ughellum: apud quem hoc modo recenſentur: Mirocles, Proſius vel Oroſius, Euſtorgius, Iulius, Protaſius, Dionyſius, Auxentius, Ambroſius. Præter ea poſtremus eorum, qui primaria manu deſcripti ſunt, Tedaldus eſt: ſed inter eum & Guidonem duos alios intermedios ponit Ughellus, Gotifredum & Athonem. Aſt major eſt hiatus ſub finem catalogi, ubi poſt Philippum deſunt in noſtro indice Ubertus Pirovanus, Gerardus Seſſius, Henricus Septalius, Guillelmus Ruzolius, Leo de Perego, Otho Vicecomes, Rufinus, Franchinus, Caſſonus, Aicardus: quos ſequitur Iohannes Vicecomes, qui in noſtro catalogo poſtremus eſt.

II. Verum quantumvis mancus ſit ſub finem hic catalogus, in priori parte videtur integer; eritque non levis momenti ad quædam illuſtranda: quale eſt illud de die obitus ſancti Ambroſii, ex quo pendet anni ejus ſupremi definitio. Eruditus Papebrochius in Propylæo ad tomum I Aprilis, mortalem Ambroſii diem aſſignat XVII Aprilis, annum Chriſti CCC XCVIII. Nec diſſimulat diem quartum Aprilis a Beda, ceteriſque Martyrologiorum ſcriptoribus notari: ſed omnes corrigendos exiſtimat vir doctus, nempe quod mortuus ſit Ambroſius anno CCC XCVIII ex Chronico Marcellini, & quidem, teſte Paulino, Sabbato ſancto Paſchatis, quod anno CCC XCVIII in XVIII Aprilis incidebat. Quod vero ultra quartum Aprilis producendus ſit Ambroſii obitus, hoc argumentum affert, ejus ſcilicet ordinationem contigiſſe die VII Decembris; ſediſſe vero in epiſcopatu annos XXIV, menſes IV & dies V. ut notatur in vulgatis indicibus. Itaque adjectis ad menſis Decembris diem ſeptimum menſibus quatuor & diebus quinis, conſequens eſſe, ut ſaltem ad duodecimum Aprilis dies mortis Ambroſianæ producenda ſit. Atqui diem V pro X ſcribi potuiſſe facili lapſu. ac proinde Ambroſii obitum accidiſſe XVII Aprilis anno CCC XCVIII.

III. Ex adverſo alii exiſtimant, retinendum eſſe annum CCC XCVII. & diem quartum Aprilis. Diem quidem ob auctoritatem

veterum omnium Martyrologiorum: annum vero tum ob teſtimonium Paulini, qui Ambroſium ait fere triennium *ſupervixiſſe Theodoſio M. quem anno* CCC XCV *ante Idus Martias obiiſſe conſtat: tum ex eo quod Patres Concilii Carhaginenſis tertii, anno* CCC XCVII *celebrati, conſultationem direxerunt ad Siricium Papam, (qui anno ſequente amplius in vivis non erat) & ad Simplicianum, Ambroſii ſucceſſorem. Quod attinet ad Marcellini Chronicon, multa ſubinde in eo referri conglobate & confuſe, ut de ſancto Chryſoſtomo, quæ uno eodemque anno fieri non potuerunt.*

IV. *Favet huic ſententiæ Index noſter, in quo Ambroſius* depoſitus *dicitur* V Aprilis. *Nam depoſitio pro die ſepulturæ non raro uſurpatur apud veteres, immo etiam apud Ambroſium ipſum in epiſtola* LVI *ad Marcellinam, ubi loquens de reconditione corporum ſanctorum Gervaſii & Protaſii:* Acclamavit populus, *inquit*, ut in Dominicum differretur diem Martyrum depoſitio. *Ambroſius autem ipſo die Paſchæ dilucescente, qui anno* CCC XCVII *Aprilis quinta die accidit, terræ mandatus eſt, ut ex Paulino intelligitur. Illud obſtat, quod a die* VII *Decembris, quo die ordinatus eſt Ambroſius, uſque ad* IV *Aprilis, non integri quatuor menſes intercedunt. At ſi menſes quatuor computemus, ut fit non raro, per quatuor ſingulatim hebdomadas; omnino quatuor menſes & quinque dies continet intervallum temporis a ſeptimo Decembris ad quartum Aprilis. In libello de vita ſancti Zenobii epiſcopi Florentini, qui libellus ſub nomine Simpliciani Ambroſii ſucceſſoris in vetuſtis codicibus exſtat, Ambroſius ipſa Dominica Paſchæ obiiſſe dicitur. Sed hoc conſtare non poteſt cum narratione Paulini: quo teſte Ambroſius*, ante lucanam horam defunctus, *in eccleſiam majorem delatus eſt:* ibique eadem fuit nocte, qua vigilatum in Paſcha: *poſtremo* luceſcente die *dominico corpus ipſius*, peractis ſacramentis divinis, de eccleſia levatum, portatumque ad baſilicam Ambroſianam, in qua poſitum eſt. *Ex qua rerum ſerie nemo non intelligit, virum ſanctum ante lucem Sabbati ſancti obiiſſe.*

V. *Unum ad hæc obſervare convenit de pontificatu Laurentii, cujus Cautioni ſeu fidei profeſſioni Gregorius M. tum Urbis Prætor ſubſcripſiſſe invenitur. Laurentio duodecim dumtaxat pontificatus annos tribuunt indices vulgati, ſubſtituuntque Conſtantium, quem anno* D XCIII *ſedem iniiſſe manifeſtum eſt ex epiſtolis Gregorii M. ad Exarchum Italiæ, & ad Iohannem Subdiaconum, datis Indictione* XI. *qua Indictione præditus erat jam dictus annus* D XCIII. *Detrahe annos duodecim, quibus Laurentius Mediolanenſem eccleſiam*

rexit: habebis annum D LXXX. *quo anno proinde Gregorius etiam tum Prætor urbanus erat, eoque nomine ſubſcripſit Laurentii cautioni. Hinc infert Baronius brevi tempore in Monaſterio verſatum fuiſſe Gregorium: cum ex eo eductus ſit anno* D LXXXIII *ad capeſſendam legationem C. P. Sed hunc nodum, quem antea ex conjectura ſolvere tentaveram in Diſſertatione de Gregorii monachatu, penitus reſolvit Index noſter, qui Laurentio tribuit pontificatus annos, non duodecim, ſed novemdecim. Alia mittimus, quæ ex hoc indice illuſtrari poſſunt.*

IN APOLOGIAM SEQUENTEM ADMONITIO.

Manaſſes, Remorum Pontifex eo nomine primus, multas in ſe turbas excitavit ob varia crimina, de quibus fuit accuſatus. Id in cauſa fuit, ut Demochares eum ex albo Remenſium Antiſtitum penitus expunxerit. Præcipua criminum ſeu accuſationum capita erant, Simoniaca in Remenſis eccleſiæ Pontificatum intruſio, ſacræ ſupellectilis direptio, ſpoliatio clericorum, eccleſiarum, abbatiarum, & injuſtæ in pleroſque excommunicationes. Accuſatores ejus erant in primis Manaſſes alter, Bruno, & Pontius. Manaſſes is eſſe videtur, qui eidem Manaſſæ poſt Rainaldum in Sedem Remenſem ſucceſſit: Bruno vir ille ſanctiſſimus, qui cum ex eccleſia Colonienſi in Remenſem tranſlatus fuiſſet, Manaſſæ flagitiis offenſus, cum nullum eis modum imponi cerneret, ceſſit tandem; & ſæculi pertæſus, in ſolitudinem ſeceſſit in pago Gratianopolitano, ubi ſacri Cartuſiani Ordinis fundamenta jecit. Hanc ejus ſeceſſus cauſam affert Guibertus abbas de Novigento in libro de vita ſua. Manaſſes primus Sedem Remenſem occupavit ab anno M LXVIII *poſt mortem Gervaſii. In Concilium Auguſtodunenſe ob crimina, quæ ipſi objiciebantur, ab Hugone Dienſi epiſcopo, Gregorii* VII *in Galliis Legato, accitus, cum adeſſe recuſaſſet, damnatus eſt anno* M LXXIX. *Is verò cum ad Romanum Pontificem appellaſſet, ab eoque mitius fuiſſet tractatus, perſeverante iniquorum facinorum dedecore, à Legato in Lugdunenſe proximum Concilium denuo vocatus (in quo poſtea redactus in ordinem eſt) hanc Apologiam edidit in ſui defenſionem, aut potius aliquis alius ab eo conductus. Manaſſen quippe litterarum expertem fuiſſe teſtatur VVillelmus abbas Mettenſis in epiſtola tertia ad ipſum his verbis.* Certe olim apud quoſdam Philoſophos de revolutionibus animarum grandis erat opinio: quæ per te non inani-

ter confirmatur, dum, ſicut illi Euphorbum in Pythagoram, ſic in te Gervaſium putent noſtri temporis homines eſſe tranſfuſum. Verum non id ego tibi conceſſerim, ut ille in te totus tranſierit: cum in illo tyranno quondam bonarum artium veſtigia fuerint; quibus omnino tu cares, ille excelluit. *Gravia ſunt quæ in Manaſſen intorquet hic Guillelmus, quem ex abbatia ſancti Remigii exturbaverat. Nec magis ſpecioſi ſunt colores, quibus eumdem Manaſſen depingunt Gregorius* VII *in Regiſtro, Guibertus abbas Novigenti in libro de ſua ipſius vita, atque Hugo abbas Flaviniacenſis in Chronico. Vnus ex omnibus eum laudat Fulcoïus, ſubdiaconus Meldenſis, in ſuis carminibus ineditis, quorum unum inſcribit Alexandro Papæ* II. *alterum Gregorio* VII. *ad Manaſſen commendandum. In priori canit Richerium Senonenſem, & Manaſſen Remenſem antiſtites eſſe duo luminaria: Richerium nocti pro luna, Manaſſen diei pro ſole præeſſe. In altero Gregorium ita compellat.*

Nec tibi Roma parem, Manaſæ nec Remis habebit.
Fallitur, & fallit, qui detrahit æmulus illi.

In ejuſdem Manaſſæ gratiam ſcribit Hugoni epiſcopo Dienſi. Verum poëtæ non multa fides, cujus propenſio in Manaſſen non fuit à cupiditatis vitio aliena, uti indicant hi verſus ad Milonem Decanum Pariſienſem.

Quid rogo Muſa gemis? miſiſti carmina Remis:
Miſiſti Romæ. quæ ſint tibi commoda prome.
Cum te laudavit, cum te vehementer amavit,
Quid plus Roma dedit? quæ plus tibi portio ceſſit?
Quid tibi diviſit? carmen pro carmine miſit.
Remis veniſti: tecum tua ſcripta tuliſti.
Te ſibi captavit, præſentarique rogavit.
Te Manaſes legit, perlegit, & inde relegit.
Te commendavit, poſt ſe cum laude locavit:
Mercedemque dedit, quæ non à mente recedit.

Hæc illa venalis cauſa elogiorum. Idem Fulcoïus condidit Epitaphium Adelhaidis matris Archiepiſcopi Manaſſæ. *Adeoque falluntur quotquot ejus genus texuere, qui Manaſſæ patrem Manaſſen Calvum Comitem de Roceïo; matrem vero Beatricem de Hainaco tribuunt. Ceterum præmiſſa Manaſſæ Apologia Romæ in veteri codice Chriſtinæ Reginæ, qui olim erat bibliothecæ Petavianæ, ſed in duo fragmenta divulſa exſtat. Vnum ex his fragmentis olim viderat clariſſimæ memoriæ Iacobus Sirmundus, qui quatuor aut quinque ex eo verſus ſubmiſit Marloto, Metropolis Remenſis Hiſtoriæ inſerendos. De eodem Manaſſe iterum fit mentio in epiſtola ſub-*

ſequente, quæ epiſtola Clericorum Noviomenſium ad Cameracenſes, itidem ex Bibliotheca Regina eruta eſt.

APOLOGIA MANASSÆ
ARCHIEPISCOPI REMENSIS.

DOmino H. Dienſi epiſcopo M. Remorum archiepiſcopus ſalutem. Monuiſtis me Lugduni ad Concilium vobis occurrere. Ad quod quare non veniam, dignum duxi litteris vobis & omni Concilio ſignificare, ne quis fortè vel in ſecreto, vel in publico ſit, qui nos pro hac cauſa merito poſſit inculpare. Etenim non ſolum per omnes fere Gallias, verùm etiam Italiæ & Romæ eſt notum, qualiter ante hoc biennium in eadem provincia à vobis & ab aliis quibuſdam in nos violenter ac injuſtè res geſta eſt: & ego vim ac præjudicium paſſus Romam proceſſi, ibique ſuper hoc Romanum & apoſtolicum judicium appellavi. Quia verò vos aberatis, juſſu domini Apoſtolici in ipſa regione remanſi, & adventum veſtrum per XI. fere hebdomadas expectavi. Cumque non veniretis, tandem in præſentia domni Apoſtolici & in Concilio generali inter nos, & eos qui ibi loco veſtro, utpote à vobis directi, aderant, altercatio habita eſt, & ex eorum accuſatione ac noſtra defenſione, quidquid paſſi eramus, temere ac violenter actum eſſe & conſtare non debere, judicatum, atque correctum eſt. Tum ego domno Apoſtolico renuntiavi cunctis audientibus, quod nec me ultra in judiciis eccleſiaſticis, ſi vellem, committerem manibus veſtris; & quia vobis ultrà jure ſubjici non deberem, congruam in ipſius Romani conventus audientia reddidi rationem. Ipſo autem domno Apoſtolico ſubſequenter interrogante, cujus potius in conciliis infra Gallias judicium vellem ſubire; meque in hoc Abbatem Cluniacenſem protinus eligente; ſtatutum eſt, ut in conciliis Gallicanis, ſicut jam diximus, aliorum cauſas cenſura veſtra tractaret: porrò Abbas Cluniacenſis de nobis judicaret. Deinde etiam idem inſtituit domnus Apoſtolicus, ut ſibi hujuſmodi facerem ſponſionem, quod ſi ad concilium in partibus Galliarum vel Nuntio, vel litteris Sedis apoſtolicæ vocatus eſſem, non omitterem venire, niſi canonica excuſatione præpeditus eſſem: ſed hoc non addidit, ut ſi contra mandaretur, à profectione deſiſterem.

Quapropter cum nuper Concilium apud Trecas à vobis monitum eſt, in qua monitione nomen Abbatis Cluniacenſis pariter inſertum eſt; ego illuc incunctanter cum abbatibus meis, & clericis, & beneficiatis eccleſiæ meæ proceſsi: quia, ut ſuperius dixi, nullam à domno Apoſtolico in jam dicta ſponſione contra-mandationis mentionem audivi: & quia Abbatem Cluniacenſem, qui me judicare debebat, affuturum accepi; & quia in ipſa contra-mandatione à vobis facta nec impedimentum ullum, quo fieri non poſſet, vos habere comperi; nec litteras, ut par erat, in conciliis contra-mandandis à veſtra parte vel prædicti Abbatis habui. Unde illuc, ut dictum eſt, proficiſcens, quamvis vos non veniretis; ego tamen partem ipſius concilii, quæ ad me adtinebat, implevi, & me a prædicta ſponſione ſecundum propoſitæ rationis conſequentiam liberavi. Ad iſtud verò Lugdunenſe concilium ideo non venimus, quia non unam, ſed plures excuſationes canonicas cur venire non debeamus habemus.

Primo quia in ejus monitione nullam vel mentionem domni Abbatis Cluniacenſis, qui nos juſſu domni Apoſtolici judicare debet, accepi. Deinde quia in eis partibus Galliarum non geritur, ubi ejus ſubire judicium juſſi ſumus, ſicut in ſequentibus explanabimus. Tertio quia regio ipſa, inter nos & Lugdunum adjacens, ex captione Comitis Nivernenſis & Epiſcopi Autiſſiodorenſis & militum eorum adeo bellorum tempeſtate turbatur, ut nulli ex regno Francorum per eam liber tranſitus concedatur. Cum enim ipſi propter dominum noſtrum Regem Franciæ capti, & truſi ergaſtulo teneantur; nos proculdubio ſimiliter propter Regem, eo quod regii Epiſcopi ſumus, ab hominibus ipſius provinciæ captioni & ergaſtulo traderemur. Et ideo ſecundum legem Juſtinianam in ſecundo libro codicum, legitimam excuſationem habemus, quando ſalutis periculum & corporis cruciatum in eundo metuimus. Præterea cum hoc Concilium in eadem provincia & ab eiſdem ipſis celebrari noſcamus, ubi & à quibus in altero concilio violenter & inhumanè tractati ſumus, & tam injuſtè, ut Romæ totum illud deſtructum viderimus, pro qua re etiam in generali & Romano Concilio de eorum manibus ablati ſumus; conſequenter nec nos deinceps judicium eorum habemus ſubire, nec ipſi ſuper nos habent manum apponere. Super hæc omnia ſacris auctoritatibus edocemur, quia ſi vim temerariæ multitudinis metuimus,

mus, locum debemus eligere nobis proximum, in quo non ſit difficile teſtes producere, & cauſam finire. Vim temerariæ multitudinis illos vocamus, quibus in eadem provincia, ſed in altero concilio tale quid in nos violenter ac temerarie actum eſt, quod Romæ non firmatum, ſed potius infirmatum eſt. Locus ipſe profecto, nec nobis proximus, nec teſtibus producendis facilis eſt: quia itinere fere quindecim dierum à nobis abeſt.

Quia vero de hoc uno concilio infra tres hebdomadas valde ſibi diſſimiles monitiones a vobis accepimus; primo de prima, deinde de ſecunda tractabimus. In prima dixiſtis, ut accuſatoribus noſtris, ſcilicet MANASSÆ & ſociis, reſponſuri ad concilium veniremus. Et ego dico vobis, quia ego & Manaſſes pro omnibus ſociis ſuis concordiam fecimus, exceptis duobus, quorum unus, ſcilicet BRUNO, nec noſter clericus, nec noſter natus aut renatus eſt, ſed ſancti Cuniberti Colonienſis in regno Teutonicorum poſiti Canonicus eſt: cujus ſocietatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita & libertate penitus ignoramus; & quia quando apud nos fuit, multis beneficiis a nobis in eum collatis, male & nequiter tractati ſumus. Alter vero, id eſt Pontius, in Romano Concilio nobis præſentibus eſt falſatus: & ideo nec uni, nec alteri in eccleſiaſtico judicio reſpondere aut volumus, aut debemus. Dixiſtis etiam vos in Lugduno loci aptitudinem elegiſſe, eo quod prædicti clerici non auſi venire Trecas, illic non timerent adeſſe. Nos e contra dicimus, quia multo magis nos timemus Lugdunum procedere, quam illi Trecas venire: quia quanto illis majores & ditiores videmur, tanto & citius capi, & gravius pro ampliori redemptione diſtringi a tyranno quolibet quæreremur. Jam enim ex abundantia iniquitatis in conſuetudinem verſum eſſe videmus, ut de die in diem Epiſcopos capi, & tradi ergaſtulo doleamus, ſicut in eo, de quo ſupra diximus, Epiſcopo Autiſſiodorenſi cernitur factum: ſicut in Epiſcopo Leodienſi, quem nuper in vigilia Natalis Domini novimus captum: ſicut vos ipſi noſtis domnum Apoſtolicum in nocte Natalis Domini, in ipſa Miſſæ celebratione nondum peracta, ab altari per ſummum ſcelus abſtractum. Unde quia, ſicut vulgo dicitur, Levius ex aliorum, quam ex noſtris periculis caſtigamur; ſatis apparet nullam nobis apud Lugdunum eſſe loci aptitudinem, nullam nobis eſſe ad illum ſine periculo proceſſionem. Et ideo ſecundum præmemoratæ Legis Juſtinia-

næ ſententiam, & juxta perpetratam in nos olim in ea provincia temeritatem, legitimam ſuper hoc habere excuſationem.

De ſecunda monitione conſequenter hoc dicimus, quia dixiſtis, ut ſi accuſatores deeſſent, ad Concilium venirem, paratus cum ſex Epiſcopis, quorum vita non notetur infamia, me expurgare. Et nos e contra reſpondemus, quia ſi accuſatores deſunt, nos ex hoc reſpondere cuiquam non debemus: ſi verò adſunt, non niſi illis qui ſe præſentialiter vel vidiſſe, vel audiſſe affirment, nos reſpondere debere probamus. Quod & in ſacris auctoritatibus eſt ſtatutum, & in ſæpo dicto Romano Concilio nobis à domno Apoſtolico ſub hac eadem conditione laudatum eſt. Cujus rei etiam teſtes idoneos qui interfuerunt habemus, & per eos derationare valemus. Quamvis nullam a prædicto Manaſſe & ſociis ſperemus accuſationem, eoquod ipſi, niſi forte pro hujus concilii occaſione ad vomitum redeunt, nobiſcum fecerunt concordiæ compoſitionem, exceptis duobus, ut dixi, Brunone & Pontio, quibus juxta præcedentem rationem reſpondere nec volo, nec debeo. Et ſi aliqui ex eis, quos concordare per Manaſſæ legationem diximus, illuc rupta pace profecti ſunt, & contra nos quidpiam dicere volunt, recipiendum non eſt: quia tunc temporis nec familiares mei erant, nec Canonici, ita ut de vita mea teſtimonium ferre poſſent.

Ceterum quod me paratum cum ſex Epiſcopis ire monuiſtis, in tanta nobis hoc temporis anguſtia conſtrinxiſtis, ut ſoli viginti dies numerarentur ab illo die, quo mihi delatæ ſunt litteræ veſtræ, uſque ad illum, quo, ſi proficiſceremur, debeamus movere. In ſacris vero auctoritatibus fixum habetur, quod ſi quis inferioris ordinis clericus, nedum Epiſcopus, de crimine aliquo pulſatur; aut annum integrum, aut dimidium; aut ſimul integrum & dimidium induciarum habere debeat, quo ſibi in tanto ſpatio providere & proſpicere valeat. Vos autem hoc vel majori, vel minori induciarum ſpatio intermiſſo, hoc a nobis exigitis in viginti tantum dierum circulo: cum noſtri Epiſcopatus non, ſicut circa Romam, vel in quibuſdam regionibus, intra ſeptimum vel decimum milliarium coartentur; ſed plures ex eis quadraginta, & quinquaginta, vel etiam ſexaginta milliariis & eo amplius ab invicem ſeparentur. Ut ergo de anno vel dimidio taceatur, quo quibuſlibet pulſatis crimine legitimæ induciæ a ſacra auctoritate donantur; quo-

modo in viginti diebus ſex Epiſcopi patriæ noſtræ, & maxime qui non notentur infamia, valeant colligi: cum in totidem diebus de uno ad alium vix queat ambulari?

Jam vero de ipſis Epiſcopis, quorum vita non notetur infamia, quid dicemus? cum etiam Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum voracem & potatorem vini, & publicanorum & peccatorum amicum, & dæmonium habentem appellatum fuiſſe noverimus. Quis, inquam, tam ſanctus fuit, tamque perfectus, qui non aliquando a quolibet maledico alicujus infamiæ nota ſit appetitus? Non poſſumus animadvertere, quo pacto hujus ſanctitatis ſex Epiſcopos valeamus colligere; niſi ſanctos patres, Remigium, Martinum, Julianum, Germanum, Hilarium, Dionyſium contingat a ſepulcris exſurgere. Si juſta monitio eſſet, & plane tantum ſex Epiſcopos, quales apud nos habemus, adhiberi expoſceret; omni modo eos in tam modico tempore congregare impoſſibile eſſet. Et quid dicemus de illa impoſſibilitate, qua non niſi ab omni nota infamiæ alienos jubemur exquirere? Pro certo dicimus & firmamus, quod hæc monitio veſtra, quæ talia nobis injungit, eadem pro ſui impoſſilitate canonicam excuſationem nobis adducit. Non enim impoſſibilitatem tantum prædicta monitio, ſed etiam quiddam ſtupendum nobis ingerit: dum primo ſi accuſatores deſint, deinde ſex Epiſcopos, tum qui non notentur infamia, ut exhibeamus imponit. Si enim abſentibus accuſatoribus ſex clericos ſolummodo adhibere queramur; inauditum eſt: ſi ſex epiſcopos, mirabile dictu eſt: ſi & ſex epiſcopos, & tales qui non notentur infamia, & ſine accuſatoribus a nobis expoſcatis, ſicut facitis, hoc a ſæculis auditum non eſt.

Quod vero dicitis, infamiam noſtram Galliam, Italiamque repleſſe; & propter hæc cum ſex epiſcopis, qui non notentur infamia, me ad purgandum debere paratum eſſe: omnino dicimus, quod accuſatores quidem noſtri, & illi qui nos temere tractaverant, ipſi Galliam & Italiam infamia nobis injuſte impoſita replere voluerant. Sed nos Romam pergendo, & quod temere actum fuerat deſtruendo, Galliam & Italiam infamia vacuavimus, & quidquid ab eis diffamatum fuerat annullando penitus, ne hoc infamia vel eſſet, vel veraciter dici poſſet, Domino juvante effecimus. Quod inquam dicitis, ut etiamſi accuſatores deſint, me debeam cum tot & talibus, & tam brevi ſpatio perquiſitis teſtibus expurgare: cur ego ſi etiam infamia

eſſet, cum re vera non ſit, hoc abſentibus accuſatoribus debeam agere? Nonne docemur in canonibus & decretis, nullam cauſam criminalem inter epiſcopos & clericos ſine legitimis accuſatoribus debere finiri? Quid fiet de illo decreto ſancti papæ & martyris Evariſti: Ut mala audita nullum moveant; nec paſſim dicta, abſque certa probatione quiſque umquam credat? Quid? quod Dominus Judam furem eſſe ſciebat; & quia non eſt accuſatus, ideo non eſt ejectus, ſed permanſit in Apoſtolatu? Ait enim beatus papa Euticianus de non commutandis ſanctorum Patrum auctoritatibus: Prohibemus ut nullæ cauſæ ab eccleſiaſticis judicibus audiantur quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ eſſe noſcuntur.

Eſt & alia ratio excuſationis, quod etiam ſi juſtum eſſet ſex Epiſcoporum teſtimonium in tam brevi ſpatio adhiberi, & hoc ab aliis Archiepiſcopis vel Epiſcopis quæreretis; à me tamen quærere non debeatis: pro eo quod plures ex ſuffraganeis noſtris Epiſcopis tunc temporis, vellent nollent, interfuerunt in illa violentia, quæ in nos tunc geſta, Romæ fuit, ut diximus, infirmata. De quibus etſi certum eſt quod nobis ad teſtimonium præſto eſſent, ſi eos & ratio canonum adhiberi expoſceret, & temporis plenitudo ad congregandum ſufficeret: tamen & vobis, & multis diſconveniens eſſe videtur, eoſdem hic nunc ſocios & teſtes adjungere, quos tunc illuc vobiſcum quomodocumque contigerit interfuiſſe.

Sed jam poſtquam de his ſatis pro tempore diximus, dignum eſt ut ad ſponſionem, quam domno Apoſtolico nos feciſſe ſupra diximus, redeamus. Ea fuit hujuſmodi, quod ego ad Concilium in partibus Galliarum, vel Nuntio, vel litteris Sedis apoſtolicæ vocatus venirem, niſi canonica excuſatione præpeditus eſſem: & quod in ipſis partibus Concilia apoſtolica fieri non perturbarem. Quod dictum eſt, in partibus Galliarum, nullus æſtimare debet de omni parte citra montes Alpium eſſe dictum. Hoc enim ſatis poteſtis conjicere, quia ubi de non perturbandis conciliis in partibus Galliarum quæſitum eſt, non niſi de illis partibus, in quibus juvare & nocere poſſemus, dictum eſt. Ubi autem nos juvare poſſe creditis aut nocere, niſi in regno Franciæ? Quid enim vel apud Lugdunum, vel alibi extra regnum Francorum perturbatio noſtra poſſet, ubi nec Regis noſtri, nec noſtra cognitio aut reverentia ulla viget? Quapropter ſi vultis, ſatis cognoſcitis, quod de illis Galliarum

partibus ſine dubio dictum eſt, ubi regnum Franciæ ſitum eſt.

Quod verò nos ad Concilium venire, niſi canonica excuſatione præpeditos, promiſimus; paulo ſuperius diximus, quia ad hæc non unam, ſed plures excuſationes canonicas haberemus. Hoc jam quaſi recapitulando probabimus. Quandoquidem enim ipſum concilium in ipſa provincia, & ab ipſis geritur, ubi & à quibus quondam in nos violenter ac temere res geſta eſt; ſicut etiam æquitas Romana teſtata eſt, ne ad illud eamus, canonica excuſatio eſt. Quando locus ipſe nec nobis proximus, nec teſtibus producendis facilis eſt, canonica excuſatio eſt. Quando idem locus propter bellorum tempeſtates ſine periculo ſalutis & libertatis adiri non poteſt, canonica excuſatio eſt. Quando domnus Abbas Cluniacenſis, qui nos poſt domnum Apoſtolicum judicare debet, abeſt, canonica excuſatio eſt. Quando intra viginti dies, ſex Epiſcopos congregare, & nobiſcum ducere jubemur, quod in tam brevi ſpatio impoſſibile eſt, canonica excuſatio eſt. Quando eos tales, quorum vita non notetur infamia, adhibere monemur, quo nihil impoſſibilius eſt; canonica excuſatio eſt. Quando eoſdem Epiſcopos, etiamſi accuſatores deſint, paratos habere præcipimur, quod nuſquam in ſacris auctoritatibus invenitur, canonica excuſatio eſt. Conſtat ergo ſi ad Lugdunenſe concilium non venimus, in nullo ſponſionis prædictæ prævaricatores exſiſtimus, dum tot canonicas excuſationes habemus.

Ceterum ſcire vos volumus, quod ſi quis ſophiſtice loquens, aliquam ex his excuſationibus voluerit infirmare; noveritis pro certo, quod nos illas, quæ majoris ſunt auctoritatis, & infirmari non poſſunt, admittimus & tenemus. Quamvis vero nos apud vos canonice excuſaverimus, quaſi ſubjectionis vobis debitores ſimus; tamen evidenti ratione oſtendere poſſumus, quia etiamſi canonicæ excuſationes aliter nobis non adeſſent, non tamen ad veſtrum Placitum proficiſci ullatenus deberemus. Quod enim vobis, pace veſtra, dicere liceat; etſi aliis Nuntius apoſtolicæ Sedis eſtis, nobis tamen non eſtis: propter quod neque vos habetis nos ad concilium evocare, neque nos ad vocationem veſtram, ſi nolumus, habemus venire. Quod jam ſubſequenti declarabitur ratione. Poſt diffinitam etenim Romæ & ſolutam Placiti noſtri quæſtionem, audientibus & videntibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & clericis Fran-

ciæ, præſentibus etiam clericis qui hic præſentes habentur; dominus Papa laudavit, ut vobis in nullo, ſi nollem, ampliùs ſubjicerer; ſed domno abbati Cluniacenſi per omnia ſubditus eſſem. Poſtea mihi præcepit, & etiam vellem nollem, ſibi ſpopondi, quatenus ſi a Nuntio ſuo vocatus eſſem, niſi canonica excuſatione præpeditus eſſem, pro hac cauſa iterum ad concilium irem. Et quoniam in noſtra promiſſione de Nuntio ſuo, quaſi indefinite, mentionem fecit, & ad noſtram vocationem faciendam vos quaſi non excepit: quod & fecit, quando priuſquam promiſſio fieret, prælationem noſtram a veſtra ſubjectione removit, putans ad eamdem vocationem ea de cauſa vos inter alios Nuntios debere computari. quod non procedit. Nam ſi nos, ut ſuperius dixi, priuſquam promiſſio fieret, dominus Papa a veſtra ſubjectione removit, iterum vos admittere non potuit: quoniam, ſi ſic fieret, profecto ſe ipſum impugnaret; & quod audiente concilio juſte laudavit, injuſte deſtrueret: & ut ampliùs loquar, injuſte, quod abſit, judicaret. Etenim in decretis Pontificum legitur, quod ſi aliquis Legatus, ut Zacharias & Rodoaldus, ut Vitalis & Miſenus, ſuper aliquem injuſte judicaverint; præjudicatus præjudicantis amplius non debet ſubdi judicio: & vocatio qua dominus Papa ſeipſum impugnet, quæque falſitatis, temeritatis & inconſtantiæ poſſit argui, poſſit etiam falſi (quod abſit) laudari judicio; nec laudanda, nec recipienda eſt. Et ideo quamdiu domnus Abbas Cluniacenſis defuerit, & quamdiu dominus Papa ut vobis obediam, nec mihi loquendo, nec litteris præcipiendo juſſerit, etiam ſi canonica excuſatio, ſicut ſuperius multis modis eſt oſtenſum, defuerit; tamen hæc ratio ſola ſufficere deberet; & ut altius loquar, deberet ſufficere tum pro reverentia ſummi Pontificis, tum pro honore ſuo, ſi eum diligitis. Nam ſcriptum eſt: Servus nec diligit, nec reveretur dominum, quem facit eſſe contemptibilem in conſpectu omnium.

At vero quamvis ita proſecuti ſumus, quod nobis cauſa obſervatæ veritatis concedendum eſt, licet juxta prædictam rationem vobis reſpondere non debeamus; tamen propter reverentiam domini Papæ aliam vobis rationem oſtendere nobis viſum eſt. Etenim ne forte judicia eccleſiaſtica diffugere videamur, ne forte pertinaces eſſe, & mandata apoſtolica perturbare velle putemur: ſciatis quod non pertinaces in hoc exſiſtimus, nec concilia fieri prohibemus: ſed potius ut in Fran-

cia concilium celebrare nobis cooperantibus veniatis, offerimus, & locum nobis proximum, ſicut a ſacra auctoritate jubemur, eligimus. Offerimus, inquam, hoc ex parte noſtra & Regis noſtri, vel pro Quadrageſima, vel poſt Paſcha in Franciam veniatis cauſa concilii: & ego & coepiſcopi noſtri vobis occurrentes, ſanum & incolumem vos deducemus in domibus & cameris noſtris, & cum honore Legatis Sedis apoſtolicæ congruente ſuſcipiemus, & cum omni abundantia procurabimus. Locum nobis proximum eligimus, ſi vultis, apud nos Remis, ſi vultis Sueſſionis, vel Compendii, vel Silvanectis: & in quocumque horum vobis videbitur concilium vos tenere, Rege quoque noſtro cooperante juvabimus, & quod vobis debebimus facere, faciemus.

Ecce coram iſto Concilio cum caritate & humilitate vos precamur, & ſi attendere vultis conſilium utile vobis damus, ut libram moderaminis erga nos teneatis; nec modum ac rationem excedere affectantes, pondus, quod nec nos, nec patres noſtri portare conſuevimus, ſuper nos imponere appetatis. Melius eſt ut mitius agendo, & juſtitiam non excedendo, Romanæ eccleſiæ commodum & honorem per Franciam adquiratis, quam exaſperando Franciam, ejus juſtitiam & ſubjectionem Romanæ eccleſiæ impediatis. Quod ſi in pertinacia veſtra, ſicuti domno Papæ ijſdem verbis mandavimus, permanere diſpoſueritis; & pro ſola voluntate veſtra, nos vel ſuſpendere, vel excommunicare volueritis: oſtenſa eſt nobis via quam ſequamur, appoſita forma cui imprimamur. Sequar verba beati Gregorij, qui dicit: Sæpe in ligandis ac ſolvendis ſubditis ſuæ " voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur Paſtor. " Unde fit, ut & ipſa ligandi ac ſolvendi poteſtate ſe privet, qui " hanc non pro ſubditorum meritis, ſed pro ſuæ voluntatis mo- " tibus exercet. Unde per Prophetam dicitur: *Mortificabunt ani-* " *mas quæ non moriuntur, & vivificabunt animas quæ non vivunt.* " Ait etiam beatus Auguſtinus in libro de verbis Domini: Vide " utrum juſte, an injuſte obliges fratrem tuum, quoniam inju- " ſta vincula diſrumpit juſtitia. Afferam etiam, quod ſi me ex- " communicaveritis, deerit privilegium Petri & domni Papæ, id eſt, poteſtas ligandi atque ſolvendi. Unde Leo Magnus in ſermone de anniverſario ſuo ſic ait: Manet Petri privilegium, " ubicumque ex ejus æquitate fertur judicium. Ex quibus verbis " aperte colligitur, quia non manet Petri privilegium, ubicumque ex ejus æquitate non fertur judicium.

EPISTOLA NOVIOMENSIUM CLERICORUM AD CAMERACENSES,

De filiis Clericorum ad ſacros Ordines admittendis.

SAnctæ Cameracenſis eccleſiæ Fratribus in Chriſto dilectis, Noviomenſes, melius ſperare in adverſis, & ſalva fide viriliter reſiſtere emergentibus adverſariis. Orationis noſtræ prolixitatem, fratres cariſſimi, caſtigantes prout potuimus; quæſtioni veſtræ plura quam ſatis eſt, reponere non neceſſarium duximus: præſertim cum eccleſiæ veſtræ ſtatus modum antiquitatis huc uſque ſibi retinuerit, & columnis ſapientiæ ſubnixus, in ſeipſo conſiſtens, alienis ſuſtentationibus non indigens, nullis tentationibus violari potuerit. Fundamentum enim quod ipſe Apoſtolus poſuit, a ſoliditate ſua non poteſt mutari, Apoſtolo atteſtante qui ait: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Quantumlibet itaque ruant venti & fluant flumina, domus ſuperædificata immobilis manet, videlicet ſancta Eccleſia, inter turbines hujus ſæculi conſtituta. Ecce jam valida tempeſtas incumbit: ad defendendam libertatem parata ſunt arma in propugnaculis, ſacræ ſcilicet Scripturæ, quibus facile obtunditur gravitas novæ impoſitionis, partem quarum prælibaſtis, partem habemus ſuggerere vobis. ſi quidem contra illud quod filios clericorum a ſacris Ordinibus repellendos eſſe moliuntur, in expoſitione generationis Jeſu-Chriſti ita ſcriptum invenitur. Dominus noſter
» Jeſus-Chriſtus non ſolum ab alienigenis, ſed etiam de adulte-
» rinis voluit naſci commixtionibus, nobis magnam fiduciam
» præſtans, ut qualicumque modo naſcamur, tantum ut illius
» veſtigia imitemur, ab illius corpore non ſeparemur, cujus per
» fidem membra effecti ſumus. Et ſicut ille verus eſt Pontifex,
» ex adulterinis naſcens commixtionibus; ita qualicumque ordine natus ſit aliquis, tantum ut perfectam fidem habeat, & quod fide tenet, operibus impleat; ſitque litteratus & vir unius uxoris, nequaquam a ſacerdotio repellatur. Judas enim patriarcha concubuit cum Thamar nuru ſua, & ex illo coitu nati ſunt Phares & Zara. Inde poſtea Salmo, qui fuit dux in deſerto

deſerto; inde Obed ex Ruth, indeque Boos de Rahab; inde poſtea Iſaï, qui fuit pater David. In nulla verò progenie origo Domini ducitur, qui eſt verus ſacerdos: ideoque filii ejus ſumus, & quæ ipſe fecit, imitari per omnia debemus. Ipſe quoque Dominus in Evangelio ait: *Omnem qui venit ad me non ejiciam foras.* item de eodem: *Omnis qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* Ad confirmandam verò evangelicam doctrinam Victor Papa in epiſtola Afris directa dicit: Nulli liceat evangelicam doctrinam deſerere, & ſacerdotali honore congaudere. Nihil quippe prodeſt hominibus legem, quæ per ſervos data eſt, defendere, qui gratiam Evangelii, quæ per Filium facta eſt, noluerunt recipere. Calliſtus quoque Papa in decretis ait: Sententiam, fratres, quæ miſericordiam vetat, non ſolum tenere, ſed & audire refugite: quia potior eſt miſericordia omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis. Et Vigilius Papa: Certe etiam ſi mens ſit recti conſcia, vindicta dignus eſt, qui alii exſtitit cauſa periculi. Et in Concilio Anchiritano cap. x de conjugatis Diaconis ita reperitur: Diaconus cum ordinatur, ſi in ipſa ordinatione proteſtatus fuerit dicens, velle ſe habere uxorem, nec poſſe ſe continere; hic poſtea ſi ad nuptias venerit, maneat in miniſterio, &c. Quod autem filius non reprobandus ſit propter iniquitatem patris, Dominus per Prophetam proteſtatur dicens: *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Gregorius in Paſtorali de excellentia Paſtorum: Plerumque rector oblitus ſui, in voce ſe ſpargit aliena. Talem ſe credit, qualem ſe foris audit, non qualem intus diſcernere debuit: ſubjectos deſpicit, eoſque æquales ſibi naturæ ordine non agnoſcit; & quos ſorte poteſtatis exceſſerit, tranſcendiſſe etiam vitæ meritis credit. Porro ne quis in Eccleſia duplici potiatur honore, & ut una tantum quiſque contentus vivat præbenda; nulla nobis aperit ratio: cùm ſub religioſis Patribus in clericali ordine talis ſemper uſitata fuerit conſuetudo, quæ & ſingulis eccleſiis ſalva fide conceditur ab introëunte Epiſcopo. Cujus conſuetudinis licitum Gregorius commendat in epiſtola ad Leandrum Spalenſem epiſcopum dicens: Illæſa una fide, in divino officio ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diverſa eſt. Et beatus Auguſtinus de conſuetudinibus ad Januarium inter cetera dicit: Ea quæ in diverſis locis & regionibus multipliciter ſunt inſtituta, & contra fidem & bonos mores non eſſe probantur,

„ indifferenter habenda ſunt, & conſuetudine uniuſcujuſque
„ eccleſiæ congruenter & ſimpliciter obſervanda: nec quidquam aliud in eis requirendum. Et ut ad rem reducamus ſtilum, miramur valde, cum ad præterita ſive præſentia retorquemus oculum. Longe enim ante nos audivimus, & nos ipſi cognovimus, quoſdam ex filiis concubinarum fuiſſe religioſos preſbyteros & diaconos, venerabiles quoque Epiſcopos & Abbates, inſuper etiam Chriſtianiſſimos Reges, necnon ipſius Romanæ Sedis aliquos ſummos Præſules. Quocirca non immerito ſtomachamur adverſus eos, qui ad id deſtruendum, linguam ſuam quaſi arcum intendunt: cum ſatis noverimus illos non meliores eſſe, quam ſui anteceſſores fuerunt. Adhuc multa ad ea quæ nobis objiciuntur, neceſſaria habemus vobis dicere: ſed quædam nobis obſiſtunt cauſæ, quarum una eſt expectatio Archiepiſcopi noſtri Manaſſæ, cujus excommunicatio fertur potius per invidiam, quàm per juſtitiam nimium accelerata fuiſſe.

ADMONITIO IN SEQUENTEM Hiſtoriam Belli ſacri.

Subſequens liber de ſacra expeditione Ieroſolymitana abſque auctoris nomine habetur in Caſinenſi bibliotheca. Hunc librum vidit, atque in compendium redegit auctor ille, qui primo loco inter Geſta Dei per Francos *editus eſt: at multa ſingularia prætermiſit, quæ in libro ſequenti referuntur, ex quibus nonnulla in fine obſervabimus. Rerum teſtis oculatus fuit, quiſquis eſt hic auctor, nec propter epitomatorem viſus eſt prætermittendus. Hunc quidam exiſtimant non alium eſſe à Gregorio Tarracinenſi epiſcopo, qui* verſus de tranſitu Peregrinorum ad Sepulcrum Domini & captione Jeroſolymitanæ urbis rogatu Bernardi Valvenſis pulcherrimos fecit, *teſtante Petro Diacono in libello de viris illuſtribus Caſinenſibus cap.* XXXII. *Verum Francum aut Normannum auctorem, & quidem laïcum fuiſſe, veri ſimilia probant argumenta. Militabat ſub Stephano Comite Carnotenſi apud Antiochiam ex num.* LXXVI. Erat, *inquit*, caput noſtrum, quem omnes noſtri majores elegerant, ut eſſet noſtrorum ductor, *nempe ad defendendam Antiochiam, cujus obſidioni & expugnationi auctor interfuit. Laicum ſe prodit his verbis num.* LXXXI. Epiſcopi noſtri, & preſbyteri, & clerici, & monachi, ſacris veſtibus in-

duti, exibant cum crucibus, orantes & deprecantes Deum, ut nos cuſtodiret & eriperet ab omni periculo. *Vocabula quædam & certi loquendi modi Francum arguunt*, montaneæ *paſſim*, diabolica montanea, minutæ gentes *pro infima plebe, & alia id genus. Nonnulla tamen dicit de Francis num.* I I I. *quæ eum erga illos non ita bene affectum probant, nempe quod* Francigenæ erant tumidi ſuperbia. *Et erant apud Antiochiam ſub Stephano non tantum Franci, ſed etiam populi aliarum nationum. Penes alios eſto hac de re judicium.* Lombardos *a* Longobardis *non uno in loco diſtinguit. Narratio deſinit in expugnatione Ieroſolymorum & Tortoſæ, & in morte Boamundi Principis Antiocheni, quæ anno centeſimo ſupra milleſimum accidit.*

Huic hiſtoriæ ex bibliotheca Chriſtinæ reginæ ſubjicimus Stephani Comitis Carnotenſis epiſtolam ejuſdem argumenti ad Adelam uxorem ſuam: ad quam alia ejuſdem exſtat epiſtola in Spicilegii tomo I V. *pag.* 257. *Quod Stephanus de Alexio C P. Imperatore ſcribit, longe aliud de eo judicium, quam alii ſcriptores, ingerit. Animus erat hic ſubjicere acta eccleſiæ ſancti Sepulcri, quæ expugnata Ieroſolymorum civitate, Canonicis regularibus tradita eſt. Verum hæc in aliud tempus remittere ſatius poſtea duximus.*

INCIPIT HISTORIA DE VIA Hieruſolymis, qualiter recuperata ſit, qualiterque etiam Antiochia, & eadem Ieruſalem ab invaſione Gentilium per fideles Chriſti liberatæ fuerint.

TEmpore, quo Alexius imperii Conſtantinopolitani regebat habenas, quo & beatæ recordationis Urbanus Papa ſecundus Romanæ eccleſiæ pontificium adminiſtrabat; fuit quidam eremi accola in Galliarum regione, Petrus nomine, vir quidem ſummæ religionis, ſanctiſque deditus actibus, ac omnis vitæ hujus extremitate contentus. cujus nimirum color penitus incultus erat, ſpiritus fervens, pedes nudi, ſtatura brevis, facies macilenta, tegimen viliſſima cappa: qui non equi, non muli, mulæve, ſed aſini tantum vehiculo, quocumque pergebat, utebatur. Qui deſiderio videndi Sepulcrum Domini valde accenſus, poſt multos prolixi itineris labores, Jeruſalem tandem oraturus advenit. Erat autem Jeruſalem illis diebus, neſcitur quo Dei judicio, Gentilium, id eſt Sarrace-

norum, ſubjecta dominio, unde & idem Sepulcrum, ceteraque ſacra loca ſub omni contemptu ab ipſis male tractata habebantur. Nam & templum Domini in eorum mahumeriam verſum erat, & ſtabula equorum ſecus ejuſdem Sepulcri baſilicam impie ſtatuebantur. Hanc quoque tam magnam inreverentiam circa ipſa ſacra loca habitam cum Petrus prædictus facta oratione conſpexiſſet, ingemuit valde, atque ex intimo cordis trahens longa ſuſpiria, multas etiam lacrymas ab oculis effudiſſe perhibetur.

Factum eſt autem cum nocturnæ quietis tempus rediſſet, Petrus conſuete naturæ membra dedit. Qui etiam in viſu Jeſum-Chriſtum Dominum vidit talia dicentem ſibi: Petre, ſurge citiuſque revertere, Urbanum Papam aditurus: cui ex mei parte dicatur, quatinus fratres meos cunctos commovens, eis præcipiat, ut huc quantocius properantes, & Jeruſalem, immo meum Sepulcrum à profanæ gentis hujus invaſione atque ſpurcitia, aliaque ſacra loca per circuitum, me quoque adjuvante liberare feſtinent. Nam & regni cæleſtis janua mei amore venturis ad iſtud peragendum nunc omnibus patet. Qui conſurgens, lætus de tanta ſibi divinitus revelatione oſtenſa effectus eſt. Deinde precibus ad Sepulcrum iterum fuſis, ſine dilatione remeavit, Papam prædictum adiens, eique ſecundum quod per viſum audierat cuncta narravit. Qui audiens quod ei cælitus delegatum fuerat, gaudio magno excipit, ſatagens implere quod etiam corde jam ipſe agendum ſæpius tractaverat. Erat & ipſe, ſecundum quod decebat tanti culminis honorem, ſtatura vultuque elegantiſſimus, ſermone luculentiſſimus, ſapientia excellentiſſimus, necnon religione præcipuus.

Igitur præparatis omnibus, quæ itineri neceſſaria erant, montes alpinos tranſivit: venienſque in Arverniæ provinciam, ibi apud Clarum-montem oppidum, Archiepiſcoporum, Abbatum, clericorum, cum innumerabili populo undique concurrentium, Concilium celebravit: cui videlicet ſancto conventui non virorum illuſtrium, non magnatum, nec etiam Comitum concurſus defuit. Sanctus vero Papa Urbanus eidem ſancto Concilio præſidens, poſt nonnullas inſtitutiones eccleſiaſticas, quas Spiritu-ſancto dictante promulgaverat; divinæ juſſionis ſibi deſtinatæ non immemor inſtituit atque præcepit, ut milites & pedites, quicumque ſcilicet ire poſſent ad Jeruſalem, aliaſque Aſiæ eccleſias, à paganorum poteſtate eruendas.

pro

pro Dei amore, omniumque remiſſione peccatorum ſibi adipiſcenda unanimes arma gerentes pergerent: atque in eorum bonis, uſque ad reditum ipſorum, ſecuritatis pacem continuam haberi decrevit. ſimulque etiam diſpoſuit, ut cuncti illuc euntes, ſignum crucis in ſcapulis re aliqua veſtimentis impreſſum, ſeu in fronte geſtarent, quo tanti itineris religionem atque peregrinationem aliis cernentibus oſtendentes, ab aliquo non impedirentur. Tunc univerſi qui aderant, tam bonum & deſiderabile edictum percipientes, voces ad aera ovantes attollunt, unanimiter clamantes ſæpiuſque repetentes: *Deus illud vult, Deus illud vult, Deus illud vult.*

Igitur Gottifredus Dux Lothariæ, Robertus Comes Normanniæ, Ugo Magnus Comes, frater Philippi Francorum Regis, Stephanus Comes Bleſenſis, Raynaldus ſancti Ægidii Comes, atque Robertus Comes Flandrenſis, hujuſcemodi rem ab Apoſtolico diſpoſitam percipientes, divinitus mox afflati, uno animo unaque voluntate ad eripiendam Jeruſalem & ſepulcrum Domini ſimul ire diſponunt: ſub quibus militum, & peditum tanta fuit coadunatio, ut arenæ, quæ eſt in litore maris, comparari poſſent. Verum quia de tot tantiſque Proceribus mentio habita eſt, debemus & ipſorum genealogiam exprimere, & ſingulorum mores annotare.

Dux Gottifredus, Euſtachii Boloniæ civitatis comitis filius exſtitit: cujus nobilitas virtutibus cumulata, tam in ſæcularibus, quam in divinis rebus excelluit. Divinis quidem, quia largus erga pauperes, erga delinquentes vero miſericors fuit: porrò humilitate, manſuetudine, ſobrietate, juſtitia, caſtitate inſignis, potius monachorum lux, quam militum dux putabatur. Ex his vero, quæ ſæculi ſunt, non minus noverat agere, videlicet prœliari, ordinare militum acies, armis gloriam propagare. Primus autem in primis ferire hoſtem adoleſcens didicit, juvenis aſſuevit, vir poſtea factus id numquam agere deſtitit.

Sequitur Robertus Normanniæ Comes, qui Guilielmi Expugnatoris, & Regis Anglorum filius fuit, genere, divitiis, facundia quoque non ſecundus duci Gottifredo, ſed ſuperior; par illius in his quæ ſæculi ſunt, & in his quæ Dei, minor. Cujus pietas largitaſque valde fuiſſet laudabilis: ſed quia ipſe in utriſque modum non tenuit, in utriſque erravit. Siquidem miſericordia ejus ita vigore juſtitiæ penitus carebat, ut raptorum impunita malignitas per totam Normanniam, nec Deo,

nec homini parceret. Quapropter nullus vinctus in conſpectu ipſius lacrymabatur, quin ipſe mente ſolutus continuo in mutuas lacrymas effunderetur. Largitate autem in tantum diffuſus erat, ut accipitrem ſive canem pro nullo quantovis ære dimitteret, quin compararet: cum interim unicum haberet ſupplementum, rapinarum ſcilicet conſenſus. qui tamen hæc dum intra patriam eſſet exercuit, verum fines patrios egreſſus à tam nefando luxu perdomitus eſt, cui ante per magnarum opum affluentiam ſuccubuit.

Ugo Magnus, Comes, filius Henrici regis Franciæ, frater Philippi regis ejuſdem Franciæ, fuit magnus genere, magnus cognomine, magnus probitate, magnus etiam & potens in prœliis; venerabilior tamen regii ſanguinis gloria, quam aut opum ubertate, aut præcellenti multitudine, aut triumphalibus meritis.

Denique Bleſenſis Comes, Stephanus nomine, & ipſe Regum proximus fuit, videlicet Gallorum pronepos, & gener Anglicorum. cujus largitas ſi hilaritate, aut audaciæ fervore illuſtraretur, & ad Ducatus culmen, & ad ſtrenuiſſimum militem omnino ſufficeret.

Sequitur hunc Robertus Comes, Flandriæ ſcilicet, nutricis equitum, feracis equorum, tritici, atque pabulorum: qui puellarum quoque decoritate præcellens, reges generos, id eſt Gallicum, Anglicum, & Dacum meruit habere. Quorum quidem affinitate Comes ipſe ſublimis, populare regimen amminiſtrare dedignabatur, dum ipſe ſuper omnes exercituum rectores in enſe & lancea laudari geſtiret. Unde poſtea contigit, ut ipſe quidem multo plus ceteris ducibus celebraretur habere famam, neglectaque regiminis cura multo minus de duce...

Subſequitur Raymundus, Comes ſancti Ægidii, divitiis, potentia, conſilio militari, multitudine non illis minor. Nam in his omnibus à primordio inter ceteros claruit, & cum mox aliorum defeciſſet pecunia, hujus ſemper affluxerunt divitiæ. Illa nimirum gens, id eſt Provincialium, non prodiga, parcitati potius, quam laudis famæ ſerviebat: quæ quoque exemplo aliorum territa, non ſicut Franci in diſtrahendo, ſed ſemper in augendo ſubſtantiam deſudabat. Quam ob rem populus ipſe præſcius futurorum, non permiſit ſuum egere Comitem, unum quidem æquitatis cultorem, iniquitatis ultorem: qui etiam ad timidos ſe velut agnum, ad tumidos autem tamquam leonem oſtendebat.

In hoc autem loco Boamundi genealogia exprimenda eſt, ſed quia de eo ejuſque genere paulo inferius in loco ſuo recitandum eſt, præpoſterum eſſe hic eam memorari videtur. Verum quia à ſerie narrationis longiuſcule digreſſi ſumus, nunc ubi dimiſimus, redeamus. Igitur prædicti Principes, cum in animo, ſicut ſuperius dictum eſt, Jeruſalem petere propoſuiſſent; antequam moverentur à prædicto Papa, quidam illorum quæſierunt, ut ſimul cum eis in ipſo itinere pergeret. quibus ipſe reſpondit: Ego, inquit, ad præſens vobiſcum hoc iter agere nequeo, quoniam pluribus eccleſiaſticis negotiis explendis, quæ nunc evitare pernicioſum eſt, operam dare prius oportebat. Quibus expletis, ſi vita comes non defuerit, Deuſque deinde facultatem eundi dederit, vos vere ſubſequi, vobiſque in partibus illis adeſſe in animo propoſitum habeo. At illi his auditis unanimiter petierunt, quatinus vel quemlibet, qui vice ſua in his, quæ Dei ſalutiſque animarum ipſorum eſſent, illis præeſſet, præordinare curaret. Sanctus ergo Apoſtolicus dignam illorum petitionem exaudiens, Epiſcopum Podienſem, virum æque tam in divinis, quam in ſæcularibus rebus prudentiſſimum, ſimulque religione præcipuum, eis præfecit, dans illi poteſtatem, ut ſua vice eis præſidens, illorum curas ageret. Poſt hæc autem prædicti Principes tempus ſtatutum, quando ſe moturi eſſent, ſitienter præſtolabantur, quorum exercituum numerus, ut dictum eſt, velut arena in litore comprehendi nequiverat.

Hoc in tempore Boamundus, Roberti Guiſcardi Ducis Apuliæ filius primogenitus, vir quidem paternæ virtutis ſtrenuiſſimus æmulator, atque à tempore ejuſdem patris militaribus exercitiis probatiſſimus, in eadem Apulia, videlicet Barenſibus, Tarentinis, Ydruntinis, aliiſque quam pluribus maritimis terraneiſque urbibus, ex ſucceſſione hereditaria principabatur. Nam Rogerius frater ejus ex ſolo patre, patre ipſo obeunte, Ducatum acceperat. Hic audiens Jeruſolymam iter à ſummo Pontifice conſtitutum eſſe, atque ad liberandum Sepulcrum Domini, ceteraque ſacra loca ab infidelium jugo prædictos Principes ultramontanos ſe eſſe moturos, lætus effectus, cum eis & ipſe ſimul properare pro divino amore armatur. De quo fertur, quod aliquando, patre adhuc vivente, tantæ ſtrenuitatis exſtitit, ut imperatorem Alexium bis in fugam ire coegit, primo quidem in oculis ejuſdem patris ſub Dyrachii mœnibus: ſecundo

autem apud Lariſſam urbem, dum iſdem pater Romam ad ſuccurrendum Gregorio Papæ, qui ab Henrico rege Teutonico obſidebatur, petiit.

Igitur ceteri circumquaque, de prope videlicet & de longe, cognoſcentes Boamundum Jeruſalem iturum, ſine numero ei adhæſerunt, dominum illum ac rectorem ſuper ſe habere in tanto itinere affectantes. Adhæſit & ei quidam exadelfus ſuus, Tancredus nomine, nepos ejuſdem patris Roberti Ducis, ex ſorore ſua nomine Emma genitus, à patre quidem, qui * Marchuſus dictus eſt, non ignobilis filius; à matris autem fratribus nepos longe ſublimior. Qui videlicet fratres patriam, id eſt Normanniam, egreſſi, gloriam ſuæ militiæ in Italia extulerunt. Quis enim Roberti Guiſcardi vires non probet? qui Calabriam, & Apuliam, Siciliamque bellando ſibi ſubjecit: cujus etiam victricia arma poſt ſub uno, ut aiunt, die Alemannorum Rex Henricus, Græcorum Imperator Alexius tremuerunt.

* *al* Marchiſus.

Romam namque præſens ab ipſo Alemannorum Rege eripuit: Græcorum autem Imperatorem per Boamundum filium ſuum bellicoſiſſimum ſuperavit: reliqui verò fratres, octo numero, Campaniam, Apuliam, Calabriam, debellavere. Excipiendus eſt Rogerius Sicilienſis Comes, qui ſubacta gentilitate. . Siciliæ gloriam ſuper fratres ſuos adeptus eſt, ſcilicet a præfato Roberto Guiſcardo ſecundam.

Nunc redeamus ad Tancredum ipſum, quem nec paternæ opes ad laſciviam, nec ad ſuperbiam cognatorum ſuorum potentia traxit. qui dum adhuc adoleſcens eſſet, juvenes agilitate armorum, morumque gravitate ſenes tranſcendens, nunc his, nunc illis de ſe novum virtutis ſpectaculum præbebat. In adoleſcentia vero præceptorum Dei ſedulus auditor, ſummopere ſtudebat & audita recolligere, & recollecta opere implere. Nemini detrahebat, etiam cum ſibi detrahebatur: immo aiebat hoſtem magis eſſe feriendum, quam rodendum. De ſe autem ipſe nihil dicere cupiebat: at dici ab alio inſatiabiliter ſitiebat. Proinde ſomnos vigiliis, quietem labori, ſatietatem fami, otium ſtudio, poſtremo ſuperflua omnia neceſſariis poſtponebat. Sola namque laudis gloria juvenis mentem agitabat: nihil eſſe crebri vulneris jacturam ducebat, dum glorias cotidianas adipiſci malebat. Hunc ergo ſibi Boamundus diligenter aſciſcens, cunctæ ſuæ expeditioni, cum movenda eſſet, pro ejus magnifica ſtrenuitate atque virtute præpoſuit. Dumque omnia

quæ

quæ itineri neceſſaria erant præpararentur, interim adventum illorum, qui ſuperius dicti ſunt, Principum inhianter præſtolabatur, quatinus ſe cum eis conjungens trans mare ſimul incederet.

INCIPIT PROLOGUS IN HISTORIA Peregrinorum euntium Ieruſolymam ad liberandum ſanctum Sepulcrum de poteſtate Ethnicorum.

IN nomine Jesu, qui eſt Verbum & Sapientia Dei Patris, dicamus ejus miranda geſta & fortia facta, qui dum eſſet in noſtra carne dixit: *Qui reliquerit domum, patrem, matrem, fratres, & ſorores, uxorem, & filios, agros, & vineas propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et, *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam cotidie, & ſequatur me.* Hanc vocem audientes, & hujus juſſa implere cupientes ſancti Peregrini ex omnibus partibus mundi, primitus ab occidentali plaga, deinde à meridiana, & ſeptemtrionale, demum vero, & ab orientali tam magnam fecerunt commotionem, adjuvante & faciente ipſo Domino, ut nullus ſenſus excogitare, nulla lingua, etiamſi ferrea eſſet, ad plenum valeret enarrare. Sed quia, ut ait Scriptura, ſecretum Regis celare, opera autem Dei enarrare honorificum eſt; ſi ex toto ſilet lingua carnis, & quamvis non ad plenum, ſed vel aliquantulum exinde non dicet, pigritia & neglegentia eſt, & in peccatum deputabitur, ut ait Sedulius:

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta poëtæ,
Grandiſonis pompare modis tragicoque boatu:

cur nos famuli Chriſti tacemus tam mira facta Chriſti? quia ſi ipſe non feciſſet, numquam ab hominibus fieri potuiſſent. Nunc revertamur ad priorem ſenſum. In eodem collegio abierunt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & omnis Eccleſiæ gradus: in eodem exercitu abierunt Reges, Principes, Præfecti, Marchiones, Duces, Comites, & omnis gradus ſæcularium, & vulgus tam maximum virorum & mulierum, ut nemo niſi a Deo ſcire poſſit. Sed non inſimul ibant: quia nullus cogebatur, niſi quorum corda ipſe Deus tangebat, & ſicut erant omnes viæ, & omnia loca plena vivorum euntium, ita plenæ omnes viæ ſepulcris ſanctorum Peregrinorum erant, habentes fixas cruces ad capita. Et non ſolum ſpatia terrarum,

& maria plena erant corporibus ſanctorum Peregrinorum: multi ex eis moriebantur ægritudine, plurimi fame & ſiti, alii frigore & æſtu, atque alii ferro à paganis: & tamen nec deſinebant, nec contriſtabantur, habentes in cordibus ſuis: *Quidquid patimini propter juſtitiam beati.*

Iſti ſunt qui contempſerunt vitam mundi, & pervenerunt ad præmia regni. Iſti reliquerunt regna, & prædia, & divitias, & abnegaverunt ſemetipſos, & ſecuti ſunt Domini noſtri veſtigia. Et dum in Eccleſia legitur, & cantantur fortia facta Macchabæorum, qui quamvis pro patriis legibus, tamen, & pro ſuis heredibus, & hereditatibus pugnaverunt: iſti vero non pro ſua, neque pro aliquo ſuorum, ſed ſolummodo pro regno cælorum abierunt, & viriliter pugnaverunt, & vicerunt, adjuvante eos Domino, & viſibiliter mittente eis in adjutorium ſanctos ſuos bellatores, quorum animæ in cælo jam collocatæ erant, videlicet Mercurium multotiens, aliquando Georgium, necnon & interdum Theodorum, aliquando totos tres cum ſuis dealbatis exercitibus, videntibus non ſolum Chriſti militibus, ſed etiam ipſis inimicis paganis: unde exterrebantur, & in fugam convertebantur. Propterea nimis ſunt laudandi, & omnimodis præconandi, quibus Deus dedit talem tolerantiam atque victoriam, & tam maximum triumphum. Unde ad gloriam & laudem nominis Dei per univerſum mundum, debet eſſe laudandum, prædicandum, memorandum, etiam & in eccleſiis Dei ſemper præconandum per eum a quo peractum eſt, qui vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum, amen. *Explicit Prologus*

INCIPIT LIBER.

I. OMnipotens Dominus propterea dicitur omnipotens, quia omnia poteſt quando vult, & quomodo vult. Cum voluntas ſua fuit, & placuit ei liberare ſanctum Sepulcrum Filii ſui de poteſtate paganorum, in qua erat pro delictis hominum, & aperire viam Chriſtianis; deſiderantibus illuc pro redemptione animarum ſuarum pergere, multis ſignis & virtutibus, prodigiis, & portentis oſtendit ad acuendas mentes Chriſtianorum, ut deſiderabiliter illuc properarent. Nam ſtellæ de cælo per totum mundum viſæ ſunt fluere in terra, ita crebræ & ſpiſſæ, uti grandines vel flocci dum ninguent. Poſt

pauco vero tempore via ignea in cælo apparuit. Tranſacto namque parvo tempore, medietas cæli verſa eſt in colorem ſanguinis. Somnia & revelationes plures viſæ ſunt, quas enumerare nemo poteſt. Tunc in anno milleſimo nonageſimo quinto, Anno 1095. cum appropinquaret terminus ille, quem Dominus Jeſus cotidie demonſtrat ſuis fidelibus, atque ſpecialiter oſtendit in Evangelio dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me:* miſit Deus in corde Apoſtolici Romanæ ſedis Urbani, & perrexit in ultramontanis partibus cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & preſbyteris, & cœpit ſubtiliter ſermocinari, & prædicare dicens: ut ſi quis animam ſuam ſalvam facere vellet, non dubitaret humiliter vias Domini incipere. Quin etſi ei denariorum deeſſet copia, divina ei ſatis daret miſericordia. Hortabatur ſic domnus Apoſtolicus: Fratres, oportet vos pati multa pro Chriſti nomine, videlicet miſerias, paupertates, perſecutiones, egeſtates, infirmitates, nuditates, famem, ſitim, & alia hujuſmodi, ſicuti idem Dominus ait ſuis diſcipulis: *Oportet vos multa pati pro nomine meo*; &, Nolite erubeſcere loqui ante faciem hominis, ego enim dabo vobis os, & eloquium, ac deinceps ſequetur vos larga retributio, videlicet regna polorum. Cumque hic ſermo creſceret per univerſas regiones, Galliarum ſcilicet ac Francorum, Alamannorum, Anglorum, & omnium regionum occidentalium, meridianorum, & ſeptemtrionalium, & omnium partium, facta eſt tam maxima commotio virorum ac mulierum in univerſis partibus, ut viderentur omnes velle arripere ſanctum Iter. Pater non audebat prohibere filium, nec uxor prohibere virum, & dominus non audebat prohibere ſervum: omnibus liberum erat iter propter timorem & amorem Dei. Et omnes qui ibant, ſuebant cruces in dextro humero, imitando Chriſtum, qui in humero ſuo portavit Crucem, eundo ad paſſionem pro nobis. In tantum fuit maxima commotio, ut nulla eſſet via, nullum iter, nulla civitas, nullum caſtrum, nulla planities, nulla montana erant, quæ non eſſent plena papilionibus & tendis, nobilibus hominibus, & ignobilibus viris ac mulieribus, omnes portantes cruces in ſcapulis: & ita ibant gaudentes, qui ex longinquis regionibus veniebant, tamquam ſupremo die exiſſent de domibus ſuis. Et inter eos erant omnia genera muſicorum, & tubarum, & corneorum, & mille modis ludentium, & aliis multis mirabili-

bus ſecum portabant ligneis, ferreis, aureis, argenteis, quæ enarrare nequimus. Arma vero illorum ex omnibus generibus erant, ſcilicet lanceis, enſibus, loricis, clypeis, galeis, arcubus, giſarmis, ſalibis, etiam & accettis. Hæc de minutis diximus gentibus.

II. Principes vero, comites, duces, & magnates ita divites erant, ut papiliones eorum & tentoria eſſent deaurata; lecti vero illorum auro & coloribus erant depicti, & ſub eiſdem lectis ita jacebant marcæ argenteæ, ſicut ſolent jacere ligna ſub ruſticorum lectibus. Et portabant lintres, quas in aqua mittebant, & retia ponebant deſuper, & deſubter: & quot piſces ibi erant, omnes capiebant. Et deducebant ſecum accipitrem, qui cognominatur gyrifalcus: qui dum dimittebatur ad volandum, omnes aves, qui eum videbant, vel ſentiebant, præ timore ejus ſtatim in terra projiciebant ſe, & capiebantur manibus, & plura alia, quæ enarrare longum eſt. Sed & hoc non eſt prætereundum: omnes viæ ita erant plenæ tentoriis peregrinorum euntium ad liberandum viam ſancti Sepulcri, ut nulla eſſet civitas, nullum caſtellum, nullum pratum, ubi non invenirentur tentoria extenſa. Alii euntes, atque alii eos ſequentes, & ibant læti dicentes: *Deus lo vult, Deus lo vult, Deus lo vult*, & in pluribus ex his qui moriebantur in eadem ſancta via, apparebant cruces in ſcapulis eorum; & propterea multi accendebantur ad idem ſanctum Iter. Nunc revertamur ad priorem motionem.

Anno 1097 III. Primum cœperunt arripere iter, fecerunt tres partes. Una pars Francorum in Ungariæ intravit regionem, ſcilicet Petrus Eremita, & Dux Gottifredus, & Balduinus frater ejus, & comes Balduinus de Monte. Iſti prudentiſſimi milites, & alii plures, quos ignoro, & quorum nomina penitus dictare careo, venerunt per viam, quam antiquitus Carolus mirificus rex Franciæ aptari fecit uſque Conſtantinopolim. Petrus vero Eremita Conſtantinopolim venit in Kal. Augusti, & cum eo maxima generatio Alamannorum. Illic invenit Lombardos, & Longobardos, & alios plures congregatos, quibus Imperator Græcorum juſſerat dari mercatum, ſicuti mos erat in civitate. Dixitque illis: Nolite tranſmeare Brachium, donec veniat maxima Chriſtianorum virtus, quia vos tot non eſtis, quod cum Turcis prœliari valeatis. Ipſique Chriſtiani nequiter deducebant ſe, quoniam civitatis palatia ſternebant,

& incendebant, & auferebant plumbum, unde eccleſiæ erant coopertæ, & vendebant Græcis. De quo magis iratus Imperator, mox juſſit illos tranmeare ultra Brachium. Poſtquam vero tranfretaverunt, non ceſſabant agere omnia mala. Incendebant enim & devaſtabant eccleſias & domos. Tandem pervenerunt Nicomediam. Illic diviſi ſunt Lombardi, & Longobardi, & Alamanni à Francigenis, quia Francigenæ erant tumidi ſuperbia. Elegerunt autem Lombardi & Longobardi dominum ſuper ſeſe, cui nomen Raynaldus; & Alamanni ſimiliter: & intraverunt in Romania, & per quatuor dies iverunt ultra Nicæam civitatem, & invenerunt quoddam caſtrum, cui nomen Scerogorgo, quod vacuum erat gente; & apprehenderunt illud: in quo invenerunt ſatis frumentum, & vinum, & carnem, & omnia bona.

IV. Audientes itaque Turci, quia Chriſtiani eſſent in caſtrum, venerunt continuo obſidere illud. Ante portam caſtri erat quidem puteus, & ad pedem caſtri erat fons unus, juxta quem exiit Raynaldus, excubare ſcilicet Turcos. Venientes autem Turci in die dedicationis ſancti Michaelis archangeli, ſcilicet duobus diebus ſtantibus menſis Septembris, invenerunt Raynaldum, & alios omnes qui cum eo erant, & occiderunt multos ex eis. Alii qui remanſerunt vivi, fugerunt in caſtrum. Quod Turci obſederunt continuo, eiſque abſtulerunt aquam: fueruntque noſtri in tanta afflictione ſitis, quod flebotomari faciebant ſuos equos & aſinos, quorum ſanguinem bibebant. Alii mittebant zinziclas in piſcinam, & eas deprimebant in os ſuum. Alii quippe mingebant in pugillum alterius, & ſic bibebant. Alii autem fodiebant humidam terram, & ſupini jactabant ſe, & mittebant terram ſuper ſua pectora aut corpora pro nimia ariditate ſitis. Epiſcopi namque & preſbyteri, qui illic aderant, confortabant, & ſubmonebant noſtros dicentes: Eſtote ubique fortes in Chriſti fide, & nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Hæc perſecutio fuit per octo dies. At dominus Alamannorum conſiliatus eſt cum Turcis, qualiter traderet alios omnes: & fingens ſe exire ad bellum, fugit ad illos, & cum eo multi ex aliis. Turci ceperunt caſtrum: illi autem, qui Deum abnegare noluerunt, capitalem ſententiam ſuſceperunt: qui vivi remanſerunt, decapitati ſunt à Turcis. Poſtea diviſerunt illos ad invicem, ſicut aliquis dividit oves: alios miſerunt ad ſignum, & ſagittabant eos: & alios vendebant & donabant, ſicut

animalia: alii in Coroſanum conducebant ſuos, ubi ipſi habitabant: alii in Antiochiam, alii in Aleph. Iſti primo acceperunt feliciter martyrium pro Chriſti nomine. Audientes autem Turci, quod Petrus Eremita & Gualterius ſine habere fuiſſent in civitate, quæ eſt ſupra Nicæam, venerunt illuc gaudendo occidere illos. Cumque venirent, lætantes obviaverunt Gualterius & ſui milites, quos omnes confeſtim occiderunt. Petrus vero Eremita paululum ante receſſerat Conſtantinopolim: eo quod nequibat retinere illam diverſam gentem, quæ nolebat eum audire, nec verba ejus obſcultare. Turci vero poſt hanc malignam illorum victoriam, ubicumque inveniebantur peregrini, irruebant ſuper eos: quorum alios inveniebant vigilantes, alios dormientes, alios nudos jacentes, quos omnes interficiebant. Preſbyterum quoque unum invenerunt celebrare ſanctam Miſſam ſuper altare, eumque ſtatim martyrizaverunt. Alii qui potuerunt evadere, fugerunt ad civitatem: alii miſerunt ſe in mare, alii in ſilvis, alii aſcenderunt in montaneis, & introierunt in quoddam caſtrum. Turci namque perſequentes illos, adunaverunt ligna, ut eos incenderent ſimul cum caſtro. Chriſtiani igitur, qui in caſtello erant, miſerunt ignem in lignis adunatis, & reverſus eſt ignis adverſus Turcos, quoniam Deus noluit ſuos relinquere. Illos vero, qui erant capti à Turcis, diviſerunt inter ſe, ſicut prius fecerunt per univerſas eorum regiones. Hoc totum factum eſt in menſe Octobri.

V. Audiens hoc Imperator, quod Turci ita diſſipaſſent noſtros, lætus & gaviſus fuit: & mandavit, & fecit eos tranſmeare Brachium; & poſtquam reverſi fuerunt, comparavit ab eis omnia arma eorum. Secunda vero pars intravit in Sclavoniæ partibus, ſcilicet Raymundus comes ſancti Ægidii, & cum eo Podienſis Epiſcopus: in qua Sclavonia multa pars paſſi ſunt pro Chriſti nomine, & ſancti Sepulcri. Nam per quadraginta dies ambulauerunt per obſcura loca propter nebulas, quæ erant tam denſæ, ut vix paululum longe conſpicere poſſent; & Turci undique eos inſidiantes. Sed bellipotens & providus Comes minutam gentem faciebat ire in medio, & ipſe cum exercitu ſuo cuſtodiebat eos ante & retro ab inſidiis Turcorum. Itaque plures ex ſuis militibus perdidit fame & gladio, quoniam mala terra erat. Viam etiam neſciebant, niſi per ortum ſolis. Tertia pars per antiquam viam Romam venit. In iſta vero

parte fuit Robertus comes Flandrenſis, & Robertus comes Normannus, & Ugo Magnus, & alii plures: ac deinde appropinquaverunt ad portum Brunduſii, aut Bari, aut Tarenti. Ugo vero Magnus, & Guilielmus Marchuſi filius, confeſtim miſerunt ſeſe in mare ad portum Bari, & transfretantes applicuerunt Durachium. Audiens itaque Dux illius civitatis illos prudentiſſimos viros illuc eſſe applicatos, continuo mala cogitatione in cor ejus aſcendente juſſit illos moveri, & Conſtantinopolim ante infelicem Imperatorem caute deduci, quo ei fidelitatem facerent.

VI. Dux itaque Gottifredus, noſtrorum comitum primus, Conſtantinopolim venit cum ſuo magno exercitu diebus duobus ante Nativitatem Domini noſtri, & hoſpitatus eſt juxta Conſtantinopolim: fuitque ibi, donec iniquus Imperator juſſit eum honorabiliter hoſpitari in burgo. Cumque hoſpitatus fuiſſet ſecure, mandabat armigeros ſuos foras per unumquemque diem, quatenus paleam & alia neceſſaria apportarent. Cum vero jam putabant cum fiducia exire quocumque voluiſſent; inimicus Imperator, Alexius nomine, ſagaciter faciebat eos obſervari: ſuiſque Turcopolis & Piccinacis imperabat, quod eos invaderent, & occiderent. Balduinus itaque, Ducis frater, audiens hoc, quod traditor Imperator ſuis imperabat hominibus, ſtatim miſit ſe in nimiam attentionem, ſi forte illos invenire poſſet. Ad ultimum invenit eos occidentes gentem ſuam, illoſque invaſit toto corde, & Deo adjuvante ſuperavit, & apprehendit ſexaginta .. ex eis partim occidit, & partim ante conſpectum Ducis cònduxit. Cumque vidiſſet hoc Imperator infelix, valde iratus eſt. Videns autem Dux quod Imperator eis eſſet iratus, juſſit ſuis militibus exire de burgo, & hoſpitari extra civitatem, ubi fuerant prius. Sero autem ſuperveniente, mandavit infelix Imperator exercitum ſuum, & fecit invadere Ducem ſimul cum Chriſti gente: quos perſequens invictus Dux una cum Chriſti militibus, occidit ſeptem ex illis; & perſequendo alios, venit uſque ad civitatis portam. Reverſus itaque Dux ad ſua tentoria, & fuit in campo illo fere per quinque dies, donec pactus eſt cum Imperatore: dixitque illi Imperator, quod transfretaret Brachium ſancti Georgii: promiſitque facere illuc conduci omnem mercatum, ſicuti erat Conſtantinopoli, & pauperibus eleemoſynam erogare, unde vivere poſſent.

VII. At bellipotens Boamundus, Roberti Ducis filius, cum eſſent in obſeſſione Amalfi, ſcilicet ſcaphati pontis, audiens veniſſe innumerabilem gentem Francorum, quatinus ſancti ſepulcri viam de manu eriperet peſſimorum paganorum, ut fieret liberata, & Chriſtianis omnibus undique ſtaret patefacta; continuo cœpit ſapientiſſime ac diligenter inquirere, quæ arma pugnandi hæc gens deferret,& quam oſtenſionem Chriſti in via portaret, vel quod ſignum in certamine ſonaret. Cui per ordinem dicta ſunt omnia: taliter deferunt arma jugiter ad bellum undique convenientia; in dextra, vel inter utraſque ſcapulas Crucem Chriſti bajulant: ſonum vero illorum non eſt aliud, niſi *Deus lo vult*, *Deus lo vult*, *Deus lo vult*, omnes ſimul una voce conclamant. Mox ſancto commotus ſpiritu, juſſit pretioſiſſimum pannum ſericum, quem apud ſe habebat, afferri; eumque incidi præcepit, totumque ſtatim in cruces expendit. Cœpit namque vehementer ad eum concurrere maxima pars militum, qui erant in obſeſſione illa, & tam mirabiliter fluebant ad eum, quod comes Rogerius pæne ſolus remanſit, vix reverſus Siciliam, dolens ac mærens, quod gentem amiſiſſet ſuam. Reverſus itaque dominus Boamundus iterum in terram ſuam (diligenter enim undique honeſtavit ſeſe ad incipiendum ſancti Sepulcri iter) tandem transfretavit mare cum ſuo exercitu, & cum eo prudentiſſimus Tancredus Marchuſi filius, & Robertus Girardi filius, & Riccardus de Principatu, & Raynaldus frater ejus,& Robertus de Sorda-valle, & Robertus filius Troſteri, & Unfridus filius Rau, & Riccardus filius Comitis Raynulfi, & Goffridus Comes de Roſſilione, & Epiſcopus, & Girardus frater ejus, & Epiſcopus de Ariano, & Boëllus Carnotenonenſis, & Alberedus de Cagnano, & Goffridus de Monte-ſcabioſo. Alii vero, qui ante tranſierunt mare, promiſerunt Boamundo, quod eum expectarent in Bulgaria. Ipſe autem eis promiſit, quod quicquid illi perderent in exſpectatione illa, libenter eis redderet.

VIII. Poſtquam vero illi cognoverunt dominum Boamundum transfretaſſe, venerunt feſtinanter ad eum ad Ebelonam in omnium Sanctorum feſtivitate. Hi omnes quos ſuperius commemoravi, transfretaverunt ad domini concorditer Boamundi famulatum, & applicuerunt in Bulgariæ partibus. Illic invenerunt nimiam abundantiam frumenti, & vini, & alimenti corporalis. Deinde vero deſcendentibus in valle Andronopoli,

& illic

poli, & illic applicando exſpectaverunt gentem ſuam, donec omnes æqualiter tranfretaverunt. Tunc ſapiens Boamundus ordinavit conſilium una cum gente ſua, ſuoſque confortabat, & ammonebat dicens: Viri prudentes abſtinete vos à malo. Nos ſumus peregrini Dei: oportet nos modo eſſe bonos, & humiles pluſquam antea fuimus. Et nolite deprædare terram iſtam, quia Chriſtianorum eſt; & nemo accipiat pluſquam ei quod ſufficiat ad edendum pro benedictione.

IX. Tunc exeuntes venerunt per nimiam plenitudinem de villa in villam & caſtello in caſtellum, & de civitate in civitatem, quouſque pervenerunt Caſtoriam, ibique Nativitatem Domini ſollemniter celebrarunt. Fuimuſque ibi per plures dies, & quæſivimus mercatum: ſed ipſi noluerunt dare nobis, eo quod valde timebant, & dicebant nos non eſſe peregrinos, ſed putabant nos velle illorum capere terram, & illos occidere. Deinde cœpimus apprehendere boves, & aſinos, & equos, & omnia, quæ inveniebamus. Egreſſi itaque de Caſtoria, intravimus in Palagoniam, in qua erat quoddam hæreticorum caſtrum: nobis vero undique aggredientibus illud in lacu, ubi ædificatum fuerat, continuo noſtro ſuccubuit imperio. Accenſo itaque igne combuſſimus caſtrum illud una cum habitatoribus ſuis, ſcilicet hæreticorum congregationem.

X. Poſtea venimus ad flumen Bardarum. Itaque cum domino Boamundo ultra gens ſua partim perrexit, & partim remanſit. Illic invenimus innumerabilem abundantiam. Remanſit autem ibi Comes de Ruſcignolo una cum fratribus ſuis. Venit itaque exercitus execrati Imperatoris, & invaſit comites cum fratribus ſuis, & alios omnes. Quod audiens prudentiſſimus miles Tancredus, regreſſus eſt retro, & projecit ſe in flumen, & natando pervenit ad alios, & duo milia milites miſerunt ſe in flumen poſt eum, ſequendo Tancredum. Noviſſime invenit Turcopolos, & Pizzinacos dimicantes ſimul cum noſtris; quos repente fortiter invaſit, & prudenter eos ſuperavit, & apprehendit plures ex eis, & duxit illos ligatos ante domini Boamundi præſentiam. Hos allocutus vir ſapiens Boamundus dicens: Quare miſeri occiditis gentem Chriſti, & meam? Ego enim cum veſtro Imperatore nullam altercationem habeo. Qui dixerunt: Nos nequivimus aliud agere. Donativo in roga profani Imperatoris conducti ſumus; & quidquid nobis imperat, oportet nos illud adimplere. Quos dominus Boamundus audiens, abſque

ulla punitione permiſit abire. Hoc bellum factum eſt in quarta feria, quæ eſt caput jejunii, unde ſit per omnia benedictus Deus in ſæcula, amen.

XI. Mandavit itaque infelix Imperator, ſcilicet filius perditionis, ſimul cum nuntiis noſtris unum ex ſuis, quem valde diligebat, quem & Chorpalaſium vocabat, ut nos ſecure deduceret per terram ſuam, uſque dum perveniſſemus Conſtantinopolim. Cumque veniſſemus ante eorum civitates, imperabat hominibus civitatum, ut nobis ſecure apportarent mercatum. At illi certe tantum timebant fortiſſimi Boamundi gentem, quod nullos noſtrorum ſinebant intrare civitatis murum; volueruntque noſtri majores quoddam caſtrum aggredi, & apprehendere, eo quod nimis erat plenum omnibus bonis. Sed vir ſapiens Boamundus noluit conſentire pro juſtitia terræ & fiducia Imperatoris, & valde iratus eſt propter hoc cum Tancredo & aliis omnibus. Hoc factum eſt in hora veſperi. Mane autem facto exierunt habitatores illius caſtri, & venerunt cum proceſſione, & omnibus dicentibus * *Kyrieleiſon*, deferentes in manibus cruces coram domini Boamundi conſpectu. Ipſe vero gaudens recepit eos, & cum maxima lætitia permiſit abire. Deinde pervenimus ad quamdam civitatem, quæ vocabatur Serra, ibique noſtra fiximus tentoria; & ſat habuimus omnem mercatum, quod in illis diebus conveniens erat: ibique doctus Boamundus optime concordatus eſt cum duobus Chorpalaſiis: & pro amicitia iſtorum & juſtitia terræ juſſit reddi omnia animalia, quæ noſtri peregrini deprædata tenebant, & Chorpalaſiis illis promiſerat retro miſſis mandare, & omnia illa animalia per ordinem reddi. Ac deinde pervenimus de caſtello in caſtellum, & de villa in villam, uſque dum appropinquavimus ad Ruſſam civitatem. Græcorum autem gens exibat, & veniebat gaudens coram domini Boamundi præſentia, deferens nobis maximum mercatum, ibique noſtros tendimus papiliones in tertia feria ante Cœnam Domini: ibique doctus Boamundus dimittens gentem ſuam, perrexit Conſtantinopolim loqui ſimul cum iniquiſſimo Imperatore; ſuiſque hominibus imperavit dicens: Modeſte properate ad civitatem, ego autem ibo prius. Qui eduxit ſecum paucos milites.

* *ſic*

XII. Tancredus igitur honorabilis miles remanſit caput ejus Chriſti militiæ. Qui videns peregrinos cibos emere, ait intra ſe, quod exiret extra viam, & hunc populum conduce-

ret ubi feliciter viveret. Denique arbitrans hoc, intravit in vallem quamdam plenam atque ſtipatam omnibus bonis, & omnibus ubertatibus, quæ corporalibus nutrimentis ſunt convenientia : in qua Paſcha Domini devotiſſime celebraverunt.

XIII. Poſtquam iniquus Imperator cognovit honeſtiſſimum virum Boamundum ad ſe veniſſe, juſſit eum honorabiliter recipi,& cautiſſime hoſpitari extra civitatem in Sancto argenteo. Cumque feliciter hoſpitatus eſſet, tunc malignus Imperator mandavit pro eo, ut iret loqui ſimul ſecrete cum eo. Illic quoque invenit ducem Gottifredum cum fratre ſuo Balduino. Raymundus itaque comes ſancti Ægidii ſimul cum Podienſi Epiſcopo exiens de Sclavonia, in qua multa pro Chriſti nomine & ſancti Sepulcri via fuerunt paſſi, quæ minime pati deberent, in qua etiam plures honeſtiſſimos milites perdiderunt; pervenit Durachium, quæ civitas Imperatoris eſt, credens jam eſſe in terra ſua, quandoquidem de Sclavorum evaſerat manu. Græcorum autem gens inſidians iſtis prudentiſſimis Chriſtianis militibus Chriſti, quocumque modo eis nocere, aut offendere poterat, in die & in nocte, latenter & occulte, non deſinebat. Erat autem ibi Dux illius civitatis, qui continuo eis fiduciam, quouſque in terra ſua eſſent, læta facie ſpopondit. Intra iſtam vero fiduciam, quam eis dono conceſſit, ejus homines fraudolenter ex noſtris interfecerunt quemdam egregium militem, cui nomen Pontius; Raynaldum quoque fratrem ejus vulneraverunt graviter. Interea cœperunt illi ſtatim carpere iter, & obviaverunt Imperatoris litteris de pace & fraternitate danda, ſicuti ſuis filiis.

XIV. Interim dum hæc recitarentur; Turci, & Piccinaci, & Comani, & Sclavi, & Athenaſi, & Uſi erant inſidiantes illis undique, videlicet ut in aliqua parte eos lædere poſſent. Quadam autem die dum Podienſis Epiſcopus hoſpitatus eſſet, contigit forte quod à Piccinacis captus eſſet. Qui continuo ejecerunt eum de mula in qua ſedebat, eumque exſpoliaverunt, & in vertice capitis eum vulneraverunt. Sed quia tantus Pontifex adhuc populo Dei erat neceſſarius, per ejus miſericordiam vitæ reſervatus eſt. Interea ſonum audiunt in tentoriis, cucurrerunt omnes ad eum,& ſine mora eripuerunt eum de manibus illorum. Taliter itaque pervenientibus illis ad quoddam caſtrum, quod vocabatur *Bucinat*, dictum eſt Comiti, quod Piccinaci inſidiabantur ei in anguſta via cujuſdam montis. Qui remanſit

retro cum pluribus militibus, & invenit Piccinacos: unam partem illorum occidit, & aliam perſecutus fugavit.

XV. Interea Imperator mittebat litteras ſuas ad illos pacifice, ex alia vero parte exercitus ſuus undique inſidiabatur illis. Tandem pervenerunt ad quamdam civitatem, nomine Ruſſam. Cives autem illius civitatis aperte quidquid nocendi ingenio agere poterant, contra illos faciebant. Cumque vidiſſet hoc Comes, iratus eſt valde, & juſſit milites arripere arma, & ſua ſonare ſigna, & oppugnaverunt civitatem, & mirabiliter eam ſuperaverunt. Deinde pervenerunt ad aliam civitatem, cui nomen Rodeſto. Die autem illo milites Imperatoris invaſerunt illos retro in cauda: cum quibus Comes prœliatus fuit, & interfecit triginta ex illis, & ſexaginta equos cœpit: & multa alia bella ſive anxietates habuit Comes, & multos milites perdidit, quæ non poſſumus ſcribere per ſingula.

XVI. Veneruntque illuc illorum legati, quos Conſtantinopolim quondam præmiſerant, dicentes quod Imperator promitteret illis omnia eorum perdita diligenter reddere, priuſquam Conſtantinopolim pervenirent; & quod dux Gotfridus, & Boamundus, & Flandrenſis Comes, & omnes alii Principes, & Comites deprecarentur, ut maximum dimittant exercitum, & cum paucis militibus, & ſine armis feſtinent venire Conſtantinopolim, quoniam Imperator aſſumpta cruce ait ſe venturum nobiſcum in Jeroſolymitanum iter, & erit noſter dux, & noſtrum caput. Dum vero Comes audiret hoc, ilico dimiſit ſuum exercitum, & properavit Conſtantinopolim loqui cum Imperatore. Cui dixit Imperator, quod ejus homo ſe fieret, & fiduciam ejus faceret, quemadmodum Boamundus, & alii Principes faciebant. Dixitque Comes: Abſit hoc a me, ut in hac via nullum dominum mihi faciam niſi Chriſtum, quem habeo dominum, pro cujus amore huc uſque veni. Si vero crucem diligenter bajulare vis, & nobiſcum vis Jeruſolymam venire; ego & mei homines, & omne quicquid in mea contineo poteſtate, in tua libera erit voluntate.

XVII. Interea cum Comes eſſet Conſtantinopoli, veniens exercitus Imperatoris inſidiando, & invenit exercitum Comitis ſolum, quem invaſit fortiter, & læſionem, quam ei facere potuerant, fecerunt. Cumque audiſſet Comes, quod exercitus Imperatoris læſiſſet ſuum exercitum, ingemuit; & nimis dolens ſtatim advocavit dominum Boamundum, & alios Prin-

cipes: mandavitque Imperatori, cur cauſa traditionis eum Conſtantinopolim venire feciſſet, & ſuum exercitum lædi conſenſiſſet. Quod Imperator audiens, hoc negavit dicens: Certe non per meum conſilium hoc factum eſt, & me ſciente nulla læſio fuit inter eos. Sed hoc ſatis ſit, quoniam exercitus tuus damnum mihi operatus eſt, & caſtella, & civitates in mea diſſipaverunt terra: tamen de hoc quod tibi factum eſt, ſatisfactionem fideliter concedo. Cum autem veniſſent ad judicium, Comes primus promiſit, & abſolvit ſuam fiduciam. Et cum fuiſſet abſoluta fiducia ſua, exercitus ejus venit Conſtantinopolim. Mandavit itaque Imperator Comiti, ſicut ſuperius diximus, quod faceret ei hominium & fiduciam, quemadmodum ei fecerunt alii. Et dum Imperator mandaret, Comes meditabatur qualiter vindictam de Imperatoris exercitu habere potuiſſet. Sed dux Gottifredus, & Flandrenſis Comes, & alii Principes dixerunt, injuſtum eſſe contra Chriſtianos pugnare. Et dominus Boamundus dixit, quod ſi aliquod injuſtum Comes ab Imperatore paſſus eſſet, ei faceret emendare ex Imperatoris parte.

XVIII. Igitur Comes accepto conſilio, Alexio vitam & honorem juravit, quod nec per ſe, nec per alium ei conſentiat auferre. Cumque de hominio appellaretur, reſpondit non ſe pro capitis periculo id eſſe facturum. Fortiſſimo autem viro Boamundo dixit Imperator, quem valde timebat in corde, quia jam ſæpe eum cum ſuo exercitu ejecerat de campo: quod ſi libenter ei juraſſet, quindecim dies terræ in longitudine ab Antiochia retro daret, & octo in latitudine: eique tali modo juravit, ut ſi ille fideliter obſervaret illud ſacramentum, iſte ſuum numquam præteriret. Nec eſt mirum, quod ante tam duri, & ante tam fortes milites hoc fecerunt: multa enim coacti erant neceſſitate. Et ſceleratus Imperator omnibus nobis majoribus, ſive minoribus fidem & ſecuritatem dedit, volens nolenſque ſacramentum juravit, quia veniret nobiſcum pariter cum ſuo exercitu per terram & mare, & nobis mercatum per terram & mare fideliter daret, & omnia noſtra perdita diligenter reſtauraret: inſuper autem quod nemo noſtrorum peregrinorum numquam ab eo penitus conturbari, vel contriſtari debuiſſet in via ſancti Sepulcri.

XIX. Comes autem ſancti Ægidii hoſpitatus erat extra civitatem in burgo, & ſua gens remanſerat retro. Tunc gens

domini Boamundi appropinquavit Conſtantinopolim. Tancredus itaque honorabilis miles, & Richardus de Principatu latenter tranſmeaverunt Brachium, & omnis gens domini Boamundi juxta illos ideo ne facerent jusjurandum Imperatori. Statimque omnis exercitus domini Boamundi tranſvectus fuit, item exercitus Comitis ſancti Ægidii, qui appropinquavit Conſtantinopolim. Comes remanſit ibi cum ſua gente. Vir autem prudens Boamundus remanſit cum Imperatore, ut conſilium cum eo acciperet, quomodo mandarent mercatum ultra gentibus, quæ erant apud * Nicomiam civitatem. Dux itaque Gottifredus ivit prius Nicomiam cum univerſo exercitu, & cum Tancredo, & aliis omnibus: fueruntque ibi per tres dies. Vidit namque Dux Gottifredus quod via patebat, per quam has potuiſſet conducere gentes uſque Nicæam civitatem, quoniam per illam viam, per quam alii prius tranſierunt, non poterat modo tanta gens tranſire. Ipſeque miſit ante ſe tria milia hominum cum ſecuribus & gladiis, qui inciderent, & aperirent hanc viam, ut patefacta ſtaret noſtris peregrinis uſque Nicæam civitatem; quæ via fuit aperta per anguſtam & immenſam montaneam, & faciebant per viam cruces ferreas atque ligneas, ut eas noſtri Peregrini cognoſcerent.

* ſic

XX. Interea pervenimus ad civitatem, quæ vocatur Nicæa, quæ eſt caput totius Romaniæ, in ſexto die menſe Maii, ibique caſtrametati ſumus. Prius vero quam dominus Boamundus veniſſet, ubi nos eramus; tanta inopia panis fuit inter nos, quod unus panis vendebatur viginti denariis, aliquando triginta. Poſtquam vero venire cœpit vir prudens Boamundus, juſſit maximum mercatum conduci per mare, & per terram pariter; & fuit maxima ubertas in tota Chriſti militia. Tunc Raymundus comes ſancti Ægidii transfretavit Brachium, & in die Aſcenſionis Domini cœpimus Nicæam civitatem circumquaque invadere, & ædificare inſtrumenta lignorum, atque turres ligneas, ut poſſemus mirabiles turres ſternere. Tam fortiter & tam acriter aggreſſi fuimus civitatem per duos dies, quod etiam perfodi fecimus civitatis murum. Turci autem qui erant in civitate miſerunt nuncios aliis, qui veniebant civitati adjutorium dare, quod audacter ſecureque approximent, ut per meridianam introeant portam, quoniam ex illa parte nemo erit eis obviam, nec contra ſtabit. Quæ porta ipſo die a Comite ſancti Ægidii, & Podienſi Epiſcopo obſeſſa fuit,

videlicet in die ſabbati poſt Aſcenſionem Domini. qui Comes protectus erat divinis virtutibus, atque terrenis fulgebat armis. Hic itaque inveniens contra nos venientes Turcos undique, ſigno crucis armatus vehementer irruit cum ſuo fortiſſimo exercitu ſuper illos. Qui mox ſuperati ſunt, & dederunt fugam, & fuit mortua maxima pars illorum. Rurſum alii veniebant de nuntio fugientium, & exultantes ad certum bellum, ferentesque ſecum funes, quibus nos ligatos conducerent Coroſanum. Venientes autem lætando cœperunt ex cacumine montis paulatim deſcendere. Quotquot autem deſcenderunt in vallem illam, cæſis capitibus a Francorum manibus remanſerunt. Delatis itaque a tentoriis eorum capitibus, projecerunt noſtri illa cum fundis ſeu aliis inſtrumentis in civitatem, unde magis triſtarentur illi qui intus erant.

XXI. Comes ſancti namque Ægidii, & Podienſis Epiſcopus conſiliati ſunt in unum, qualiter facerent ſuffodere quamdam turrim, quæ erat ante eorum tentoria. Ordinatique ſunt omnes ut hanc foderent turrim, & arbaliſtæ, & ſagittarii, ut eos undique defenderent. Foderunt itaque illam uſque ad radicem muri, ſummiſeruntque fuſtes & ligna, ac deinde miſerunt ignem. Sero autem ſuperveniente, cecidit turris, & illi qui in ea erant: ideoque quia nox erat, non potuerunt noſtri prœliare cum illis. Nocte vero ſurrexerunt feſtinanter Turci, & reſtauraverunt murum tam forte, quod veniente die ex illa parte nemo eis nocere poterat. Tunc venit Robertus comes de Normannia, & comes Stephanus, & alii plures, ac deinceps Rogerius de Barnavilla: ſapientiſſimus autem Boamundus obſedit eam in primo capite juxta lacum, & poſtea Tancredus, & juxta eum dux Gottifredus, ac deinde Robertus comes Flandrenſis, & juxta eum Robertus Normannus. Comes vero ſancti Ægidii obſedit eam juxta Robertum Normannum, & juxta eum Podienſis Epiſcopus ex alia parte laci. Unuſquiſque fecit ſuum caſtrum ligneum, effregerunt turres civitatis cum ſuis machinis atque ingeniis.

XXII. Statimque conſiliati ſunt Principes noſtri in unum, uti legatos in Babyloniam conſilio Imperatoris mandarent Ammirario. Elegerunt continuo hos, Ugonem de *Bellæfayre*, & Bertrannum de Scabrica, & Petrum de Picca ejus cappellanum. Vocatis vero iſtis dederunt eis verba in hunc modum. Ite in protectione Dei per mare in Babyloniam, ad Ammirarium

noſtras ferte litteras, ſcilicet ſalus, vita, & immenſus honor? Sciat ille quod omnes Francorum Principes Jeroſolymorum inſimul veniunt itinera & viam ab impiorum liberare manibus paganorum, illoſque prudentiſſime ejicere de Chriſtianorum terra. Videat ergo qualiter erga nos agere vult, aut Chriſtianitatem recipere, & eſſe una nobiſcum ut frater atque amicus; aut ſi paganorum vult amicitiam habere, & obviam nobis ad bellum exire.

XXIII. Ita vero obſeſſa fuit Nicæa civitas per terram, quod nemo audebat exire, neque intrare. Fueruntque ibi omnes congregati in unum. Et quis poterit numerare tantam Chriſti militiam? Nullus, ut puto, tot prudentiſſimos milites antea vidit, nec ulterius videbit. Erat autem ex una parte civitatis immenſus lacus, in quem Turci ſuas mittebant naves, & exibant & intrabant, & afferebant herbas, & ligna, & alia plura. Tunc noſtri majores conſiliati in unum, miſerunt feſtinantes nuncios Conſtantinopolim, dicendo ad Imperatorem, quod faceret naves conduci ad civitatem ubi portus erat; ac deinde jubeat congregari boves, qui eas trahant per montana & ſilvas, uſque dum pervenient ad lacum. Quod continuo factum fuit, & mandavit cum eis Turcopolos ſuos: die vero quo naves fuerunt conductæ, noluerunt eas ſtatim mittere in lacum. Nocte vero ſuperveniente impulerunt eas in lacum plenas Turcopolis bene armatis: ſummo diluculo ſtabant naves optime in lacu ordinatæ, properantes contra civitatem. Videntes hoc Turci, mirabantur quidnam hoc eſſet. Ignorabant an eſſet illorum gens, an Imperatoris. Poſtquam vero cognoverunt illam eſſe Imperatoris gentem, timuerunt uſque ad mortem, plorantes & lamentantes: ſed Franci gaudebant, & dabant gloriam Deo.

XXIV. Videntes autem Turci, quod ex ſuis nullatenus habere adjutorium poſſent, legationem mandaverunt ſpurciſſimo Imperatori, quod ſponte civitatem redderent ei, ſi eos impunitos omnimodo abire permitteret cum ſuis mulieribus, & filiis, & omnibus ſubſtantiis. Tunc infideliſſimus Imperator plenus vana atque iniquiſſima cogitatione, juſſit illos impunitos, & ſine ullo timore abire, & ſibi eos Conſtantinopolim cum magna fiducia deduci. Quos ſtudioſe ſervabat, ut illos ad Francorum nocumenta atque obſtacula paratos habere poſſet. Promiſerat ante Alexius Principibus & genti Francorum

corum, quod totum aurum, & argentum, & equos, & omnem ſupellectilem, quæ intus erat, eis daret; & monaſterium latinum, & hoſpitium pauperibus Francorum ibi faceret; præterea tantum de propriis unicuique de exercitu daret, ut illi ſemper militare vellet. Hæc igitur Franci ſperantes verba fideliſſima, deditionem laudaverunt. Alexius autem accepta civitate, tam in gratiam actionem dedit exercitui, quod quamdiu vixerit, aliquis de ſancto populo ſemper ei maledicat, & proditorem clamet. Fuimus in obſeſſione illa per ſeptem hebdomadas, & multi ex noſtris ibi fideliter receperunt martyrium, lætantes atque gaudentes reddiderunt felices animas Deo, & ex pauperrima gente multi mortui ſunt fame. Et beati qui mortui ſunt pro Chriſti nomine, qui in cælum triumphantes aſcenderunt, portantes ſtolam rubeam martyrii, & magna voce dicentes: Vindica Domine ſanguinem noſtrum, qui pro te effuſus eſt, qui es benedictus, & laudabilis in ſæcula ſæculorum, amen.

XXV. Reddita civitate, & Turcis deductis Conſtantinopolim, infelix Imperator maxime gaviſus juſſit maximas eleemoſynas erogari noſtris pauperibus. Deinde primo die quo perreximus a Nicæa, venimus ad quemdam pontem, ibique manſimus per duos dies. Tertia autem die priuſquam lux cœpiſſet oriri, ſurrexerunt noſtri: & quia nox adhuc erat non viderunt... viam, ſed diviſi ſunt in duo agmina, & venerunt diviſi per duos dies. In uno agmine fuit vir Boamundus, & Robertus Normannus, & prudens Tancredus, & alii plures: in alio vero fuit Raymundus Comes ſancti Ægidii, & Dux Gotfredus, & Podienſis Epiſcopus, & Comes Flandrenſis, & alii plures. Tertia autem die irruerunt Turci vehementer ſuper Boamundum, & eos qui cum eo erant. Cumque vidiſſent inimici Dei Turci noſtros, continuo cœperunt ſtridere, & garrire atque clamare excelſo clamore, dicentes diabolicum ſonum, quem neſcio pro extranea lingua eorum.

XXVI. Tunc ſapiens vir Boamundus videns innumerabiles Turcos procul ſtridentes, & clamantes dæmoniaca voce, protinus juſſit omnes equites deſcendere de equis, & cum celeriter tentoria fuiſſent extenſa, dixit omnibus militibus: O fortiſſimi Chriſti milites, ecce modo bellum acre eſt ante nos. Igitur omnes equites eant viriliter contra illos, & pedites prudenter tentoria hac citius extendant. Poſtquam vero factum eſt, Tur-

ci undique jam erant circumcingentes nos dimicando. Nos itaque, quamquam nequibamus reſiſtere eis, neque ſufferre pondus tantorum hoſtium; tamen perſtrinximus illic unanimiter gradum, feminæque noſtræ in illa die fuere nobis in maximum ſubſidium: quoniam afferebant ad bibendum aquam noſtris prœliatoribus, ſemperque confortabant illos pugnantes, & defendentes. Vir itaque ſapiens Boamundus protinus mandavit aliis, ſcilicet Comiti de ſancto Ægidio, & Duci Gottifredo, & Ugoni Magno, & honeſtiſſimo Podienſi Epiſcopo, & aliis militibus, quod feſtinarent ad bellum, & citius approximarent, dicens: Si certare hodie volunt, atque præliari viriliter, veniant. quod omnimodo non credentes, prohibentes, & deludebant nuncios, dicentes: Profecto hoc falſum eſt totum. nam non credebant jam Turcos eſſe tam imprudentes, quod ulterius auderent ſe ſe erigere, & prœliari cum Chriſtianis.

XXVII. Dux itaque Gottifredus, audax & fortis, ſimul cum Ugone Magno venerunt prius cum ſuis exercitibus: Epiſcopus Podienſis illos ſubſecutus eſt cum ſuo exercitu; & Raymundus Comes de ſancto Ægidio juxta illos cum magna gente. Mirati ſunt valde, unde eſſet collecta tam maxima multitudo Turcorum, & Arabum, & Sarracenorum, & aliorum quos numerare nequibant. Pæne omnes montes & colles, valles, & omnia plana loca replebantur, & cooperiebantur illis execrabilibus generationibus. Factus itaque ſermo ſecretus inter nos hujuſcemodi: Eſtote omni modo unanimes in fide Chriſti, & ſanctæ crucis vexilli victoria, quia hodie omnes divites, ſi Deo placet, effecti eritis. Continuo autem fuerunt ordinatæ acies in ſiniſtra parte: videlicet in primo capite fuit ſapiens Boamundus, & Robertus Normannus, & prudens Tancredus, & Robertus de Anſa, & inclitus Riccardus de Principatu, & fortiſſimus atque honorabilis ſignifer Robertus filius Girardi. Epiſcopus vero Podienſis venit per alteram montaneam, undique circumcingens Turcos. In dextra vero parte fuit Raymundus Comes de ſancto Ægidio, & Dux Gottifredus, & Flandrenſis Comes, & Ugo Magnus, & alii plures, quos ignoro. ſtatimque venientibus militibus noſtris Turci, & Arabes, & Sarraceni, & Agulani, & omnes aliæ barbaræ nationes, ceperunt velociter fugam per compendia montium, & per plana loca. Erat autem numerus Turcorum, & Perſarum, & Agulanorum tricenti quadraginta milia præter Arabes, quorum

numerus ſcit ſolus Deus: fugientibus nimis uſque ad eorum tentoria, ubi diu morari non licuit, ſed iterum arripuerunt fugam, noſque illos perſequebamur, & occidebamus per totum diem. Tres itaque milites perſequentes illos, ſedebant ſuper albos equos, & in ſuis manibus candentia deferebant vexilla cum crucibus, & devaſtabant Turcos cum equis eorum. Credenda eſt iſta veritas, & nullo modo eſt prohibenda, quia per tres dies invenerunt noſtri poſtea occiſos Turcos, & illorum equos. Hoc vero firmatum eſt teſtimonio eorumdem Turcorum, qui vivi remanſerunt. Iſti vero fuerunt Chriſti milites, quorum nomina ſunt hæc, ſanctus Georgius, ſanctus Demetrius, & Theodorus, quos omnipotens Deus mandavit in adjutorium populo ſuo. Et nos accepimus ſpolia multa, aurum, & argentum, equos, & mulos, camelos, & aſinos, oves, & boves, & plurima animalia, quæ ignoramus. Sed niſi Dominus eſſet nobiſcum in eo bello, & cito non mandaſſet aciem ſuam, nullus noſtrorum penitus evaderet: quia ab hora tertia uſque in horam nonam perduravit hæc pugna. Sed omnipotens Deus, pius & miſericors, qui noluit ſuos milites perire, nec in manus inimicorum incidere, feſtinum nobis adjutorium mandavit.

XXVIII. Fuerunt itaque illic mortui duo ex noſtris honorabiles milites, Goffridus de Monte-ſcabioſo, & Guilielmus Marchuſi filius frater Tancredi, præter alios equites & pedites, quorum numerus fuit multiplex. Audiens itaque vir prudens Boamundus illos honorabiles milites mortuos, valde doluit. Plorabat autem ſuper ſuum germanum, ſcilicet Guilielmum, & flebat de alio, quem nimis habebat carum. Quis umquam poterit deſcribere audaciam, & fortitudinem Turcorum? ſed tamen qui putabant gentem Francorum terrere minis ſagittarum, vel attriverant Arabes, & Sarracenos, & Surianos, Armenios, & Græcos, nec potuerunt reſiſtere Francis, nec, ſi Deo placet, in poſterum valebunt. Verumtamen dicunt ſeſe eſſe de Francorum generatione, & quod nullus homo debet eſſe naturaliter miles niſi Francus, aut Turcus. Veritatemque dicam per omnia, quam nemo audebat refellere: profecto ſi in fide Chriſti ſemper firmi fuiſſent, & unum Deum in Trinitate manentem, natum Dominum Chriſtum de Virgine matre, & paſſum, & reſurgentem a mortuis tertia die, & in cælum triumphando ſuis cernentibus diſcipulis, aſcendentem, in cælo & in terra æqualiter regnantem recta mente & fideli crederent, pru-

dentiores eis aut fortiores in bello numquam inveniri poſſent. Factum eſt autem hoc bellum in Kal. Julii. Benedictus trinus, & unus Deus ſit, qui ubique dedit victoriam populo ſuo. amen.

XXIX. Poſtquam vero Turci, inimici Dei & ſanctæ Chriſtianitatis, per omnia jam eſſent devicti, & per quatuor dies & noctes fugientes huc & illuc, contigit dum Solimanus dux illorum, Solimani veteris filius, de Nicæa fugeret, ut quodam die inveniret decem milia Arabum. qui dixerunt ei: O infelix & miſerrime omnium gentilium, cur tremefactus adhuc fugis? Solimanus lacrymabiliter inquit: Olim cum habuiſſemus omnes Francos devictos, eoſque putabamus habere in captivitate ligatos, dummodo paulatim vellemus lucrari ad invicem, reſpiciens retro vidi tam innumerabilem gentem eorum, quod ſi veſtrum aliquis illic adeſſet, putaret quod omnes montes, & colles, & valles, & omnia plana loca undique plena eſſent illorum multitudine. Nos igitur illos cernentes, ſtatim cœpimus carpere repentinam fugam, timentes mirabiliter; & vix evaſimus de illorum manibus. Unde adhuc in nimio terrore ſumus, & ſi mihi, & meis verbis vultis credere, auferte vos hinc: quia ſi potuerint ſolummodo ſcire ubi nos ſimus, unus ex nobis vix amplius vivet. At illi audientes talia, cœperunt retrorſum vertere ſcapulas, & ſe ſe expandere per univerſam Romaniam. At nos veniebamus perſequendo iniquiſſimos Turcos cotidie fugientes ante nos. ſed illi dum ſurgerent ad caſtra, quaſi amplificabant, ſive civitates fingendo, & deludendo habitatores illarum terrarum dicebant: Nos ita dejecimus Chriſtianos omnes, quod nullus eorum umquam audebit ſe erigere contra nos. Permittite nos locum veſtrum intrare. Intrantes autem exſpoliabant eccleſias, domos, & alia omnia; & ducebant ſecum equos, & aſinos, aurum, & argentum, & omnia, quæ reperire poterant. Adhuc quoque & Chriſtianorum filios ſecum adducebant, & devorabant, quæ forent nobis convenientia ſive utilia, fugientes & paventes ante faciem noſtram. Nos itaque perſequebamur illos per deſertam, & inaquoſam atque inhabitabilem terram, ex qua vix vivi exivimus; quoniam fames, & ſitis undique coartabant nos; nihilque penitus nobis erat ad manducandum, niſi forte ſpicæ, quas vellebamus manibus noſtris. De tali cibo quam miſerrime vivebamus. Illic fuit mortua maxima pars noſtrorum equorum, propter quod multi ex noſtris equitibus remanſerunt pedites,

& pro indigentia equorum utebantur bubus vice caballorum, & pro nimia neceſſitate ſubpeditabant nobis hirci, & arietes, & canes, portantes res noſtras.

XXX. Interea cœpimus intrare in optimam terram plenam deliciis, & corporalibus alimentis & omnibus bonis. Hic Comes ſancti Ægidii aliquantulum exercitum retardavit cauſa infirmitatis ſuæ. quod dicturi ſumus, ſi incredulo ingratum ſit: nos tamen ſatis cognovimus, quod divina clementia operata eſt; ideoque reticere non debemus. Erat quidam Comes in noſtro exercitu de Saxonia, qui ad viſitandum Comitem Raymundum venit, & legatum ſe ſancti Ægidii aſſerebat, & ſemel & ſecundo ammonitus ab eo ut diceret Comiti, Eſto ſecurus, non morieris de hac infirmitate. Ego enim a Domino indutias impetravi; ego ſemper ero tecum. Et licet hæc Comes bene crederet, tamen ita ex ea infirmitate affectus fuit; ut depoſitus de lecto in terram, vix etiam vitalem pulſum haberet. Unde Epiſcopus Auraſicæ urbis officium quaſi defuncto ei impendit. Sed Dei clementia, qui eum ducem præfecerat exercitus ſui, de illa ægritudine mortali eum ilico relevavit, & ſoſpitati reddidit.

XXXI. Ac deinde appropinquavimus Iconiam. Habitatores autem illius civitatis præmonuerunt, & perſuaſerunt nos, ut ferremus nobiſcum utres plenos aqua, quia illic in itinere diei unius eſt maxima penuria & paupertas aquæ: in quo itinere multi ex noſtris peregrinis mortui ſunt. Nos vero itaque facientes conſenſimus eorum conſiliis, donec pervenimus ad quoddam flumen; ibique hoſpitati fuimus per duos dies. Cœperunt autem præcurſores noſtri anteire, donec pervenerunt ad Heracleam, in qua erat nimia Turcorum congregatio, exſpectans, atque inſidians, ſi quo modo poſſet Chriſti militibus nocere & contriſtare. Quos Turcos poſtquam milites omnipotentis Dei repererunt, audacter invaſerunt. Superati itaque ſunt Deo annuente inimici noſtri in illa die, danteſque ſcapulas retro tam celeriter fugiebant, quantum ſagitta, quando dividit ſe ab ictu chordæ. Nos igitur intravimus ſtatim civitatem, atque manſimus illic per quatuor dies. Illic vero ab aliis diviſit ſe Tancredus honorabilis miles Marchiſi filius, & Balduinus frater Ducis Gottifredi, & inſimul intraverunt in vallem de *Botentroth*. Diviſit ſe rurſum Tancredus, & venit Tharſum ſolummodo cum ſuis hominibus; exieruntque Turci de ci-

vitate, & venerunt obviam eis, atque in unum congregati præparaverunt ſe ad bellum contra Chriſtianos. Appropinquantes itaque noſtri inſimul pugnaverunt: ſtatim inimici noſtri fugam fecerunt, revertentes in civitatem celeri greſſu. Tancredus autem, vir prudens atque honorabilis Chriſti miles, perſequens illos nimis velociter, laxatis loris caſtrametatus eſt ante portam civitatis. Ex alia parte venit Balduinus Comes cum ſuo exercitu, poſtulans & deprecans Tancredum acerrimum militem, quatenus eum amiciſſime in civitatis ſocietatem recipere dignaretur. cui ait Tancredus: Te omni modo in hac ſocietate non recipio. Nocte itaque ſuperveniente tremefacti ſunt omnes Turci, & una arripuerunt fugam. Exierunt ergo habitatores civitatis ſub ipſa noctis obſcuritate, clamantes, atque dicentes excelſa voce: Currite invictiſſimi Franci, currite, quia Turci exterriti veſtro timore omnes pariter receſſerunt. Recedente autem nocte, cum lux cœpit paulatim ſurgere, venerunt civitatis majores, & reddiderunt ſponte civitatem, dicentes illis, qui ad invicem litigabant: Deſinite modo, deſinite, quia illum volumus, & petimus dominari ſuper nos. qui etiam viriliter pugnavit cum Turcis. Balduinus itaque Comes altercans, & litigans cum prudentiſſimo Tancredo, dicebat: Intremus pariter, & exſpoliemus civitatem; & quod prius poteſt capere capiat. Cui obſtabat prudentiſſimus Tancredus, dicens: Abſit hoc a me. ego Chriſtianus nolo exſpoliare homines iſtius civitatis. eligunt me eſſe illorum dominum, meque habere deſiderant. Noviſſime vero nequivit vir prudens Tancredus diu luctari ſimul cum Boamundo Comite, quia illi major erat exercitus. Tamen volens nolenſque dimiſit eum, & viriliter receſſit cum ſuo exercitu. Fueruntque ei ſtatim deditæ duæ optimæ civitates, videlicet Athenia, & Mamiſtra, & univerſa caſtella uſque Antiochiam.

XXXII. Pars vero alia intravit in Armeniorum terram, ſitiens Turcorum ſanguinem. Tandem pervenerunt ad quoddam caſtellum, quod tam forte erat, quod ei nihil potuerunt facere. Erat autem ibi homo, cui nomen Symeon, qui in illa ortus regione, hanc petiit terram, quo eam de manibus inimicorum Turcorum defenderet. quam ſponte illi dederunt, quique remanſit ibi cum ſuo exercitu. Nos autem exeuntes inde, pervenimus feliciter uſque Cæſaream Cappadociæ. A Cappadocia vero egreſſi, venimus ad quamdam civitatem valde

pulcherrimam,&nimis uberrimam,quam paululum ante adventum noſtrum obſederant Turci per tres hebdomadas, eamque minime ſuperaverunt. Mox illa advenientibus nobis continuo tradidit ſe in noſtras manus cum magna lætitia. Hanc igitur petiit quidam miles, cui nomen Petrus, ab aliis noſtris majoribus, quatenus eam defenderet in fidelitate Dei, & ſancti Sepulcri, & illorum. cui ſtatim cum nimio amore conceſſerunt eam. Recedente autem die & nocte approquinquante, audivit bellicoſus vir Boamundus, quod Turci, qui fuerant in obſeſſione civitatis, paululum præcederent nos. Extemplo præparavit ſe ſolummodo cum mille equitibus, quatenus illos inventos diſperderet: ſed eos non potuit invenire.

XXXIII. Deinde venimus ad quamdam civitatem, in qua erat maxima ubertas, referta ſcilicet omnibus bonis, quæ nobis erant neceſſaria. Chriſtianos igitur videntes alumni illius civitatis, confeſtim dederunt ſe ſe: noſque fuimus ibi ſatis optime, atque illic maxime ſunt recuperati noſtri. Poſtea vero exeuntes, inde intravimus in diabolicam montaneam, quæ tam nimis erat alta atque anguſta, quod nullus noſtrorum audebat per tramitem ejus, aut per ſemitam, quæ in monte patebat, juxta alium ire. Illic præcipitabant ſe ſe equi & unus ſarcinarius equus præcipitabat alium. Milites ergo ſtabant undique triſtes, & dolentes, claudebant & ſtringebant manus præ nimia triſtitia atque dolore,dubitantes quid facerent de ſemetipſis, & de ſuis armis. Vendebant ergo ſuos clypeos, & loricas nimis optimas, & galeas, ſolummodo pro tribus, aut ſex denariis: qui autem vendere nequibant, ultro jactabant, & ibant. Exeuntes igitur de execrata montanea pervenimus ad quamdam civitatem, quæ vocatur *Maraſim*. Cultores autem illius civitatis exierunt lætantes obviam nobis, deferentes maximum mercatum: illicque ſat habuimus omnem copiam, ibique expectavimus donec veniret caput noſtrum, videlicet fortiſſimus miles Boamundus. Veniens itaque vir ſapiens Boamundus, ilico equitaverunt omnes noſtri equites, & applicuerunt in valle illa, ubi regalis civitas Antiochiæ ſita eſt, quæ eſt caput totius Syriæ, quam Dominus Jesus-Christus tradidit beato Petro Apoſtolorum principi, quatenus eam ad culturam ſanctæ Fidei revocaret, qui eſt benedictus in ſæcula, ſæculorum, amen.

XXXIV. Cumque cœpimus appropinquare ad pontem fer-

reum, præcurſores noſtri, qui ſemper ſolebant præcedere nos, invenerunt Turcos congregatos ad Antiochiam, qui dare eis adjutorium feſtinabant. Irruentes igitur noſtri uno corde & mente ſuper illos, cum Chriſti invocatione atque adjutorio vehementer eos ſuperaverunt. Confuſi omnes barbari, arripuerunt celerius fugam, & multi mortui ſunt ex eis in illo certamine. Noſtri igitur ſuperantes illos Deo adjuvante, illic acceperunt ſpolia multa, videlicet equos, & mulos, aſinos, & camelos onuſtos frumento, & vino & farina, & carne. Venerunt itaque proſpere noſtri, & feliciter caſtrametati ſunt ſuper ripam fluminis. Protinus equitavit vir ſapiens Boamundus, cum quatuor milibus militum, & ivit vigilare ante portas civitatis, ne forte aliquis nocte latenter exiret, aut intraret civitatem. Nihil tamen in illa nocte invenire potuit. Craſtina autem die pervenerunt uſque ad Antiochiam ad medietatem diei in quarta feria, quod eſt duodecimo Kal. Novembris, & obſedimus mirabiliter portas civitatis, quoniam in alia parte deerat nobis locus obſidendi: quia alta & nimis anguſta montanea coartabat nos: tamen totum planum viriliter obſedimus. Hæc namque civitas valde eſt pulcra, & honorabilis, & intra muros ejus ſunt quatuor maximæ montaneæ & nimis altæ: in altiori vero parte eſt caſtellum ædificatum nimis mirabile, & forte, & habet quatuordecim turres: deorſum eſt civitas honorabilis, atque conveniens, omnibuſque ornata honoribus, quæ eccleſias trecentas, & quadraginta monaſteria continet. Sub ſuo quoque jugo continet Patriarcha centum LIIII Epiſcopos. Clauditur civitas a duobus muris. Major quoque valde eſt altus, & mirabiliter latus, magniſque lapidibus compoſitus, in quo ſunt ordinatæ quadringentæ quinquaginta turres. Modis omnibus eſt illa civitas formoſa: ab oriente clauditur a quatuor magnis montaneis; ab occidente ſecus civitatis muros fluit quoddam flumen, cui nomen Farfar.

XXXV. Neque oblviſci debeo hoc, quod audientes Turci gentem Chriſtianam venire ſuper illos, atque civitatem obſidendam; continuo congregati ſunt in unum omnes majores, & ordinaverunt concilium, dicentes, ut per unamquamque portam mitterentur præcones, qui ejicerent omnes Chriſtianos, qui bellum facere poſſent extra civitatem, niſi illos qui forte abnegare Chriſtum vellent. Timebant enim valde, ne

iſti

iſti Chriſtiani venturis peregrinis civitatem traderent; ideoque juſſerunt ut eicerentur foras preſbyteri, diaconi, & monachi, & omnes pariter laici, videlicet Græci, Armeni, & Suriani, & omnes, qui arma bajulare valebant, exceptis mulieribus, & parvis infantibus. Erant autem præcones ante portas civitatis ordinati, qui circabant exeuntes Chriſtianos, ne forte aliquid auri, argentique ſecum portarent, nihilque aliud eis auferre permittebant, niſi ſolummodo viles veſtes. Patriarcham vero retinuerunt ligatum in ferreis vinculis, dicentes: Iſte ſanctus eſt, & ſi exierit, forſitan per ejus preces capiemur à Chriſtianis, qui foris ſunt. Chriſtiani vero illi ejecti fuerunt una nobiſcum deforis in obſidione, & feminæ eorum intus cum Turcis. Mulieres plorabant propter ſuos viros, & viri ſimiliter propter mulieres & infantes, ipſique mendicabant per caſtra noſtra, veniebantque omnes iſti ejecti Chriſtiani cum immenſa proceſſione ad honorabilis viri Boamundi tentorium cum prece & *Kyrieleiſon*, plorantes, & deprecantes dominum Boamundum, ne diſcederet inde prius quam civitas fieret capta, & ipſi quandoque ſuis mulieribus jungerentur, & filiis. Mox advenientibus nobis illuc, invenimus in flumine naves, quod flumen erat tam magnum, quod nullus noſtrorum tranſire poterat niſi per pontem. Illi vero ordinaverunt naves ſuper flumen, & fecerunt ingentem pontem, unde tranſibant omnes noſtri, & ibant, & veniebant ad portum, & ad montaneam, & per eum veniebant Græci & Armeni deferentes maximum mercatum. Tantum jam timebant nos Turci, qui erant in civitate, quod nemo illorum audebat offendere aliquem ex noſtris fere per ſpatium dierum quindecim.

XXXVI. Mox hoſpitati circa Antiochiam, reperimus illic de rore cæli abundantiam, videlicet vineas undique plenas, foveas plenas frumento, arbores refertas pomis jocundis ad edendum, & alia multa bona, quæ alimentis corporeis ſunt convenientia. Armeni & Suriani abnegaverunt Chriſtum, qui in civitate manebant, & ibi ſuas uxores habebant exeuntes; & oſtendentes ſe fugere, cotidie erant una nobiſcum. Illi autem ingenioſe inveſtigabant noſtrum eſſe & noſtram qualitatem, illique referebant omnia quæ videbant facta foris his qui erant concluſi. Poſtquam Turci fuerunt edocti de noſtra notitia atque facto, cœperunt paulatim extra civitatem exire, noſtroſque peregrinos anguſtiare; & non ſolum ex una parte,

ſed undique erant latentes, & inſidiantes contra nos ad mare, & ad montaneam. Erat autem non longe ab hoſte caſtellum quoddam, cui nomen Chorea, ubi congregati erant multi fortiſſimi Turci, qui frequenter conturbabant homines.

XXXVII. Audiens itaque ſapiens Boamundus, quod Turci per tot vices dilaniarent & vexarent noſtros peregrinos, nimis ingemuit. Mandavit itaque aliquantulos ex ſuis militibus, dicens: Ite in protectione Chriſti & Dei, & diligenter inveſtigate, ſi forte poteritis invenire locum, ubi illi latere ſolent. Reperto itaque loco, ubi illi nequiſſimi latebant inſidiando noſtris: qui ſubtiliter ſurgentes ubi erant reconditi inſequebantur illos. At noſtri paulatim ceſſerunt retro, ubi ſciebant eorum dominum eſſe reconditum cum ſuo exercitu. Ante vero quam liceret reverti, ubi erat acerrimus miles Boamundus, fuit mortuus Alberadus de Cagnano, & Hermannus de Cannis perdidit ſuum equum. Alii quoque veniebant fugientes, & Turci illos perſequentes, ac coartantes, uſque dum pervenirent ubi dominus illorum erat: ſtatimque cœperunt una voce clamare, & dicere: Succurre nobis, domine, ſuccurre nobis, cariſſime, ſuccurre nobis in opportuno tempore, quia ecce jam Turci ex omni parte coanguſtant & conquaſſant nos. Hoc audito ſurrexit ille ut fortiſſimus Chriſti athleta. Ilico Barbari irruerunt contra illos, quoniam noſtri erant pauci, atque omnes inſimul juncti inierunt bellum. Mortui ſunt & capti multi ex noſtris inimicis in illa die, & fuit maxima lætitia in totis caſtris noſtris Chriſtianorum. Illi autem qui vivi fuerant detenti, ducebantur ante civitatis portam, & decollabantur ibi, ut eos reſpicerent illi, qui in civitate erant.

XXXVIII. Exibant quoque alii de civitate, & aſcendebant ſupra nos in quamdam petram, & ita ſagittabant, quod ſagittæ eorum cadebant in domini Boamundi plateam: & una die quædam mulier occubuit ictu celeris ſagittæ. Congregati ſunt itaque omnes noſtri majores, & ordinaverunt concilium, dicentes: Male tractant nos cotidie inimici noſtri Turci; faciamus igitur caſtrum in vertice montis (qui mons erat ſupra exercitum honorabilis viri Boamundi) quo ſecuri atque tuti poſſimus permanere de Turcorum fortitudine. Facto itaque caſtro, quod omnes majores ad invicem vigilabant, jam jam cœperant frumentum, & vinum, & omnia alimenta corporis

nimis eſſe cara ante Domini noſtri Jesu-Christi Nativitatem. Foras penitus non audebamus exire, nihilque intra Chriſtianos invenire ad vendendum poteramus: in Sarracenorum nemo audebat intrare terram, niſi duceret ſecum maximam gentem.

XXXIX. Ad ultimum ſtatuerunt majores noſtri omnes congregati in unum concilium, quemadmodum has recte regerent gentes. Inventum itaque eſt in concilio, quatenus una pars noſtri iret diligenter adtrahere diſpendium, & ubique cuſtodire exercitum: alia quoque pars fiducialiter remaneret cuſtodire caſtra. Boamundus itaque fortiſſimus miles prius protulit ſe ante alios, & dixit: Prudentiſſimi milites, ſi vultis, & bonum honeſtumque vobis videtur, ego iturus ero una cum Roberto prudentiſſimo Flandrenſi Comite. Celebratis itaque glorioſiſſime ſollemnitatibus Nativitatis Domini in die lunis, videlicet ſexta feria egreſſi ſunt illi & alii pluſquam quinque milia milites, & pedites; & ſani & incolumes intraverunt in Sarracenorum terram. Congregati quippe erant multi Turci, & Arabes, & Sarraceni ab Jeruſalem, & Damaſco, & Aleph, & ab aliis regionibus in unum, qui veniebant ut fortitudinem Antiochiæ darent. Audientes vero iſti quod Chriſtianorum gens eſſet conducta in illorum terra, ilico paraverunt ſeſe ad bellum contra Chriſtianos, atque in ſummo diluculo venerunt in locum, in quo gens noſtra erat in unum. Diviſeruntque ſe Barbari, & fecerunt duas acies, unam aciem ante, & alteram retro, cupientes ex omni parte circumcingere nos. Egregius autem Flandrenſis Comes undique regimine fidei, atque ſigno Crucis, quam fideliter cotidie bajulans, armatus occurrit ille una cum prudentiſſimo Boamundo, irrueruntque noſtri unanimiter ſuper illos. Qui ſtatim arripuerunt fugam, & feſtinanter verterunt ſcapulas retro, & mortui ſunt multi ex illis: alii qui remanſerant vivi, velociter fugientes ierunt ex tunc uſque nunc in ira perditionis. Nos autem reverſi ſumus cum magno gaudio atque tripudio, onerati omnibus bonis, laudantes & magnificantes trinum & unum Deum, qui vivit, & regnat nunc & ſemper in ævum, amen.

XL. Factum eſt hoc prœlium in die ſancti Silveſtri, quod eſt uno die ſtante menſe Decembri. Turci vero, videlicet inimici Dei & ſanctæ Chriſtianitatis, qui erant in cuſtodia civitatis Antiochiæ, audientes dominum Boamundum & Comitem Flandrenſem in obſeſſione non eſſe, exierunt de civitate, & Anno 1098.

audacter veniebant prœliari nobiſcum. Inſidiantes itaque ex qua parte plus eſſet obſeſſio languida, ſcientes illos prudentiſſimos milites foris eſſe, invenerunt quod in una die martis poſſent lædere, & obſtare nobis. Venerunt itaque iniquiſſimi barbari cooperte, & irruerunt vehementer ſuper nos, neſcientes nos hoc bellum, atque ignorantes; occideruntque multos ex noſtris militibus & pædonibus. Epiſcopus namque Podienſis in illa amara die ſuum perdidit ſeneſcalcum conducentem, & gerentem ejus vexillum: & niſi eſſet flumen, quod erat inter nos, & illos, ſæpius invaderent nos, atque nimiam læſionem multotiens in noſtra gente feciſſent, & in noſtras laxatis frenis concurrerent tendas.

XLI. Regrediebatur autem vir prudens Boamundus ſimul cum ſuo exercitu de Sarracenorum terra, venitque in Tancredi montaneam, cogitando ſi forte inveniret aliquid quod deferre poſſet; totamque terram in expendio miſerunt. Alii invenerunt, alii vero vacui redierunt. Illi namque, qui invenire non poterant, protinus reverti feſtinabant. Tunc vir ſapiens Boamundus increpavit eos dicens: O infelix & miſerrima gens, & ô viliſſima omnium & dolentiſſima omnium Chriſtianorum, cur tam cito vultis abire? finite modo, finite, uſquequo erimus omnes congregati in unum? & nolite errare ſicut oves non habentes paſtorem, ne forte inimici noſtri inveniant nos errantes, qui diu noctuque vigilant atque excubant, ut nos ſine ullo ductore ſegregatos, atque ſolos inveniant, & nos occidere, atque in captivitatem ducere laborant. Cumque finis eſſet dictis, reſpiciens ante & retro, cum jam inveniſſet ſe undique ſolum, tamen cum illis, quos reperire potuit, ad ſuum revertit exercitum, plus vacuis quam onuſtis.

XLII. Videntes hoc Armeni & Suriani, quod noſtri penitus vacui rediſſent, nihilque ſecum deferentes; conſiliati in unum abibant per montaneas, & per præſcita loca ſubtilia, inquirentes, & deferentes frumentum & corporea alimenta, eaque ad exercitum deferebant, in quo fames erat immenſa: & vendebant, Sarraceni ſcilicet, aſini onus octo porporatis, qui appretiati erant viginti denariorum ſolidi: in qua fame quidem multi mortui ſunt ex noſtris, qui non habentes pretium unde tam carum emere potuiſſent.

Guilielmus igitur Carpentarius, & Petrus Eremita pro

immenſa infelicitate ac miſeria, quas in ſe ſciebant, inſimul conſiliati latenter receſſerunt. Quos Tancredus honeſtiſſimus miles perſequens, illos ſegregatos apprehendit, ſecumque duxit cum magno dedecore: dexteramque & fidem illi dederunt, quod libenter ad caſtra redirent, & ſatisfactionem majoribus facerent: totaque nocte Petrus Eremita, uti mala res, in tenda domini Boamundi jacuit. Craſtina autem die in ſummo diluculo venit erubeſcendo ante domini Boamundi præſentiam. Hunc alloquens vir ſapiens Boamundus prudentiſſime inquit: O infelix & infamia totius Franciæ, ô dedecus & ſcelus Galliarum, & ô nequiſſime omnium quos terra ſuffert, cur tam turpiter fugiſti? forſitan propter hoc nequam, quod voluiſti tradere hos milites Chriſti, ſicut tradidiſti alios in Hiſpania. qui omni modo tacuit, & nullus ſermo de ore ejus proceſſit. Adunaverunt itaque ſeſe omnes Francigenæ, & rogaverunt humiliter dominum Boamundum Chriſti militem, ne deterius ei fieri permitteret. At ille annuit ſereno vultu dicens: Hoc pro veſtro amore libenter conſentiam, ſi mihi corde toto & mente jurare voluerit, ita quod numquam erit receſſurus ab Jeroſolymitano itinere, ſive bono, ſive malo: & Trancredo fortiſſimo militi, neque per ſe, neque per alios ſuos amicos aliquid contrarii facere conſentiat. quod ſtatim auditis his verbis libenter conceſſit. Ipſe autem protinus dimiſit eum. Poſtea vero Carpentarius, maxima captus turpitudine, non diu moratus, iterum furtim receſſit. Hanc paupertatem atque miſeriam pro noſtris delictis conceſſit nobis habere Deus.

XLIII. In toto autem exercitu non valebat aliquis invenire mille milites, qui equos haberent optimos. Interea inimicus *arti ejus audiens quod exercitus Turcorum veniret ſuper nos, arbitrans nos omnes perire, atque in manibus inimicorum incidere noſtrorum, fingens & componens omnia fallacia quæ aſſidua fingere potuerat, dixit: Viri prudentiſſimi, videte: nos ſumus hic in nimia neceſſitate coacti, & ex nulla parte adjutorium nobis ſuccedit. Ecce modo ſinite me in Romaniæ reverti regionem abſque nulla dubitatione. Ego vero faciam huc multas naves venire per mare onuſtas frumento, vino, hordeo, carne, farina, & caſeo, & omnibus bonis alimentis, quæ ſunt nobis neceſſaria; adhuc autem & equos faciam duci huc ad vendendum, & mercatum per terram infidelis Imperatoris

huc advenire cito faciam. Sic itaque fecit finem dictis : Ecce omnia hæc fideliter jurabo à me implenda fore : adhuc quoque, & domeſtici mei, & papilio meus jugiter in campo ſunt: & ullo modo nolite eſſe increduli, ſed firmiter credite, quia ego quam citius reverſurus ero. Ivitque ille inimicus, & omnia ſua dimiſit penitus in campo eo tenore, quod nunc, & modo & ſemper perjurus erit.

XLIV. Erat autem in Antiochia quidam Ammirarius, qui omni modo erat perfidus, immitis, ſuperbus, & ferus, qui tantum odiebat Chriſtianos, quod ubicumque eos invenire poterat, trucidabat. Forte duodecim Chriſtiani fuerunt in Romaniæ prœlio capti, & in captivitatem Antiochiam deducti erant : quos iſte nequiſſimus ſuis byzantis comparavit, illoſque pane, vino, & carne ſatiavit, ſimulans quod eos valde diligeret. Cumque jam læti illa ſatietate gaudebant, putantes quod infelix hoc pro Chriſti amore feciſſet, ac eos a captivitatis vinculo liberare voluiſſet, & Chriſtianis peregrinis mandare incolumes; mox ille inimicus juſſit omnes eoſdem Chriſtianos ante ſe adduci, & ſuper altiorem turrem ſcandere præcepit, ac deinde dari præcipites, ut eorum membra & oſſa dilaniata atque diſſoluta jacerent : quia iſte pravus Chriſtianorum non diligebat fidem. Quadam enim die exiit, ut Chriſtianos occidere poſſet cum duobus militibus : obviam quibus advenit Petrus Raimundi de Pullo : alios occidit, illum autem vivum apprehendit, dixitque ſtatim ille : Noli me interficere, quia Ammirarius ego ſum, & duos fratres in urbe habeo, qui pro me duas turres reddent. Adduxeruntque eum ante Boamundi portam, ut cum ſuis loqueretur fratribus. qui videntes eum voluerunt turres reddere continuo: ſed turres in tali loco erant, quod nihil eſſet in eis noſtri proficui. Tunc Armeni plorabant, & obſecrabant ne hic dimitteretur vivus. Audientes noſtri hoc juſſerunt interficere eum; & ita factum eſt.

XLV. In obſeſſione autem Antiochiæ civitatis mortuus fuit honeſtiſſimus atque prudentiſſimus Epiſcopus de Ruſcinulo: in prœlio quoque Pontis-ferrati frater ejus Comes vulneratus in crure, & ea occaſione mortuus fuit. Poſtquam vero Antiochia fuit capta, mortuus fuit Petrus Raimundi de Pullo, cujus corpus requieſcit ante ſancti Petri portam. Noſtri majores conſiliati ſunt, ut facerent foſſatum circa caſtra, ne forte cum exiſſent foras cauſa attrahendi quod neceſſarium erat, inimici

irruerent ſuper eos qui ad tentoria vigilarent.

XLVI. Reverſi ſunt noſtri nuntii de Babylonia ſimul cum nuntiis Ammirarii, qui Ammirarius mandavit noſtris primatibus fideles ſalutes, ſubjungens: Hæc ſciatis quia ero ego in veſtro ubique adjutorio, quia valde vos diligo & amo, & obviam vobis in Jeruſalem in veſtro adjutorio ero, ſi meam non devaſtaveritis terram. Fuerunt illi nuntii nobiſcum honeſte per duos dies: & cum illis remandaverunt primates noſtri alios meliores nuntios; ſuique nuntii qui à nobis receſſerunt, mala nova de nobis dixerunt, ſcilicet quod Chriſti exercitus carebat equis. Hoc audiens Ammirarius apprehendit noſtros nuntios, eoſque miſit in carcerem, donec Antiochenum factum fuit prœlium: & Turcis ubique jam devictis, ſtatim venit cum ſuo exercitu, & obſedit Jeruſalem, & ejecit de ea omnem Turcorum multitudinem, & mandavit quod fideliter paciſceretur nobiſcum, & valde honeſtavit & veſtivit noſtros. Sic itaque tali modo. Erat autem nobis maxima contrarietas, quod Turci undique conſtringebant nos, ita quod nullus noſtrorum audebat jam exire extra tentoria: tantus erat Turcorum timor. Illi autem conſtringebant nos ab una parte, & fames anguſtiabat nos ab alia. Noſque eramus valde triſtes ac dolentes. Majores quoque noſtri in nimio erant pavore. Succurſus quidem & adjutorium nobis penitus deerat. Gens minuta & pauperrima fugivit, alii Cyprum, alii in Romaniam, alii in montaneas: ad mare utique non audebamus ire pro timore peſſimorum Turcorum: nullatenus erat nobis via patefacta.

XLVII. Forte quidam Turcus captus in Romania fuit, ſenex & albus ceu lana alba. Hunc dominus Boamundus habebat in carcere in vinculis ligatum ferreis, qui cotidie ad dominum Boamundum nuntios mandabat, & clamabat dicens: Aut me ad Chriſtianitatem revocet, aut mihi caput detruncet, & noli aliquid dubitare in me. Dixitque vir ſapiens Boamundus: Melius eſt hunc ad Chriſtianitatis culturam revocare, quam ei caput truncare. Juſſitque quod Chriſtianus efficeretur homo ille: & ita factum eſt, deditque ei equos & arma, nomenque ei impreſſit Hilarius. Continuo ille novus Chriſtianus ambulabat: nimis enim ab omnibus amabatur; ſed tamen quia ille ortus erat ex impia & infideli generatione, cum videret exercitum Dei valde modicum eſſe, quem viderat maximum, in ejus confeſtim cor inimicus diabolus intravit.

Nocte itaque latenter receſſit, & venit in *Aleph* civitatem; acceſſitque ad Ammirarium, & dixit ei: Ecce nova tibi dico. Chriſtianorum caſtris mox venio. Si vis utique aurum, aut argentum, equos, & mulos, & honeſta ornamenta, quæ de Galliarum duxerunt patriis, veni mecum ad Antiochiam: quoniam Boamundus vir fortis non habet ſecum pluſquam quinquaginta equites; aliique minus & minus: omnes namque milites prudentiſſimi receſſerunt. Feminæ ſolummodo ſtant in campo, & minuta gens. Audiens itaque Ammirarius hæc nova, valde gaviſus eſt, & confeſtim advocavit omnem ſuum exercitum. Ille autem qui Chriſtianitatem abnegaverat, protinus ivit Damaſcum, & Tripolim, & Cæſaream, omnibus dicens hæc nova. Omnes igitur de terris illis congregati in unum venerunt Antiochiam uſque prope Pontem-ferreum.

XLVIII. Fortiſſimus itaque miles Boamundus audiens innumerabilem Turcorum gentem veniſſe ſuper nos, putantem occidere nos omnes, caute venit ad alios, & dixit: O prudentiſſimi milites, quid facturi erimus? ecce enim innumerabilis Turcorum exercitus venit ſuper nos, qui volunt nos omnino perdere. Nos autem tot non ſumus, quod in duabus partibus pugnare valeamus. Faciamus ergo ex nobis duas partes: pars peditum remaneat jugiter cuſtodire papiliones noſtros, & obſiſtat his, qui in civitate ſtant; & pars equitum ſimul nobiſcum veniat in occurſum inimicorum noſtrorum, qui hic ſtant prope nos in caſtro, quod vocatur Arenæ, ultra Pontem-ferreum.

XLIX. Sero autem jam facto exiit de tentoriis vir ſapiens Boamundus ſimul cum aliis prudentiſſimis militibus; venitque jacere inter flumen & lacum. Summo autem diluculo juſſit dominus Boamundus protinus ſpeculatores exire, & videre, quot eſſent Turcorum turmæ, & ubi eſſent, aut certe quid agerent. Exierunt illi, & cœperunt ſubtiliter inquirere & inveſtigare, ubi acies Turcorum eſſent reconditæ. Viderunt autem Turcos innumerabiles ſegregatos venire ex parte fluminis, diviſos per duas acies: maxima autem illorum virtus veniebat retro. Reverſi ſunt itaque celeriter ſpeculatores noſtri dicentes: Ecce veniunt, eſtote igitur omnes undique parati, quia jam prope nos ſunt. Dixitque vir prudens Boamundus aliis: Invictiſſimi milites ordinate ad invicem bellum. Reſponderuntque illi: Tu vir ſapiens & prudens, tu magnus & magnificus,

magnificus, tu fortis & victor, tu bellorum arbiter, tu certaminis judex, hoc totum fac, hoc totum ſuper te ſit: omne vero quod utile, & bonum tibi videtur eſſe nobis & tibi, diligenter operare, & fac. Tunc doctiſſimus Boamundus juſſit, ut unuſquiſque per ſe dirigat ſuam aciem per ordinem. Feceruntque ita: & ordinatæ ſunt ſex acies, quinque autem ex eis erant adunatim invadere illos. Sapientiſſimus itaque vir Boamundus paulatim gradiebatur retro cum ſua acie.

L. Junctis itaque ambabus partibus, unus cominus percutiebat alium. Clamor utrimque reſonabat ad cælum; omnes prœliabantur inſimul: imbres telorum obnubilabant aerem. Poſtquam venit maxima virtus paganorum, quæ erat retro, nimis acriter invaſit noſtros, ita quod noſtri jam paululum cedebant retro. Ut autem doctus vir Boamundus vidit cedentes retro, ingemuit. Tunc præcepit ſuo Coneſtabili, ſcilicet Roberto filio Girardi, diligenter exhortans eum taliter: Vade quam citius potes, & recordare prudentiam antiquorum & noſtrorum fortium parentum, quales fuerunt, & qualia bella fecerunt; ſiſque ſapiens & prudens, ſiſque fortis & acer, confidens in adjutorium Dei, & ſancti Sepulcri: & revera ſcias, quia hoc bellum carnale non eſt, ſed cæleſte. Eſto igitur jugiter memor & providus, & ſapiens, & fortiſſimus Chriſti athleta: vade in pace, & Dominus ubique ſit tecum. Ivit itaque ille undique ſigno crucis armatus, ut fortiſſimus Chriſti athleta, & ſicut ſapiens & prudens, qualiter leo, qui paſſus famem per tres aut quatuor dies, exit à ſuis cavernis, rugiens, atque ſitiens ſanguinem animalium; irruit inter agmina peditum, & ſeparavit ut oves fugientes huc & illuc, ita agebat iſte inter Turcorum agmina: tam vehementiſſime ſuperſtabat illis, quod linguæ honorabilis vexilli volitabant ſuper Turca capita. Videntes autem aliæ acies, quod vexillum domini Boamundi tam prudentiſſime foret ante alios delatum, ilico reverterunt, & invaſerunt unanimiter illos. Turci omnes ſtupefacti arripuerunt fugam, & verterunt ſcapulas retro. Noſtri itaque illos perſequentes detruncaverunt uſque ultra Pontem-ferreum. Reverſi Turci feſtinantes in ſuum caſtrum, acceperunt omnia, quæ ibi reperire potuerunt, totumque caſtrum ſpoliaverunt, miſerunt ignem, & fugerunt. Videntes autem Turci, quod male fuiſſent deducti conſilio ſupradicti ſacrilegi, qui Chriſtianitatem abnegaverat, dixerunt: Tu filius perditionis, qui ita deduxiſti nos in manus

Francorum. Et ſi ad eorum acceſſiſſemus tentoria, quid de nobis fieret? ſi illic fuiſſemus inventi, unus ex nobis vix reſiduus eſſet. Ecce illi occiderunt noſtros fratres atque parentes, & ſocios: tu ergo amplius non vives. Confeſtim ei dederunt capitalem ſententiam. Armeni & Suriani ſcientes omnino nos Turcos ſuperaſſe, exierunt, & obſervaverunt arta loca, & occiderunt, & apprehenderunt multos ex eis: & intrantes tenuerunt caſtellum in fidelitate honorabilis Tancredi. Superati ſunt itaque Deo annuente in illa die inimici noſtri: ſatis vero ſunt recuperati noſtri de equis, & de aliis multis rebus, quæ erant illis valde neceſſariæ, & detulerunt ſecum capita mortuorum Turcorum. Factum eſt in die martis ante caput jejunii favente nobis Domino JESU-CHRISTO, qui cum Patre, & Spiritu-ſancto vivit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum, amen.

Anno 1099.

LI. Reverſi ſunt itaque noſtri hæc agente Deo triumphantes, ac tripudiantes de triumpho, quem in die illo habuerunt devictis ubique inimicis, qui erant per omnia ſuperati, fugientes huc & illuc, vagantes & errantes: alii in Coraſanum, alii vero in Sarracenorum introierunt terram. Videns autem Caſſianus Ammirarius Antiochiæ, quod Franci omnia viciſſent bella, & Turcos ubique ſuperaſſent, contriſtatus eſt valde cum omnibus illis, qui in civitate erant: ſtatimque cum eis conſiliatus eſt, ut mitteret nuntios Coraſanum Corbanæ principi militiæ Soldani Perſiæ, quatenus ei ſubveniret cum ſuo exercitu, quia Franci eum obſidebant in Antiochiam. Itaque feſtinando mandavit Senhadolum filium ſuum ad Corbanam, uti quanto citius veniret, & ſibi ſtatim daret Antiochiam, & aliis daret militibus aurum & argentum, & multa ornamenta: & ſi hoc agere nollet, ſciret ſe Antiochiam perdidiſſe: ſicut Solimanus perdiderat Nicæam & univerſam Romaniam, ſic vero Caſſianus perderet Antiochiam. Hoc in re vera ſciret Corbanas, quod Franci adhuc expellerent turbas de Coraſano, & de Perſia, & de omni paganorum terra.

LII. Inter hoc inimici pagani multis modis lædebant noſtros. Videntes autem hoc noſtri majores, quod interea male tractarent nos, & conſtringerent inimici noſtri, qui erant in civitate, qui jugiter diu noctuque vigilabant, & inſidiabantur, qua parte nos lædere & anguſtiare poſſent; congregati in unum habuerunt colloquium, ut ſubtiliter poſſentuveſtigare,

quemadmodum valerent eorum inſidiis ac dolis contra ſtare. Quo invento dixerunt omnes una voce: Priuſquam perdamus gentem noſtram, mandemus Liciæ civitati, & omnibus caſtellis, & portui ſancti Symeonis, & noſtram colligamus gentem, cum qua faciamus caſtellum ad machomariam, quæ eſt ante civitatis portam; & forſitan ibi poterimus inimicos conſtringere noſtros. Conſenſere conſilio, & laudaverunt omnes quod valde bonum eſſet ad faciendum. Egregius autem vir Boamundus, & Tancredus una cum ſancti Ægidii Comite dixerunt aliis: Si vos omnes vultis, nos adunatim ibimus ad ſancti Symeonis portum diligenter conducere illos, qui illic ſunt, omnes homines, qui hoc fideliter peragant opus. Et dixerunt: Alii, qui hic ſunt remanſuri, undique muniant ſeſe ad defendendum, ſi forte inimici exierint noſtri: & in loco illo ſint omnes congregati, ubi nos demonſtravimus. Factumque eſt ita. Illi autem cœperunt protinus equitare cum fiducia ad portum. Nobis igitur congregatis inſimul, quatenus caſtellum ædificaremus; Turci videntes hoc ilico præparaverunt ſeſe ad defendendum, & exierunt civitatem obviam nobis ad bellum, irrueruntque maxima pars illorum ſuper nos. Alia vero pars ſeparavit ſe, & perrexit obviam illis, qui veniebant a mari. Videnteſque Turci noſtros homines & milites, cœperunt continuo ſtridere & clamare vehementiſſimo clamore, circumcingendo, & ſagittando, & vulnerando, ac crudeli ubique detruncando enſe: denique tam acriter invaſerunt noſtros, quod inierunt noſtri fugam per proximam montaneam, ac ubicumque via eundi patebat: & qui potuit ſe celeri expedire greſſu, evaſit vivus: qui fugere nequiverunt, pro Chriſti nomine martyrium ſuſceperunt læti. Raynaldus igitur Porchitus cuſtodiebat dominum ſuum Boamundum, quem omnes alii dimiſerant. Sed ejus equus per tres vices ſubter eum lapſus, apprehenderunt eum Turci, & duxere illum per aliam partem fluminis in Antiochiam. Fueruntque in illa die multi martyrizati ex noſtris, qui in cælum lætantes aſcendebant, atque candidati ferentes ſtolam recepti martyrii, glorificantes ac magnificantes trinum & unum Deum, in quo feliciter triumphabant, & clamabant ad Dominum, una voce dicentes: Quare non defendis ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt hodie pro tuo nomine? Equites autem noſtri fugiendo adjuvante Deo evaſerunt vivi.

LIII. Dominus itaque Boamundus recordatus viam, quam

alii tenuerunt; non tenuit, ſed celerius venit cum ſuo exercitu laxatis frenis, donec proquinquaſſet uſque ad nos, qui eramus in unum congregati in cuſtodiam civitatis. Tunc nos in unum pervenimus contra eos ad vicinum bellum, eoſque invaſimus corde & animo. Stabant autem inimici Dei Turci ſtupefacti, & vehementer perterriti reverſi ſunt retrorſum, & arripuerunt celerem fugam per medium anguſti pontis ad illorum tentoria. Illi autem qui vivi non potuerunt evadere pontem præ nimia multitudine gentium & caballorum, ibi receperunt ſempiternum interitum, & reddiderunt infelices animas diabolo & ejus miniſtris. Nos itaque illos ſuperatos impellebamus in flumen cum noſtris mortiferis lanceis. Unda quoque rapidi fluminis ubique videbatur fluere rubea de Turcorum ſanguine. Et ſi forte aliquis eorum voluiſſet repere ſuper pontis columnas, vel natando moliretur ad terram exire; nos undique ſuper fluminis ripam ſtantes impellebamus eos, & necabamus impetu rapidi fluminis. Rumor interea amborum populorum reſonabat ad cælum. Pluvia telorum tegebatur cælum: altæ voces perſtridebant intus & extra. Chriſtianæ mulieres univerſæ civitatis ſpectabant de muris miſera facta Turcorum, & venientes gaviſæ ad illud ſpectaculum propter nimium gaudium plaudebant manibus, ſicut mos eſt illorum. Mortui ſunt autem in anima & corpore duodecim Ammirarii de Turcorum genere in prœlio illo, & omnes prudentiſſimi illorum milites, qui oppugnando defendebant civitatem: ac deinde illi, qui reliqui fuerunt, jam ulterius non audebant clamitare, neque garrire in die, vel in nocte. Itaque nos & illos non diſſeparavit niſi nox, quæ dividebat utroſque prœliando, & jaculando & ſpiculando. Superati ſunt itaque in illa die inimici noſtri ſic, ut ulterius non valuerunt jam talem habere virtutem neque in opere. Et fuerunt mortui in bello illo omnes principes & majores illorum, quorum numerus fuit mille quingenti de fortioribus & melioribus, qui in Antiochiæ civitatis defenſione erant.

LIV. Nocte autem ſuperveniente, reverterunt retro Turci, & abſciderunt capita mortuorum Chriſtianorum, & detulerunt ea in civitatem: alia vero die ſummo mane ejecerunt illa foras cum manganellis. Quod videns vir honorabilis Boamundus, fecit ea colligi, & ſepeliri, & fuerunt noſtri in nimio mærore. Nos itaque valde fuimus recuperati de illorum

equis, & de aliis rebus, quæ ſatis nobis erant neceſſariæ. Craſtina autem die exierunt, & venerunt alii de civitate, & collegerunt omnia cadavera Turcorum, quæ reperire potuerunt ſuper ripam fluminis, & ſepelierunt collecta cadavera ad machomariam, quæ eſt ante portam civitatis, & ſimul cum mortuis illis ſepeliebant pallia, byzantios, arcus, & ſagittas, & alia plurima ornamenta, quæ nos omnia nominare nequimus. Audientes itaque noſtri quod humaſſent Turci mortuos ſuos in capite pontis, confeſtim omnes præparaverunt ſeſe, & venerunt feſtinantes ad diabolicum atrium, & juſſerunt frangi illorum tumbas, & trahi illorum cadavera extra ſepulturam, & ejecerunt omnia illorum cadavera in quamdam foveam, & deportaverunt cæſa capita eorum ad noſtra tentoria: quatenus perfecte ſciretur eorum numerus. Quod videntes Turci, nimis fuerunt triſtes, dolenteſque uſque ad necem: & quotidie nihil aliud quibant agere, niſi plorare, & ululare. Tertia autem die veniente cœpimus gaudentes & exultantes ædificare caſtrum illud jam ſupradictum de eiſdem lapidibus, quos abſtraximus deſuper humata Turcorum cadavera. NOTA

LV. Peracto itaque caſtro, mox cœpimus ex omni parte coanguſtare prudenter inimicos noſtros, quorum tumida ſuperbia ad nihilum jam erat redacta. Quod caſtrum unuſquiſque majorum fecit per partes, & munierunt illud muro & immenſo aggere, & ædificaverunt in eo duas turres in machomaria. Omnes vero principes noſtri commiſerunt caſtrum Comiti ſancti Ægidii ad cuſtodiendum, eo quod ſtabat ante ejus portam. Ipſeque cuſtodiebat illud cum ſuo exercitu cum Gaſtone de Bearno, & Petrus de Caſtellone, & Guilielmus de Montepiſlerio, & Raimundus de Taurina, & Girardus Malafaida, & Galferius * de *Laſturs*, & Petrus Raimundus de Pollo, * *Daſturs*
Guidelmus de Supera, & alii plures, quos numerare nequeo. Et ipſe Comes, quoſcumque milites invenire poterat, retinebat ad conventionem ad cuſtodiendum caſtrum, eoſque ſolvebat ſuis denariis. In uno autem die ſummo diluculo irruerunt Turci vehementer ſuper illos qui cuſtodiebant caſtrum, & occiderunt Bernardum de Pardilo, & alios plures; etiam tentoria illorum erant cooperta infixis ſagittis: & niſi eſſet ſuccurſus, qui venit de alia acie, maximam læſionem eis feciſſent. Statim ordinaverunt primates noſtri, ut facerent maximam talpam vitis, cum qua poſſent perforare pontem: & fuerunt

multi Turci de melioribus occiſi, & pons fuit perforatus. Nocte vero dormientibus noſtris exierunt, & incenderunt talpam, & reſtauraverunt pontem. Nos autem ſecure jam ambulabamus huc & illuc ad portam, & ad montaneam.

LVI. Non poſt multum temporis venerunt inimici Dei, & duxerunt Rainaldum Porchitum, de quo heri locuti fuimus. Quem miſerunt ſupra civitatis murum, ut loqueretur cum Francis, quatenus eum redimerent maximo munere. Ille vero poſtquam ſupra murum fuit, locutus eſt majoribus noſtris ita: Seniores, tantum namque valet, quam ſi ego mortuus eſſem; & pro me redimendo nullum munus offeratis. Sed eſtote fortes atque prudentes, quia Deus nobiſcum eſt. Omnes majores atque prudentes inimicos heri occidiſtis, nulluſque hic eſt qui prœliari valeat, neque civitatem regat vel defendat. Interrogaverunt autem Turci interpretes, quid ille dixiſſet. Qui reſpondit: Nihil boni propter nos. Continuo juſſerunt illum deponi de muro. Dixeruntque ei: Rainalde vis honeſte nobiſcum vivere, & gaudere? qui ait, Quomodo? dixeruntque illi: Abnega Deum tuum, quem tu colis, dabimuſque tibi omnia quæ petieris, aurum & argentum, equos, & arma, & multa ornamenta, uxores, & prædia, hereditates; & maximo honore ditabimus te. Dixitque ille: Date ſpatium mihi ſaltim per unam horam, quo mecum tractem conſilium. Quod permiſerunt ei. Tunc Rainaldus projecit ſe in oratione junctis manibus contra orientem, humiliter Deum rogans, ut ei ſubveniret, ſuamque animam in ſinu Abrahæ dignaretur ſuſcipere. Mox advocavit eum Ammirarius, dixitque interpreti: Quid ait Rainaldus? dixitque interpres ei: Suum Deum nullo modo abnegare vult, & omnia tua ornamenta, videlicet aurum, argentum, abnegat. Tunc Ammirarius juſſit decollari: & decollaverunt eum virum ſanctum ſupra firmam petram fundatum. Animam ejus confeſtim ſancti Angeli ſuſceperunt, & ante conſpectum Dei, pro cujus amore martyrium ſuſcepit, gaudentes obtulerunt.

LVII. Iratus itaque Ammirarius vehementer, eo quod ſanctum Rainaldum ad ſuam non potuit revocare voluntatem, ſtatim juſſit ad ſe adduci omnes Chriſtianos, qui in Antiochia capti erant, maſculos, & feminas. Cumque ante eum veniſſent, imperavit ut exſpoliarentur omnes. Cum vero exſpoliati eſſent, fecit eos ſtricte congregari in unum, & allata fune ligaverunt eos omnes in gyrum; adduxeruntque paleas, & fenum,

& circa eos ordinaverunt, ac deinde miſerunt ignem, & ligna. Igitur Chriſti milites in illo tormento valde ſtridebant: quorum voces reſonabant ad cælum directæ ad Deum, pro cujus amore eorum carnes & oſſa in igne cremabantur. Martyrizati ſunt omnes iſti in uno die, & dealbati portaverunt in cælum candidas ſtolas ante Deum, pro quo fideliter hæc paſſi ſunt, regnante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria nunc & ſemper in ſempiterna ſæcula, amen.

LVIII. Jam jam ſemitæ pœne abſciſæ undique erant Turcis, niſi ex illa parte fluminis, in qua erat quoddam caſtrum in quodam monaſterio. Quod ſi perfecte fieret corroboratum, jam nullus eorum auderet extra civitatis portam exire. Decreverunt autem noſtri una concordabili voce dicentes: Eligamus unum ex noſtris, qui cuſtodiat inimicis montaneam & planum, & introitum, & exitum. Plures vero ex illis renuebant ſingulatim ſe illud ſervare non poſſe, niſi cum magna multitudine aliorum. Tancredus igitur honorabilis miles protulit ſe ante alios dicens: Verumtamen ſi datis mihi ſubſidium aliquod pecuniæ, ego ſedulo ſolummodo cum meis hominibus corroborabo caſtrum, & viam per quam inimici noſtri ſolent frequentius ire, viriliter illis omni modo deventabo. Quod continuo ſpoponderunt ei quater centum marcas argenti. Audax ergo Tancredus perrexit cum ſuis ſolummodo honeſtiſſimis militibus, & ſervientibus, & extemplo abſtulit undique viam & ſemitam Turcis, ita quod nemo illorum audebat jam timore perterritus extra civitatis portam exire propter herbam, ligna, vel ulla neceſſaria.

LIX. Remanſit autem ibi vir prudens Tancredus ſimul cum ſuis hominibus, & cœpit vehementer anguſtiare civitatem. Ipſa quoque die veniebat maxima pars Armeniorum & Surianorum ſecure de montaneis, qui ferebant alimenta Turcis in adjutorium civitatis. Obviam quibus advenit vir prudens Tancredus, & continuo apprehendit illos, & omnia quæ deferebant, videlicet frumentum, vinum, hordeum, oleum, & alia hujuſmodi. Sic itaque proſpere, robuſteque habebat ſe vir fortis Tancredus, ut fortiſſimus Chriſti athleta, omnes ſemitas Turcis aliis.... uſque dum Antiochia capta fieret. Omnia quæ fecimus, antequam Antiochia capta fuiſſet, nequeo enarrare: de his autem, quæ facta ſunt poſtea, aliquantulum volo explicare. Ideo aliquantulum dico, quia nemo eſt, qui

omni modo, ſive clericus, ſive laicus, dicendo, aut ſcribendo poſſit narrare ſicut res eſt acta.

LX. Videntes autem Turci quod ita diſtrictio eſſet in civitate, & omnes eorum majores interfecti fuiſſent, triſtes dolenteſque erant. Ab illo autem tempore, quod Turci in Antiochiam, heu pro Chriſtianorum delictis ac offenſionibus, intraverunt, ejecerunt de beati Petri eccleſia honorabilem Patriarcham, cum quingentis canonicis, & monachis, & aliis clericis: eiſque juſſerunt ut irent ad ſanctæ Mariæ Dei genitricis eccleſiam; ibique devote Deo ſuo deſervirent: & ipſi Turci tenuerunt, potius fœdaverunt eccleſiam ſancti Petri, & de illa Domo Dei fecerunt tria oracula diabolo: omneſque imagines, quæ auro argentoque erant pretioſiſſime compoſitæ, atque mirabiliter per totam eccleſiam fulgebant, cooperuerunt calce, vel gypſo; & per omnem imaginem ſcripſerunt litteras dæmonum. Fecitque Ammirarius ſuum oraculum valde pretioſiſſimum & ornatum auro ante eccleſiæ portam in dextera parte, præcipiendo ut nullus Chriſtianorum veniret ibi. Audiens itaque Patriarcha, quod ſancta eccleſia ita foret dedecorata, nimis dolens & gemens de pretioſiſſimis imaginibus, quæ coopertæ erant: mandavitque Ammirario, ne pretioſiſſima noſtri Salvatoris imago operiretur, quæ in medio tabulati cæli eccleſiæ mirabiliter ordinata erat, & ne dedecoraretur ab aliquo per ullum ingenium: & ipſe redimeret eam per unumquemque annum quingentis ſolidis. Tunc conceſſit illi Ammirarius hoc. Hæc omnia fuerunt facta, priuſquam noſtri Franci peregrini moviſſent iter.

LXI. Quadam vero die, cum civitas jam eſſet diſtricta ab obſidione, dum in eccleſia ſancti Petri eſſent Turci congregati cauſa concilii, quia ibi adunabant ſe ad concilium faciendum, quoniam erat valde pulcherrima, & admirabili pavimento decorata. Dum inquam conſiliarent ſecum, quemadmodum facerent de obſeſſione Francorum, ſuſpicientes viderunt in cælo prædictæ eccleſiæ imaginem noſtri Salvatoris tam puram ac pretioſiſſimam, & tam promptam, quaſi cum eis loqueretur. Cui dixerunt: Quid agis hic ruſtice? Homines tui obſident nos extra, & hic nos obſervas? Certe nec te, nec tuos homines amplius volumus. Nunc autem deſcende de ſurſum: ſin autem ſagittabimus te illic, ſi deſcendere inde non vis. Cœperunt itaque continuo ſagittare illum; nullaque ſagitta illorum audebat

debat ſe ſe appropinquare ad Domini imaginem : & ſi forte aliqua ſagitta aliquantulum ei approximabat, confeſtim divina fracta virtute ad Turcorum cadebat pedes. Cumque vidiſſent quod nihil ei ſagittando nocerent, irati valde, tunc juſſit Ammirarius ut unus illorum aſcenderet ſurſum, ubi imago erat ſita, ut eam in terram præcipitaret. Cum vir fiducialiter juſſu illius Ammirarii aſcendiſſet, & ad pulcherrimam imaginem appropinquare vellet, mox fracto ſub pedibus ejus eccleſiæ cælo cecidit ille; fractoque ſtatim collo, omnibus membris diſſolutis jacebat mortuus in eccleſia. Videntes hoc alii, nimio terrore correpti ſunt.

LXII. Erat autem ibi quidam Ammirarius de genere Turcorum, cui nomen Pyrrhus, qui maximam amicitiam cœperat aſſidue cum domino Boamundo. Hunc ſæpe vir ſapiens Boamundus tangebat cum nuntiis ad invicem miſſis, quomodo eum intra civitatem amiciſſime reciperet: eique Chriſtianitatem promittebat, atque eum valde divitem multo honore facere mandabat. Conſenſit itaque ille dictis, & promiſſionibus honeſtiſſimi viri dicens: Tres turres ego cuſtodio, eaſque ei libenter promitto; & quacumque hora voluerit, in eis ipſum voluntarie recipiam. Erat ergo doctiſſimus vir Boamundus jam ſecurus de introitu civitatis. Gaviſus itaque placido vultu ſerenaque mente venit ad alios omnes principes militiæ, eiſque jocunda verba protulit hoc modo: Viri prudentiſſimi, videtis quomodo nos in nimia paupertate, atque miſeria projecti ſumus: majores & minores ignoramus penitus ex qua parte melius ſuccedat nobis. Si vobis igitur dulce ac honeſtum videtur, eligat ſibi alios unus unus quicumque vult: & ſi ullo modo aut ingenio civitatem acquirere aut per ſe, aut per alios potuerit, concordabili voce ei donari eam permittimus. Quod omni modo prohibentes atque denegantes, ei dicebant: Nemini ſingulariter umquam erit hæc civitas dimiſſa, ad omnes æqualiter habebimus illam: ſicuti habuimus æqualem laborem, ſic inde habebimus æqualem honorem. Hoc audito honeſtiſſimus vir Boamundus paululum ſubridens protinus receſſit. Non poſt multum temporis audierunt omnes noſtri de exercitu hoſtium noſtrorum, videlicet Turcorum, & Publicanorum, Agulanorum & Azymitarum, & aliarum plurimarum generationum gentilium, quas numerare, nec nominare neſcio: ſtatimque adunaverunt ſe omnes inſimul majores, &

fecerunt conſilium dicentes : Si vir ſapiens Boamundus potuerit acquirere civitatem aut per ſe, aut per alios , nos una libenti corde ultro ei donamus eo tempore. Quod ſi infelix Imperator venerit nobis in adjutorium , & omnem conventionem nobis , ſicuti promiſit atque juravit , complere voluerit, nos eam reddemus : ſin autem , Boamundus in ſua ſemper habeat eam poteſtate. Mox itaque vir ſapiens Boamundus cœpit per internuncios cotidiana humiliter ſuum flagitare amicum petitione in hunc modum. Ecce tempus habemus modo idoneum , in quo poſſumus operari quicquid boni volumus. Igitur adjuvet me modo amicus meus Pyrrhus. Quod ſatis gaviſus de nuntio , ait ſe illum velle adjuvare omnino , ſicut promiſerat. Nocte itaque proxima veniente mandavit filium ſuum caute pignus domino Boamundo, eo quod magis fieret ſecurus de civitatis introitu ; & cum filio miſit verba hæc : Cras omnem Francorum gentem ſub voce præconia moneri faciat, ut in Sarracenorum terram cum eo deprædari vadat, & deinde revertatur celeriter per ſiniſtram montaneam ; & ego ero intentus præſtolando illa agmina , eaque diligenter recipiam in turres, quas in mea habeo cuſtodia. Deinde vir prudens ac ſapientiſſimus Boamundus protinus juſſit ad ſe vocari ſervientem quemdam, videlicet Malam-coronam , eique præcepit ut præconiaret gentem Francorum maximam , quod fideliter præparent ſe ad eundum in Sarracenorum terram. Factum eſt ita.

LXIII. Commiſit itaque vir ſapiens Boamundus hoc conſilium Duci Gottifredo , & Flandrenſi Comiti, quod ſi placeat Deo, in hac nocte erit nobis Antiochia dedita. Ordinata ſunt hæc omnia : equites tenuerunt plana , & pedites montaneam. Tota nocte ambulaverunt uſque prope auroram, ac deinde cœperunt appropinquare ad turres , quas ille vigilabat. Continuo deſcendit Boamundus vir plenus magna aſtutia , & præcepit omnibus dicendo hæc verba : Ite ſecuro animo & felici concordia, & aſcendite per ſcalam in Antiochiam, quam ſtatim habebimus , ſi Deo placet , in noſtra virtute. Veneruntque illi uſque ad ſcalam, quæ jam erat directa, & fortiter ligata ad civitatis propugnacula mergula. Aſcendit primus Paganus , & poſt eum aſcenderunt ex noſtris fere ſexaginta , ac diviſi ſunt per turres , quas ille vigilabat. Videns autem hoc Pyrrhus, quod tam pauci aſcenderant ex noſtris ,

mox cœpit pavere. Timebat namque ſibi ex noſtris, ne in manus Turcorum inciderent : dicens : *Micro Francos echome*, hoc eſt, Paucos Francos habemus. Ubi eſt acerrimus Boamundus? ubi eſt miles invictus? Deſcendit ergo quidam ſerviens Longobardus, & cucurrit quantocius ad honorabilem virum Boamundum, & dixit : Quid hic ſtas vir prudens ? Quam ob rem veniſti ? Ecce nos jam tres turres habemus. Motus eſt ergo ille vir prudens cum aliis, & omnes gaudentes atque lætantes pervenerunt uſque ad ſcalam. Videntes itaque illi, qui jam erant in turribus, cœperunt jocundam vocem clamare, *Deus lovult*. Nos itaque ſimiliter *Deus lovult* dicebamus. Et cœperunt de noſtris mirabiliter continuo aſcendere, & aſcenderunt, & occurrerunt feſtinantes in alias turres : quoſcumque illic inveniebant, mortalem illis continuo dabant ſententiam. Fratrem quoque Pyrrhi occiderunt. Interea forte rupta fuit ſcala, & noſtris non erat aſcenſus, unde maxima anguſtia eſt orta ſive triſtitia. Quamquam fuiſſet fracta ſcala, tamen quædam porta erat clauſa juxta nos in ſiniſtra parte, quibuſdam incognita : & licet nox erat, tamen invenimus eam palpando, & ſubtiliter intrando, ubi ipſa latebat ; omneſque cucurrimus ad eam, & fracta porta intravimus per illam. Jam immenſus fragor mirabiliter reſonabat per univerſam civitatem. Non acquievit prudens Boamundus : ilico imperavit honorabile vexillum deferri ſurſum ante caſtellum in quodam monte. Summo autem diluculo audientes illi, qui erant foris ad tentoria, vehementiſſimum rumorem ſtrepere in civitate, exierunt feſtinantes : & videntes vexillum domini Boamundi ſurſum in monte, celeri cucurrerunt curſu, & venerunt properantes unuſquiſque ad ſuam portam, & intraverunt civitatem ; & interfecerunt Turcos & Sarracenos, quos ibi repererunt, extra illos qui fugerunt ſurſum ad arcem. Feminæ vero fugiebant videntes Francos intraſſe civitatem, ferentes iconas in manibus ſuis & cruces, decantantes *Kyrieleiſon* ad eccleſiam virginis matris Dei Mariæ. In illa die extraxerunt Patriarcham, qui erat jam per octo menſes in carcere, habens marcida fere crura pro ſtricta compedum, & nequibat expedite ambulare. Tunc cucurrerunt omnes majores ad eum, & corruebant proni ante ejus pedes. Alii vero ex militibus Turcorum exierunt per medias portas, & fugientes evaſerunt vivi.

LXIV. Caſſianus ergo dominus illorum expaveſcens valde, ſe dedit omnino fugæ cum multis aliis qui erant cum eo: & fugiendo pervenit in Tancredi terram, non longe à civitate. Fatigatis eorum equis miſerunt ſe in quoddam caſale, & merſi ſunt in quamdam domum. Cognoverunt ergo habitatores illius montaneæ eum, ſcilicet Armeni, & Suriani: ſtatim apprehenderunt illum, truncaverunt caput ejus, & detulerunt illud ad civitatem ante domini Boamundi præſentiam, unde mererentur accipere libertatem perfectam. Baltheum quoque ejus, & cultellum, & vaginam, qui fuerunt appretiati ſexaginta byzantos. Hæc omnia geſta ſunt tertia die intrante menſe Junii in die Jovis. Omneſque autem plateæ civitatis jam undique plenæ ſtabant cadaveribus mortuorum, videlicet Turcorum, & Sarracenorum, ita quod quiſquam vix poterat ſufferre eſſe ibi præ nimiis fœtoribus, nulluſque poterat ire per civitatem niſi ſuper cadavera Turcorum.

LXV. Curbanas autem princeps militiæ Soldani Perſiæ adhuc erat apud Coraſanum, cui Caſſianus Ammirarius Antiochiæ multas legationes miſerat, quo ſibi ſuccurreret in opportuno tempore: quoniam gens fortiſſima atque robuſtiſſima Francorum eum graviter obſidebant in Antiochia: & ſi ei adjutorium fideliter impenderet, Antiochenam continuo civitatem ſuis traderet manibus, aut eum ditaret mox magno munere. Cum ergo habuiſſet Curbanas maximum exercitum Turcorum, ex longo collectum tempore, & licentiam Chriſtianos occidendi à Caliphas illorum Apoſtolico recepiſſet; ilico inchoavit tunc longum iter verſus Antiochiam. Jeroſolymitanus Ammirarius venit cum eo, cum ſuo exercitu; Rexque Damaſci cum magna gente. Idem vero Curbanas congregavit ex omni parte paganorum innumeras gentes, videlicet Turcos, & Arabas, & Sarracenos, & Publicanos, & Azymitas, & Curtos, & Perſas, & Agulanos, & alias multas gentes, quas nominare, aut numerare nemo poterat. ſed Agulani fuerunt numero tria milia. Ipſi neque lanceas, neque ſagittas, neque ulla arma timebant: quia omnes undique erant cooperti ferro, & equi eorum, ipſique nolebant in bellum ferre arma, niſi ſolummodo gladios. Iſti omnes venerunt in obſeſſionem Antiochiæ ad diſpergendum Francorum populum. Et cum appropinquaſſent civitati, occurrit filius Caſſiani Ammirarii Antiochiæ, & confeſtim cucurrit ad Curbanam

lacrymabiliter, rogans eum, & dicens: O invictiſſime Princeps, te ſupplex deprecor, tuamque humili devotione prudentiam rogito, quatenus mihi ſuccurras modo, quoniam ecce Franci undique obſederunt me in Antiochena arce, civitatemque in ſuo continent imperio; noſque alienare à regione Romaniæ & Syriæ, adhuc autem & Coroſani depoſcunt. Omnia vero patraverunt, quæ cupierunt: patrem nuper occiderunt meum, nihil aliud ſupereſt niſi ut me, & te, & omnes alios ex genere noſtro interficiant gladio. Ego jamdudum tuum expectavi fideliter adventum, ut mihi ſuccurras in iſto periculo. Qui reſpondens ait illi: Si vis quod ex toto corde in tuum ſim proficuum, tibique fideliter in iſto ſuccurram negotio, illud in meam ſtatim manum trade caſtrum: & tunc videbis qualiter in tuo ero adjutorio, & vigilare eum à meis faciam hominibus. Ait namque ille: Si potes omnes Francos occidere & detruncare, mihique eorum capita diligenter tradere, ego caſtrum tibi fideliter dabo, ac deinde ero ubique tuus effectus homo, & in tua fidelitate hoc cuſtodiam caſtrum. Cui Curbanas inquit: Non ita erit, ut tu putas atque cogitas: ſed continuo in meam manum committe caſtrum illud. Tunc ille volens nolenſque ei ilico commiſit caſtrum.

LXVI. Tertia autem die poſtquam civitatem percurrerunt, Rogerius igitur de Bernavilla contra exivit ſolummodo cum viginti equitibus. Appropinquantes autem Turci cœperunt continuo prœliari cum eis. Forte equus, in quo ſedebat, in quadam palude infixus eſt, & cecidit. Erectus autem ſtatim eſt ſuper ſuos pedes, & evaginato enſe mirabiliter defendebat ſe de Turcorum invaſione. Tunc accedentes Arabes cum longis cannis vulneraverunt caput ejus. Nos autem ſublevavimus corpus ejus à terra, & deportavimus in civitatem ad ſancti Petri eccleſiam: ibique honeſtiſſime ſepultus eſt, cujus anima exultat cum Angelis. Unde maxima triſtitia atque dolor fuit in tota Chriſti militia, quia acerrimus ille erat atque bellicoſus miles, ipſeque multos militares actus faciebat. Exercitus autem illorum ad Pontem-ferreum caſtrametatus eſt, & oppugnaverunt unam turrim, & occiderunt omnes, quos illic invenerunt. Et nemo evaſit vivus, niſi dominus illorum, quem reperimus ligatum in vinculis ferreis, facto majore bello. Craſtina autem die appropinquaverunt uſque civitatem, & caſtrametati ſunt inter duo flumina, ſteteruntque ibi per

duos dies. Recepto itaque caſtro, tunc Curbanas confeſtim advocavit unum Ammirarium ex ſuis, quem ſermone ſciebat vivacem, mitemque & pacificum, & ait illi: Volo ut intres in fidelitate mea hoc cuſtodire caſtellum, propterea quod ex tempore longiſſimo ſcio te mihi nimis fideliſſimum. Ideoque precor te, ut ſumma cautela hoc contineas oppidum. Scio enim te in opere prudentiſſimum, nullumque magis veracem & fortem hic modo reperire queo. Cui Ammirarius ait: Tibi inquam de tali nolo obedire officio, ſed priuſquam me tuo arguas ſtimulo, hoc conſentiam eo tenore, quod ſi Franci ejecerint nos de noſtro confinio, continuo eis dabo caſtellum. Cui Curbanas dixit: Tam honeſtum, prudentemque te cognoſco, quicquid agere vis age; ego utique conſentio. Reverſus itaque Curbanas, & voluit intrare in caſtellum. Dixitque illi Ammirarius: Si vis, accipe de Caſſiani auro, & omnes milites, qui hic ſunt, ſi volunt tecum venire, veniant modo cum ſuis mulieribus & infantibus. Vade, & occide omnes Francos, & deinde revertere, & tuum recipe caſtrum; ego autem modo nullam caſtelli fortiam tibi reddo.

LXVII. Riccardus autem de Principatu, & Tancredus, qui Syriacam linguam ſciebant, conſulebant cotidie Ammirario, ut domino Boamundo redderet caſtrum, & ille ſibi daret honorem maximum. At ille dicebat: Videtis hic Curbanam meum dominum. ſi autem eum poteritis ejicere de campo ſtatim vobis reddam caſtrum. Reverſus eſt itaque Curbanas feſtinanter ad ſuum exercitum in vallem, in qua erat caſtrametatus, ſcilicet ante civitatis introitum. Protinus Turci deludentes Francorum collegium, ante conſpectum Curbanæ quemdam viliſſimum enſem rubigine tectum attulerunt, & teterrimum, & arcum ligneum, & lanceam nimis inutilem, quæ abſtulerunt nuper pauperibus peregrinis, dicentes: Ecce arma, quæ adduxerunt Franci contra nos ad pugnandum. Tunc Curbanas videns hæc arma, cœpit ridere in propatulo, dicendo omnibus, qui in illo aderant contubernio: Hæc ſunt arma bellica, atque nitida, quæ adduxerunt ſuper nos Chriſtiani in Aſiam, orti in Occidentali terra, quibus armis putant ac confidunt nos expellere, & propulſare ultra Coroſani confinia, & delere omnia noſtra nomina ultra Amazonia flumina, vel ultra ſuperiorem Indiam, ceu propulſarunt

noſtros parentes de Romania, & Antiochia civitate regia, quæ eſt honorabile caput totius Syriæ. Continuo advocavit ad ſe ſuum fidelem notarium, & ait: Scribe cito plures chartas, quæ in Coroſanum ſunt legandæ, ſcilicet Calipha Apoſtolico, & noſtro Regi domino, & Soldano militi fortiſſimo, atque omnibus prudentiſſimis Coroſani militibus ſalus, & vita, & immenſus honor. ſatis ſint læti & gaviſi, & ſatisfaciant ventribus, imperentque, & ſermocinentur per univerſam regionem illam, & omnimodo dent ſe ſe ad petulantiam & luxuriam, ut multos filios patrare valeant, quo contra Chriſtianos fortiter bellare poſſint, & libenter ſuſcipiant hæc trina arma, quæ olim abſtulimus à Francorum turma. Et ſciant modo quæ adduxerunt ſuper nos gens Francia, qualiter ſint optima, atque perfecta concertare contra noſtra arma, quæ ſunt bis aut ter, ſive quater colata ceu argentum & aurum puriſſimum. Adhuc quoque ſciant, quoniam ego omnes Francos intus in Antiochia habeo incluſos, & caſtellum in mea libera voluntate, illi autem deorſum ſunt in civitate. Ego namque habeo jam jam illos omnes in mea poteſtate: aut eos faciam capitalem ſubire ſententiam, aut deducam Coroſanum in captivitatem perpetuam, eo quod minantur nos ſuis armis propulſare, & expellere ultra Coroſani confinia, aut delere omnia noſtra nomina ultra Amazonia flumina, aut ultra ſuperiorem Indiam, ceu ejecerunt noſtros parentes de cuncta Romania, ſive Syria. Vobis namque juro per Machomet, & per omnia deorum nomina, quoniam ante veſtram non ero reverſurus præſentiam, donec regalem Antiochiam, & omnem Syriam, ſive Romaniam atque Bulgariam, uſque dum Apuliam acquiſiero mea forti dextera ad deorum noſtrorum honorem, & omnium Turcorum de noſtro genere. Hic fecit finem dictis.

LXVIII. Mater autem ejuſdem Curbanas, quæ erat in *Aleph* civitate, ſtatim acceſſit ad eum lacrymabiliter, & dixit: Fili ſi eſt vera quæ audio? Cui ille ait, Dic quæ. Et dixit illa: Jam audivi quod bellum vis committere ſimul cum Francorum genere. Cui ille ait: Verum hoc verum omni modo ſcias. Dixitque illa: Conteſtor te fili per deorum nomina, & per tam magnam immenſamque bonitatem, ne bellum cum Francis committere velis, quoniam tu es miles invictus, & nullam imprudentiam de te, aut tuo exercitu umquam pe-

nitus audivi, & de campo ab aliquo victore fugientem quiſquam minime invenit. Diffamata eſt enim tua militia ab Oriente uſque ad Occidentem, & omnes prudentes tuo milites audito nomine ſolummodo contremiſcunt. Satis namque ſcimus fili, quoniam tu es bellipotens, & fortis, & bellorum ingenioſus, nullaque gens Chriſtianorum nec paganorum ante tuum conſpectum aliquam virtutem habere potuit: ſed fugit audito ſolummodo tuo nomine, quemadmodum oves ante leonis furorem fugiunt. Ideoque obſecro te, cariſſime & dilectiſſime fili, ut meis acquieſcas conſiliis, & ne umquam in tuo ſedeat animo, quod bellum incipere velis cum Chriſtianorum collegio.

LXIX. Tunc Curbanas materna audiens monita, feroci quoque reſpondit ſermone: Quæ ſunt iſta, mater, quæ mihi refers? puto enim te forte inſenſatam aut furia plenam. Enimvero plures mecum habeo Ammirarios, quam ipſi Chriſtiani ſint, promiſcue majores & minores. Reſponditque ei mater ejus: O dulciſſime fili, Chriſtiani nequeunt vobiſcum bellare. Hoc ſatis ſcio, quod ipſi non valent pugnam inferre nobiſcum: ſed eorum Deus pro ipſis cotidie pugnat, eoſque die noctuque ſua protectione defendit, & vigilat ſuper eos, ſicut paſtor vigilat ſuper gregem ſuum, & non permittit eos ipſe lædi nec conturbari ab ulla gente; & quicumque volunt eis obſiſtere, idem eorum Deus ſtatim conturbat illos, ſicuti idem ait per os Prophetæ David: *Effundam iram meam in gentes, quæ te non noverunt & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Ante etiam quam Chriſtiani præparati ſunt ad incipiendum bellum, eorumdem omnipotens Deus ſimul cum ſuis ſanctis omnes jam habent inimicos devictos. quanto magis faciet modo vobis qui eſtis ejus inimicus, & qui præparatis vos obſiſtere ſua tanta virtute? Hoc namque cariſſime in rei veritate ſcias, quoniam Chriſtiani iſti filii Dei vocati ſunt, & per Prophetarum ora filii adoptionis ac promiſſionis vocantur, & proprie dicti heredes Chriſti ſunt, quibus Chriſtus hereditates repromiſſas jam donavit, dicendo: *A ſolis ortu uſque ad Occidentem erunt termini veſtri: ita quod nemo audax ſtabit contra vos.* Et quis poteſt his omnibus contradicere & obſtare? Certe ſi hoc bellum contra illos incœperis, maximum tibi erit damnum ac dedecus: & multos milites tuos fideles perdes, & univerſa ſpolia, quæ apud

te

te habes, in nimio pavore fugiendo redibis. ſed tu in bello non morieris modo. Propterea dico tibi, quod non morieris modo, quoniam Deus eorum non ſtatim judicat offendentem exerta ira, ſed quando vult eum punit manifeſta vindicta. Ideo timeo, ne te judicet pœnali anguſtia, & tibi dico modo, quia morieris in hoc anno.

LXX. Curbanas autem valde dolens in intimis viſceribus, maternis auditis ſermonibus reſpondit: Mater cariſſima, quæſo quis tibi dixit iſta de gente Chriſtiana, quod Deus ejus tantum eam amat, & quod ipſe pugnandi in ſe virtutem retinet maximam, & quod illi Chriſtiani vincent nos in Antiocheno prœlio, & quod ipſi erunt noſtra capturi ſpolia, & nos perſecuturi cum immenſa victoria, & quod in hoc anno ero moriturus morte ſubitanea? Tunc reſpondit ei mater ejus dolens: O fili cariſſime, ecce pluſquam centum annorum tempora præterierunt, ex quo inventum eſt in noſtra pagina & in omnium gentilium voluminibus, quod gens Chriſtiana ſuper nos foret ventura, & nos ubique victura, & ſuper nos regnatura, & noſtra gens illi ubique foret ſubdita: ſed ignoro an iſta ſit illa victrix, an alia ventura poſtea. Et ego utique dolens non deſivi ſequi te in *Aleph* civitatem pulcherrimam, in qua ſpeculando, atque ingenioſe rimando cæli reſpexi caſtra, & planetas duodecim, polorum ſigna, ſortes quoque, & numeroſum equitatum: & in his omnibus reperi, quod gens Chriſtiana eſſet nos ubique ſuperatura. Ideoque timeo valde dolens & nimis mæſtiſſima, ne ego infelix remaneam orbata de te fili. Dixitque illi Curbanas: Mater dulciſſima, dic mihi omnia quæ in corde meo ſunt dubia. Quæ reſpondens ait: Hoc dulciſſime libenter faciam. Audi me dulciſſime fili. Deus Chriſtianorum eſt potens ſuper omnes deos, & omnia quæcumque vult facit in cælo, & in terra. Ipſe movet gentes ad pugnam, & quos ipſe movet, ipſe eos adjuvat, & donat victoriam. Dicit ei Curbanas: Dic mihi, quare ſic diligit eos Deus eorum? Cui mater reſpondit: Quia ſerviunt ei die ac nocte, & abſtinent ſe a peccatis, & maxime quia iſti per ſuam venerunt juſſionem, ut auferant ſuum Sepulcrum de poteſtate paganorum, & reducant eum in poteſtate Chriſtianorum, qui ei ſerviunt caſte & nitide potius quam nos. Et Curbanas: Hoc non credo, nec deſiſtam cum eis prœliari. Audiens itaque mater ejus, quod nullo modo acquieſceret ejus conſiliis, vehementer dolens receſſit retrorſum in *Aleph*

civitatem, deferens ſecum univerſa ſpolia, quæ deferre potuit.

LXXI. Tertia vero die armavit ſe Curbanas, & maxima pars Turcorum cum eo, veneruntque ad civitatem ex illa parte, in qua caſtrum erat: noſtri autem putantes reſiſtere eis, paraverunt bellum contra illos. Sed tam magna virtus fuit illorum, quod nos nequivimus illis reſiſtere, & volentes nolenteſque nos intravimus civitatem: nobiſque fuit tam mirabiliter arta & anguſta porta, quod multi fuerunt illic mortui oppreſſione aliorum. Interea alii pugnabant extra civitatem, alii intus in ſexta feria per totum diem uſque ad veſperam. Inter hos Guilielmus de Grandemaſneda, & Albericus frater ejus, & Ibo, & Guilielmus de Bruilla, & Guido Turſellus, & Guilielmus filius Riccardi, & Jambertus pauper, iſti viles omnes & deteſtabiles, timore perterriti de heſterno bello, nocte latenter dimiſſi ſunt cum funibus per murum, fugeruntque pedibus ſuis contra mare; ita quod neque in manibus, neque in pedibus nihil aliud remanſit, niſi ſola oſſa. Multique alii fugerunt cum illis, quos nominare ignoro. Venientes igitur ad naves, quæ erant ad portum ſancti Symeonis, dixeruntque nautis: Quid ſtatis hic miſeri? Omnes noſtri mortui ſunt, & nos de morte vix evaſimus, quia exercitus Turcorum undique eos obſedit, & obſidet in civitate. At illi audientes talia, ſtabant omnes ſtupefacti, ac timore perterriti: cucurrerunt ſtatim in naves, & miſerunt ſe in mare. Deinde ſupervenientibus Turcis, quos invenerunt occiderunt; & naves quæ in alveo fluminis remanſerant, combuſſerunt igni, & apprehenderunt ſpolia eorum. Nunc revertamur ad nos, qui remanſimus in civitate, & nequiebamus ſufferre pondus, neque arma illorum. Fecimus ergo murum inter nos & illos, quem vigilabamus die noctuque. Interea tanta oppreſſione famis fuimus oppreſſi, quod equos & aſinos noſtros manducabamus.

LXXII. Quadam autem die ſtantibus noſtris majoribus ſurſum ante caſtellum cum dolore & triſtitia, venit quidam ſacerdos, nomine Stephanus, ante eos, & dixit: Si vobis placet, fratres & domini, audite quamdam rem, quam ego in viſione vidi. Dum eſſem una nocte in eccleſia ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, apparuit mihi Salvator mundi ſimul cum ſua Genitrice, & cum beato Petro Apoſtolorum principe, ſtetitque ante me, & dixit mihi: Agnoſcis me? Cui reſpondi, Non. His dictis, ecce apparuit integra crux in capite ejus. Iterum ergo interrogavit me Dominus dicens: Agnoſcis me? Cui

ego dixi : Te alio modo non agnoſco, niſi quia crucem in capite cerno tuo, ſicuti Salvatori meo. Qui dixit : Ego ſum. Tunc ego cecidi ad pedes ejus. Rogavi humiliter eum ut nobis ſubveniret, & liberaret ab oppreſſione execratæ gentis, quæ ſuper nos erat. Reſponditque Dominus : Bene hactenus adjuvavi vos, & bene deinceps adjuvabo. Ego ſubjeci vobis Nicæam civitatem, & in omnibus prœliis victoriam dedi, & induxi vos uſque huc, & condolui veſtræ miſeriæ, quam paſſi fuiſtis in Antiochiæ obſidione. Ecce in opportuno tempore intromiſi vos ſanos & incolumes in ipſam civitatem, & vos multam pravam delectationem operati eſtis cum Chriſtianis & paganis mulieribus, unde immenſus fœtor aſcendit in cælum. Tunc alma Virgo & beatus Petrus ceciderunt ante pedes ejus, rogantes eum & deprecantes, ut ſuum populum in hac tribulatione adjuvaret. Domine per multa tempora tenuit, immo & fœdavit pagana gens domum meam, & in ea multa ineffabilia mala fecerunt : modo vero expulſis inimicis Angeli lætantur in cælo. Dixitque mihi Dominus : Vade ergo & dic populo meo, ut revertantur ad me, & ego revertar ad illos, & intra quinque dies mandabo eis adjutorium ; & cotidie decantent ℟. *Congregati ſunt inimici noſtri*, totum cum verſu. Hoc ſi non creditis eſſe verum, ſinite in hanc aſcendere turrim, mittamque me deorſum. ſi ero incolumis, credite eſſe verum : ſin autem ullam læſionem fuero paſſus, decollate me, aut in ignem projicite. Tunc Podienſis Epiſcopus juſſit afferri Evangelia & crucem, ut juraret ille hoc, quod dixerat eſſe verum. ſicque factum eſt. Conſiliati ſunt itaque omnes noſtri majores in illa hora communiter jurare, quod nullus illorum fugeret, quamdiu vita ſupereſſet eis. Primo dicitur juraſſe Boamundus, deinde Comes ſancti Ægidii, & Robertus Normannus, & Dux Gottifredus, & Comes Flandrenſis. Tancredus autem juravit ſic, quod quamdiu ſecum quadraginta milites haberet, nec ex illo bello, nec etiam Jeruſolymitano itinere eſſet receſſurus. Et nimis exaltata eſt omnis Chriſtianorum congregatio hoc audiens ſacramentum.

LXXIII. Erat autem ibi quidam peregrinus de exercitu noſtro, cui nomen Petrus Bartholomæus : cui, antequam civitatem intraviſſemus, apparuit ſanctus Andreas dicens : Quid agis bone vir ? Cui ille reſpondit : Tu qui es ? dixit Apoſtolus : Ego ſum Andreas apoſtolus. hoc tibi præcipio fili, cum intraveris urbem, vade ad eccleſiam beati Petri fratris mei, ibique

invenies lanceam Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti, cum qua in crucis pendens patibulo vulneratus fuit. Vade, & dic Podienſi Epiſcopo & Raimundo Comiti ſancti Ægidii, ne timeant neque paveant, quia Deus cum illis eſt. His dictis Apoſtolus continuo receſſit. Ille autem Peregrinus timens revelare conſilium Apoſtoli, noluit indicare aliis peregrinis, æſtimabat enim ſe viſum fallacem videre. In alia ergo hora apparuit ei iterum ſanctus Andreas dicens: Quid agis Petre? Cui ille reſpondit: Tu qui es? dixitque illi: Ego ſum Andreas apoſtolus. Quare non demonſtraſti Epiſcopo & Comiti revelationem, quam tibi oſtendi? Et dixit illi: Domine, quis hoc credet? Tunc aſſumpſit eum ſanctus Andreas, & duxit eum in viſu uſque ad illum locum, ubi lancea erat recondita in terra. Iterum autem cum eſſemus ita, ut ſuperius dictum eſt, venit ſanctus Andreas rurſum dicens ei: Quare non abſtuliſti lanceam, ut ego tibi præcepi? Scias re vera, quia quicumque hanc lanceam in bello habuerit, numquam ab hoſte ſuperabitur. Ipſe autem continuo revelavit myſterium Apoſtoli Epiſcopo, & Comiti, & aliis Peregrinis. Populus autem non credebat, ſed prohibebat dicens: Quomodo poſſumus hoc credere? quod omni modo erant paventes atque timentes, & protinus mori putabant. Acceſſit itaque ille, & juravit hoc totum veraciſſimum eſſe, quod iterum ſanctus Andreas in viſione venit dicens: Surge, & vade, & dic populo Dei ne timeat neque paveat, ſed firmiter toto corde credat in unum verum Deum, eritque ubique victor, & intra quinque dies mandabit ei Dominus talem rem, unde læti & gaviſi manebunt: & ſi certare voluerint, ſtatim quod exierint unanimiter ad bellum, omnes illorum inimici undique ſtabunt jam victi, & nemo ſtabit contra illos.

LXXIV. Audientes itaque noſtri hoc, protinus cœperunt ſe lætificare, & confortabant ſe ad invicem dicentes: Expergiſcimini, & eſtote ubique fortes ac prudentes, quoniam in proximo erit nobis Deus in adjutorium, & erit maximum refugium populo ſuo, quem reſpicit in mærore manentem. Turci autem qui erant in caſtello, undique tam mirabiliter coanguſtabant nos, quod quadam die incluſerunt tres milites ex noſtris in quadam turre, quæ ſtabat ante eorum caſtellum. Exierunt namque gentiles, & irruerunt ſuper illos tam acriter, quod illi nequiebant jam ſufferre pondus illorum. Duo exierunt de noſtris vulnerati, & tertius per totum diem viriliter ſe defendit de

Turcorum invaſione tam prudentiſſime, quod in illa die duos Turcos mortuos ſtravit ſuper aditum muri cæſa haſta. nam tres haſtas detruncaverunt illi die illa in manibus ſuis. Erat autem nomen ejus Ugo Forſonea, de exercitu Joffredi de Monte-ſcabioſo. Videns vir valentiſſimus Boamundus, quod nullatenus poſſet conducere gentem ſurſum contra caſtellum ad bellum, concluſa utique latebat in domibus ſive pro fame, ſive pro timore Turcorum, iratus eſt valde; juſſit itaque confeſtim immitti ignem in illam partem civitatis, ubi Caſſianum palatium erat. Videntes autem illi qui erant in civitate hoc, derelinquentes domos, ſimul cum omnibus ſuis ſpoliis fugiebant: alii in caſtellum fugiebant, alii ad portam Comitis ſancti Ægidii, alii ad portam Ducis Gottifredi, unuſquiſque ad ſuam gentem. Tunc nimia tempeſtas ſubito ſurrexit, itaut nullus homo poterat ſtare erectus. Boamundus itaque vir ſapiens contriſtatus eſt valde pro ſancti Petri eccleſia, & aliis eccleſiis. Hæc ira turbinis & incendii perduravit ab hora tertia uſque in mediam noctem; fueruntque cremata duo milia ædificia intra eccleſias & domos. Veniente autem media nocte, ſtatim omnis feritas venti cecidit. Itaque Turci habitantes in caſtello civitatis bellabant nobiſcum die ac nocte, ita quod nihil aliud ſeparabat nos niſi arma. Videntes autem noſtri, quod non poſſent diu pati, quoniam qui habebat panem, non licebat ei manducare; & qui habebat aquam, non licebat ei bibere; fecerunt murum inter ſe & illos de petra & calce, & ædificaverunt caſtellum & machinas, ut ſecuri eſſent. Una autem pars Turcorum remanſit in caſtello ad nobiſcum bellandum; alia vero pars hoſpitata erat prope caſtellum in una valle.

LXXV. Nocte vero ſuperveniente ignis de cælo apparuit veniens ab Occidente, & appropinquans cecidit inter Turcorum exercitus. Unde mirati ſunt multum Turci, & noſtri. Mane autem facto tremefacti Turci fugiebant omnes pariter pro ignis timore ante domini Boamundi portam, illicque hoſpitati ſunt: pars vero, quæ in caſtello ad agendum bellum cum noſtris die noctuque ſagittabant, vulnerabant, & occidebant de noſtris: alia autem pars undique obſidebant civitatem, ita quod nullus noſtrorum de civitate audebat exire, aut intrare niſi in nocte, & occulte: ita enim eramus oppreſſi, & obſeſſi ab illis paganis inimicis Dei & ſanctæ Chriſtianitatis, quorum numerus fuit innumerabilis: iſtique profani inimici Dei ita tenebant

nos incluſos in civitate Antiochiæ, quod multi ex noſtris fuerunt mortui fame, quoniam parvus panis vendebatur unum byzantium. De vino autem non loquamur. Equinas carnes, aut aſininas quidam manducabant & vendebant. Vendebant gallinam quindecim ſolidos, ovum duos ſolidos, unam nucem unum denarium; folia ficus & vitis & arborum manducabant. Alii coria caballorum, & aſinorum, & camelorum, atque boum ſive bubalorum ſicca decoquebant. Omnes anxietates & anguſtias nominare nequeo, quas paſſi ſumus pro Chriſti nomine, & pro ſancti Sepulcri via deliberanda. Prædictas autem tribulationes, & fames, atque timores paſſi ſunt ſervi Dei per viginti ſex diebus.

Nota. LXXVI. Impudens itaque & abominabilis Stephanus Carnotenſis Comes, qui erat caput noſtrum, quem omnes noſtri majores elegerant, ut eſſet noſtrorum ductor, maxima fingens ſe gravari infirmitate, priuſquam Antiochia fieret capta, turpiter receſſit ad quoddam caſtrum, quod vocatur Alexandreta. Nos itaque cotidie præſtolabamur eum, quatenus veniret nobis in adjutorium. At ille, poſtquam audivit gentem Turcorum circumcingentem atque obſidentem nos, latenter aſcendit ſuper proximam montaneam, quæ eminebat ſuper omnes montes, qui erant in circuitu ejus prope Antiochiam: videnſque innumerabilia tentoria, repente correptus timore nimio una cum ſuo exercitu turpiter aufugit cum magna feſtinatione, veniens ſque ad ſuum caſtrum exſpoliavit illud, & celeri curſu verſus Conſtantinopolim impudenter iter vertit. Quod poſtquam obviavit Imperatori ad Filomenam, acceſſit ad eum, & ſeorſum vocavit eum dicens: Scias re vera, quoniam Antiochia capta eſt, & caſtrum adhuc minime captum eſt, noſtrique omnes in gravi oppreſſione obſeſſi ſunt, & (ut puto) a Turcorum manibus jam interfecti ſunt. Revertere ergo retro quam citius potes, ne forte ipſi inveniant te, ac gentem, quam tecum ducis.

LXXVII. Tunc Imperator timore perterritus clam vocavit Guidonem, fratrem domini Boamundi, omneſque alios, & ait illis: Quid faciemus? ecce omnes noſtri in arta obſeſſione tenentur in Antiochia, & forſitan in hac hora omnes Turcorum manibus mortui ſunt, aut in captivitatem deducti, ſicut iſte infeliciſſimus Comes impudenter fugiens narrat. Si ergo vultis, revertamur retro celeri curſu, ne & nos moriamur

repentina morte, quemadmodum & illi mortui ſunt. Cumque frater domini Boamundi Guido honeſtiſſimus miles hanc audivit fallaciam, ſtatim cum omnibus cœpit plorare, & ululare vehementiſſimo planctu, & una voce omnes dicebant: O Deus verus trinus & unus, quam ob rem hoc fieri permiſiſti? cur populum ſequentem in manus inimicorum incidere permiſiſti, & viam tui itineris tuique Sepulcri liberantes tam cito perire permiſiſti? Certe ſi hoc verum eſt quod ab iſtis nequiſſimis audivimus, nos & alii Chriſtiani derelinquimus te, & non amplius rememorabimus, & nullus ex nobis audebit ulterius invocare nomen tuum. Et fuit hic ſermo valde inhoneſtiſſimus in tota illa militia, ita quod nullus eorum audebat jam, neque Archiepiſcopus, neque Epiſcopus, neque preſbyter, neque clericus, neque quiſquam laicus Chriſti invocare nomen per plures dies.

LXXVIII. Nemo namque poterat conſolari Guidonem, plorantem, & plaudentem manibus, ſuoſque frangentem digitos & dicentem: Heu me, domine mi Boamunde, honor & decus totius mundi, quem univerſus orbis timebat, atque amabat! heu me triſtem, qui non merui videre tuam honeſtiſſimam ſpeciem! nam nullam rem magis videre deſiderabam. heu quis mihi det ut ego moriar pro te, dulciſſime amice, & frater domine! Cur ex utero meæ exiens matris non ſtatim mortuus fui! Cur ad hanc lugubrem perveni diem! cur non necatus fui in mari! cur ex equo non cecidi fracto collo, recepique repentinum interitum! utinam tecum recepiſſem finem. Cumque omnes accurriſſent ad eum, & conſolarentur eum, ut jam finem daret planctui; reverſus in ſe, & dixit: Forſitan creditis huic cani viliſſimo militi, de quo numquam audivi loqui, quod ipſe in militia fecerit aliquod laudabile factum: ſed turpiter & inhoneſte recedit ſicut nequiſſimus & infelix, & quicquid miſer nunciat, ſciatis per omnia falſum eſſe. Interea juſſit Imperator ſuis hominibus dicens: Ite & conducite omnes homines iſtius terræ in Bulgariam, & exſpoliate, & devaſtate univerſa hæc loca, ut cum venerint Turci nihil poſſint reperire. Volentes nolenteſque noſtri reverſi ſunt retrorſum, dolentes & mærentes amariſſime uſque ad mortem. Fueruntque mortui multi ex Peregrinis, qui erant languentes in nimia ægrotatione: quique fortiter non prævalebant militiam ſequi, remanebant morientes in via, & omnes alii reverſi ſunt Conſtantino-

polim : nunc revertamur ad priorem ſermonem.

LXXIX. Nos igitur auditis ſermonibus illius, qui hanc nobis Chriſti revelationem retulit per Apoſtoli verba, ſtatim feſtinavimus ad locum eumdem, ubi demonſtravit homo ille: & foderunt ibi tredecim homines à mane uſque ad veſperam; & idem homo invenit lanceam, quemadmodum indicaverat: & acceperunt illam cum magno gaudio & timore, fuitque orta immenſa lætitia per totam urbem. Continuo ab illa hora accepimus inter nos conſilium belli. Porro ſtatuerunt omnes majores noſtri conſilium, quatenus nuntios mitterent inimicis Chriſti Turcis, ut eos interrogarent ſecuro eloquio, quam ob rem ſuperbiſſime in Chriſtianorum introiſſent terram, & cur caſtrametati eſſent in ea, & quare Chriſti ſervos occiderent, & conquaſſarent. Cumque jam finis eſſet dictis, invenerunt quoſdam viros, quos Petrum Eremitam & Orlinum vocabant, illiſque dixerunt hæc: Ite ad Turcorum exercitum, & diligenter narrate eis, & interrogantes eos, cur audacter, & ſuperbiſſime in Chriſtianorum introierunt terram, & noſtram. Illi ergo nuntii abierunt, & venerunt ad profanum collegium, dicentes univerſa verba Curbanæ, & aliis ita. Satis mirantur noſtri majores, quam ob rem ſine timore, ac ſuperbiſſime in Chriſtianorum introiſtis terram illorum. forſitan ideo huc veniſtis, quod per omnia vultis effici Chriſtiani, & creditis in unum verum Deum, quem nos in Trinitate colimus. Si vero propter hoc minime huc veniſtis, rogant vos humiliter omnes noſtri majores pariter, quod velociter recedatis à Dei terra, & Chriſtianorum, quam beatus Petrus apoſtolus jam dudum prædicavit, & ad Chriſti culturam revocavit. Et illi permittunt vobiſcum adhuc reduci omnia veſtra, ſcilicet equos & mulos, aſinos & camelos, oves quoque & boves, & alia omnia ornamenta permittent vobiſcum ubicumque volueritis deferre.

LXXX. Tunc Curbanas, princeps militiæ Soldani Perſiæ, cum omnibus aliis plenis tumida ſuperbia, feroci reſponderunt ſermone. Deum quippe veſtrum, & veſtram Chriſtianitatem nec optamus, nec volumus, voſque cum illis omnimodo reſpuimus. Sed valde miramur, quam ob rem majores veſtri, quos vos memoratis, terram, quam abſtulimus proſpere ac prudentiſſime effeminatis gentibus, illi vocant ſuam. Revertimini ergo quantocius, & dicite veſtris majoribus, quod

quod ſi per omnia cupiunt effici Turci, & Deum quem colunt abnegare, & leges ſuas ſpernere; nos illis hanc, & ſatis plus dabimus terram, & civitates, & caſtella, & tot equos, quod nemo veſtrorum remanebit pedes: ſed erunt omnes effecti equites, ſicuti & nos ſumus; & habebimus eos ſemper in amicitiam. Sin autem, ſciant ſe capitalem ſubire ſententiam, aut ducti Coroſanum in vinculis, captivitate perpetua ſervient nobis noſtriſque infantibus. Nuntii itaque noſtri velociter reverſi ſunt retrorſum, referendo hæc omnia, & quemadmodum reſponderat eis gens crudeliſſima.

LXXXI. Fertur Orluinus utramque ſciſſe linguam, & fuiſſe interpretem Petro Eremitæ. Interea exercitus noſtri utraque tremefacti parte ignorabant quid potius facerent. In una parte coanguſtabat eos cruciabilis fames: in alia conſtringebat timor Turcorum. Tunc converſi ad Dominum, prædicaverunt jejunium. Tandem triduano jejunio expleto, & proceſſionibus celebratis de una eccleſia ad aliam, de illorum peccatis confeſſi & abſoluti, fideliter corpore & ſanguine Chriſti communicati ſunt, & fecerunt immenſos cereos eccleſiæ ſancti Petri, & Genitricis Dei; datiſque eleëmoſynis, fecerunt celebrari Miſſas. In illa quoque die vendebatur modicum panis uno byzantio, & facto bello vendebatur pro uno denario. Deinde ſtabilitæ ſunt ſex acies intra civitatem. In prima acie fuit Ugo magnus cum Francigenis & Flandrenſi Comite. In ſecunda Dux Gottifredus cum ſuo exercitu. In tertia fuit Robertus Normannus ſimul cum ſua multitudine. In quarta Podienſis Epiſcopus portans ſecum lanceam Salvatoris cum ſuo exercitu, & cum illo gens Raimundi comitis ſancti Ægidii, qui remanſit ſurſum obſervare caſtellum pro timore Turcorum, ne deſcenderent in civitatem. In quinta fuit Tancredus cum ſua gente. In ſexta fuit vir ſapiens Boamundus cum ſua pulcherrima militia. Epiſcopi noſtri, & preſbyteri, & clerici, & monachi ſacris veſtibus induti, exibant cum crucibus, orantes & deprecantes Deum, ut nos ſalvos faceret, & nos cuſtodiret ab omni periculo & ab omnibus malis. Alii ſtabant ſuper murum civitatis, tenentes ſacras cruces in manibus ſuis, ſignando & benedicendo nos. Nos ita ordinati, atque ſigno crucis protecti, incœpimus exire de civitate per portam, quæ eſt ante machomariam.

LXXXII. Poſtquam Curbanas vidit Francorum acies

tam pulcre ordinatas, unam poſt aliam, vocavit quemdam Ammirarium qui de civitate exierat, dixitque illi: Nonne dicebas, quod Franci numquam erant bellaturi nobiſcum? Exivit ergo ille & vidit honorabiles acies & dixit: Certe non fugiunt Franci, ſed firmiter veniunt prœliari nobiſcum. Et timens valde Curbanas, mox mandavit ſuo Ammirario, qui omnia in ſua habebat cuſtodia, ut ſi ille videret ignem accenſum in capite exercitus, protinus præconiaret omnem exercitum ut rediret retro, ſciendo Turcos amiſiſſe bellum. Continuo Curbanas cœpit paulatim redire retro contra montaneam; noſtrique paulatim perſequi. Deinde diviſi ſunt Turci: una pars ibat contra mare, & alii ſteterunt illic, putantes nos includere inter ſeſe. Videntes hoc noſtri fecerunt ſimiliter. Illic fuit ordinata ſeptena acies ex acie Ducis Gottifredi, & Comitis de Normannia, & caput illius fuit Comes Rainaldus. Hanc mandaverunt obviam contra illos, qui veniebant à mari. Turci autem bellaverunt cum illis, ſagittando multos ex eis. Aliæ autem turmæ ordinaverunt ſe à flumine uſque ad montaneam, quod diſtat per duo miliaria. Cœperunt autem Turcorum turmæ ex utraque exire parte, noſtroſque omnes circumcingunt jaculando, ſagittando, vulnerando. Interea exierunt de montaneis innumerabiles exercitus, ſedentes ſuper equos albos, quorum vexilla omnia erant candentia. Videntes itaque noſtri hunc exercitum, ignorabant penitus qui eſſent, donec cognoverunt eſſe adjutorium Chriſti; cujus ſancti agminis ductores fuerunt ſanctus Georgius, Mercurius, & Theodorus. Hæc verba procul dubio credenda ſunt, quia plures ex noſtris hoc viderunt. Illi autem Turci, qui ſtabant in parte maris, videntes quod non poſſent amplius ſufferre, miſerunt ignem in herbam: ut videntes illi, qui erant in tentoriis, inciperent fugam. At illi cognoſcentes hoc ſignum, arripuerunt omnia honorabilia ſpolia, & fugerunt. Noſtri vero paulatim equitabant, ubi illorum virtus erat, ſcilicet ad eorum tentoria. Dux Gottifredus, & Flandrenſis Comes, & Ugo Magnus equitabant juxta aquam, ubi virtus illorum erat. Iſti primitus ſigno crucis muniti unanimiter invaſerunt illos. Exclamaverunt autem Perſæ, & Turci: nos vero invocantes Deum vivum & verum, equitavimus contra illos, & ſic in nomine Jesu-Christi, & ſancti Sepulcri incœpimus bellum, & Deo adjuvante devicimus eos. Turci quippe tremefacti, arripuerunt fugam: noſtrique illos perſecuti ſunt uſque ad eo-

rum tentoria, ſternendo & interficiendo. Magis itaque milites Chriſti amaverunt illos perſequi, quam ulla ſpolia quærere: & perſecuti ſunt eos uſque ad Pontem-ferreum, ac deinde uſque ad Tancredi caſtellum. Illi autem dimiſerunt papiliones ſuos, aurum, & argentum, & ornamenta multa, oves, & boves, equos, & aſinos, & mulos, & camelos, frumentum, vinum, & farinam, & alia multa, quæ nobis erant neceſſaria.

LXXXIII. Armeni & Suriani, qui habitabant in illis partibus, audientes nos ſuperaſſe Turcos, cucurrerunt ad montaneam, obviantes illos, & quantos potuerunt comprehendere interfecerunt. Nos autem reverſi ſumus in civitatem cum magno gaudio, laudantes & benedicentes Deum, qui dedit victoriam populo ſuo. Ammirarius itaque, qui caſtellum cuſtodiebat, videns Curbanam & omnes alios fugiſſe ex campo ante Francorum gentem; valde timens, cum magna feſtinatione petebat Francorum vexilla. Comes igitur ſancti Ægidii, qui illic adſtabat ante caſtellum, juſſit ei ſuum porrigi vexillum. Ille autem recepit illud, & diligenter miſit in arce: ipſa vero hora venit vir venerabilis Boamundus, deditque ſuum vexillum. Ille autem accepit illud vexillum cum magno gaudio, & pactus eſt Ammirarius cum domino Boamundo, quod illi homines qui vellent Chriſtianitatem recipere, remanerent cum eo; & qui vellent abire, ſanos & abſque ulla læſione abire permitteret. Conſenſit ille quicquid ei Ammirarius poſtulavit, & miſit ſuos ſervientes continuo in caſtellum.

LXXXIV. Non poſt multos dies baptizatus eſt Ammirarius cum illis, qui Chriſtum cognoſcere & colere voluerunt: qui autem ſuos voluerunt retinere errores, fecit eos dominus Boamundus conduci, ſicut promiſerat, uſque in Sarracenorum terram. Poſt hæc juſſit ut adduceretur Curbanæ tentorium in civitatem, & juſſit ut liberarentur illi Chriſtiani, qui illic erant capti & ligati; & fecit Curbanæ tentorium per mare conduci Barim ad ſanctum Nicolaum, ut lætaretur omnis chriſtiana plebs de triumpho, quem dedit populo ſuo Dominus ſuper paganorum gentem, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui eſt honor, & gloria per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. Hoc prœlium factum eſt in quarto Kalendas Julii, in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli.

LXXXV. Et cum jam Deo ſummo & vero, trinoque & uno dignas referremus grates, & inimici noſtri per omnia devicti eſſent, huc & illuc fugientes, alii ſemivivi, alii vulnerati in vallibus, & in nemoribus, & in arvis, & in viis deficiebant mortui. Populi autem Chriſti, ſcilicet victores peregrini, reverſi ſunt gaudentes & exultantes felici triumpho in civitatem. Tunc congregati ſunt omnes majores, & ordinaverunt concilium, quemadmodum hunc valerent regere & conducere populum, uſque dum peragerent ſancti Sepulcri iter, pro quo uſque huc fideliter multa paſſi erant incommoda. Inventum itaque eſt in concilio, quod ſtatim nullo modo in paganorum introiſſent terram, eo quod valde in æſtivo tempore arida & inaquoſa eſt. Noviſſime ſtatuerunt quieſcere uſque Kalendas Novembris, videlicet ad omnium Sanctorum ſollemnitatem: ac deinde, quia hiemali tempore conveniens eſſet per illa loca intrare, cum gaudio viam ſancti Sepulcri urbem gaudentes ire inciperent.

LXXXVI. Omnes pariter hoc laudaverunt conſilium, quod nimis honeſtum eſſet ad faciendum, ſcilicet terminum illum eſſe expectandum. Denique diviſi ſunt noſtri Principes; & unuſquiſque profectus in ſuam terram, morabatur uſque dum appropinquaret eundi terminus. Feceruntque præconiari per univerſam civitatem, ut ſi aliquis egenus eſſet ibi, qui auro & argento careret, atque cum illis manere vellet, libenter retineretur ab eis. Erat autem ibi quidam honeſtiſſimus miles de exercitu ſancti Ægidii Comitis, cui nomen Raimundus Piletus. hic plures retinuit homines, videlicet equites & ſervientes. Egreſſus eſt itaque ille, & cum eo Raimundus Vicecomes de Taurina, & Galferius * *Daſturs* cum ſuis exercitibus, & prudentiſſime ac viriliter intraverunt in Sarracenorum terram, & profecti ſunt ultra duas civitates, & pervenerunt ad quamdam civitatem, cui nomen Talamaniz, quam civitatem habitatores illius, ſcilicet Suriani, confeſtim ſponte & ſe eis dederunt. Cumque eſſent ibi omnes per octo dies, venerunt nuntii ad eos dicentes: quod hic prope nos eſt quoddam caſtrum Sarracenorum plenum multitudine. Ad hoc ergo omnes ierunt iidem Chriſti ſervi, & undique invaſerunt illud; & continuo ab illis captum eſt cum Chriſti adjutorio. Apprehenderunt igitur omnes illius colonos, &

occiderunt illos, qui Chriſtianitatem nequaquam recipere voluerunt: ſed illos qui Chriſtianitatem cognoſcere voluerunt, conſervaverunt vivos. Reverſi ſunt autem noſtri Franci cum gaudio ad priſtinam civitatem.

LXXXVII. Tertia vero die exierunt, & venerunt ad quamdam civitatem, cui nomen Marra, quæ erat prope illos. Erant ibi multi Turci & Sarraceni, & Arabes ab *Aleph* civitate, & ab omnibus civitatibus congregati, quæ in circuitu ejus erant. Exierunt ergo barbari contra illos ad bellum, noſtrique putabant lucrari cum illis: ſed illi ſtatim arripuerunt fugam. Et tamen per totum diem unum ad invicem invadebat unus alium uſque ad veſperam. Æſtus namque erat immenſus: nequibant autem jam noſtri ſufferre tantam ſitim, quia nullatenus ibi ad bibendum aquam invenire poterant; ideoque voluerunt ad ſuam civitatem redire. Tunc Suriani & minuta gens mox ceperunt fugam retrorſum, quia illi erant ſine aliquo ductore, ceu oves non habentes paſtorem. Ut autem Turci viderunt illos fugientes, confeſtim cœperunt illos ſequi: multique ex noſtris reddiderunt illic felices animas Deo, pro cujus amore illic congregati erant. Hæc occiſio fuit facta v. die ſtante menſe Julii. Reverſi ſunt denique Franci in ſuam civitatem, fueruntque ibi cum ſuis exercitibus per plures dies.

LXXXVIII. Neque hoc prætereundum puto, quod in Aſſumptione ſanctæ Mariæ, dum ſtarent ambo Raimundi cum ſuis exercitibus in eadem civitate jam ſupra dicta cum fiducia & ſecuritate, congregati ſimul multi Turci, Arabes, & Sarraceni ab *Aleph*, & aliis caſtris illius montaneæ, veneruntque occulte illuc, & irruerunt ſuper eos. Tunc ambo Raimundi cum ſuis exercitibus videntes hanc excommunicatam congregationem, ſigno crucis undique munientes ſe ſe, Chriſti invocato nomine audacter irruerunt ſuper eos. qui continuo audito Chriſti verbo arripuerunt fugam, & occiderunt noſtri ex illis ſeptem, & retinuerunt decem pulcherrimos equos. Alii autem qui in Antiochena remanſerant civitate, ſteterunt cum magno gaudio & lætitia: quorum rector & paſtor exivit Podienſis Epiſcopus, qui nutu Dei atque voluntate à gravi ægritudine captus eſt, &, ut Dei voluntas fuit, migravit ab hoc ſæculo, & in pace requieſcens obdormivit in Domino, in Abrahæ videlicet, & Iſaac, & Jacob

ſinu receptus in Kalendis Auguſti, ſcilicet in feſto ſancti Petri ad Vincula, cujus ſpecioſiſſima anima in cælis exultat cum Angelis: unde maxima anguſtia, & tribulatio, & immenſus dolor fuit in tota Chriſti militia: quia ille erat ſuſtentamentum pauperum, & conſilium divitum. Idemque ordinabat clericos, & prædicabat, & ſubmonebat milites, & dicebat illis: Prudentiſſimi milites veſtras fideliter date decimas de cunctis rebus, quæ ſuper Sarracenos apprehendiſtis, veſtris cappellanis. In quatuor partes dividite decimas, ſcilicet duas pauperibus, & unam Epiſcopo, & quartam preſbyteris, qui vobis officium impendunt: quia nemo ex vobis ſalvari poteſt, niſi honorificet & reficiat pauperes clericos; voſque non poteſtis ſalvari ſine illis, & illi abſque vobis vivere nequeunt. Oportet igitur ut ipſi cotidiana flagitatione Deum pro veſtris delictis orent: quem vos offenditis in multis, quod numquam eſſe deberet. Et vos oportet illos tegere, & nutrire: quia neſciunt perquirere neque invenire, ſicut vos ſcitis. Ergo egomet rogo vos, ut pro Dei amore eos diligatis, & in quantum poteſtis eos ſuſtineatis.

LXXXIX. Non poſt multum vero temporis vir venerabilis Comes ſancti Ægidii intravit in Sarracenorum terram, & pervenit ad quamdam civitatem, quæ dicitur Albara: quam invaſit una cum ſuo exercitu, eam continuo apprehendit, & occidit ibi plures Sarracenos, maſculos videlicet, & feminas. Quam ut in ſuo continuit imperio, ad Chriſti revocavit fidem. Continuo cœpit quærere cum ſuis ſapientiſſimis viris, ut Epiſcopum in ea urbe devotiſſime ordinaret, qui reſiduum populi ad Chriſti culturam fideliter revocaret, & de domo diabolica templum Deo vivo & vero, & oracula ſanctorum cito conſecraret. Noviſſime elegerunt quemdam honorabilem ac ſapientiſſimum virum, & duxerunt illum in Antiochiam ad conſecrandum: factumque eſt ita.

XC. Appropinquante autem termino, videlicet omnium Sanctorum feſto, regreſſi ſunt omnes majores in civitatem Antiochiæ. Boamundus autem qui erat in Romaniæ profectus partes, infirmitate gravante eum, prohibitus fuit intereſſe ad prædictum poſitum terminum. Cum vero illud tempus advenit, quo equitare potuit, continuo ad civitatem, in qua alii erant congregati, advenit. Omnes itaque cœperunt quærere, qualiter ſancti Sepulcri iter valerent peragere, dicentes: Quoniam appropinquavit eundi terminus, nulla mora nos amplius conturbet.

Boamundus vero requirebat cotidie compleri ſuam conventionem, quam omnes promiſerant ei, ſcilicet de ſubjicienda civitate. Magis autem querebatur de ſancti Ægidii Comite, qui ad conventionem emollificare erga Boamundum ſe nolebat: eo quod ipſe Comes timebat ſe perjurare circa Imperatorem. Tamen ſæpe fuerunt congregati ad juſtum faciendum in ſancti Petri eccleſia. Boamundus enim recitavit ſuam conventionem, & ſuum oſtendebat computum. Comes ſancti Ægidii ſimiliter ſua oſtendit verba, & jusjurandum, quod fecerat Imperatori cum Boamundi conſilio. Epiſcopi, & Dux Gottifredus, & Flandrenſis Comes, & Comes de Normannia, & alii majores, ab aliis ſegregati ſunt, & intraverunt ubi cathedra ſancti Petri eſt, ut illic judicium inter utrumque decernerent. Poſtea vero timentes, ne ſancti Sepulcri via negligeretur, nolebant juſtum aperte dicere. Ait autem Comes ſancti Ægidii: Potiuſquam via ſancti Sepulchri remaneat, ſi Boamundus nobiſcum una venire voluerit, quicquid noſtri Pares, videlicet Dux Gottifredus, & Flandrenſis Comes, & Robertus Normannus, & alii magnates laudaverint, ego utique fideliter conſentiam, ſalva Imperatoris fidelitate. Hoc totum laudavit Boamundus, & promiſerunt ambo in manibus Epiſcoporum, quod ſancti Sepulcri via nullo modo fieret diſturbata.

XCI. Tunc accepit Boamundus conſilium cum ſuis hominibus, quomodo muniret caſtrum urbis de hominibus & victu: & Comes ſancti Ægidii ſimiliter accepit cum ſuis hominibus, quomodo muniret palatium Caſſiani Ammirarii, & turrem, quæ eſt ſuper portas pontis, qui eſt in parte portæ ſancti Symeonis, de hominibus & victu, qui non deficerent longo tempore: & ita nolebant ſtulte vel inconſulte dimittere regalem civitatem Antiochiam. Et venit per unam civitatem, quæ vocatur Subrea, & per aliam quæ vocatur Albara, & quarto die exeunte Novembris pervenit ad Marram civitatem, in qua maxima multitudo Sarracenorum, & Turcorum, & Arabum, & aliorum paganorum erat congregata; ipſeque craſtina die Comes invaſit eam. Non poſt multum temporis Boamundus cum ſuo exercitu ſecutus eſt Comitem, & ad eum applicatus eſt in die Dominico. Secunda vero feria vehementer & nimis fortiter invaſerunt undique civitatem tam acriter, quod ſcalæ ſtabant erectæ ad murum civitatis; ſed tam maxima paganorum virtus erat, quod noſtri in illa die illis nihil nocere potuerunt.

XCII. Videntes quod fruſtra laborabant, juſſit Raimundus Comes ſancti Ægidii fieri quoddam ligneum caſtrum nimis forte & valde altum, quod caſtrum ingeniatum atque ædificatum erat ſuper quatuor rotas, ſuper quod ſtabant plures milites, & Hemirandus venator tubam fortiter ſonando: ſubter vero erant armati milites, qui illud promoverunt uſque prope civitatis murum juxta quamdam turrem. Tunc videns hoc gens pagana, ſtatim fecit inſtrumentum, cum quo jactabat maximos lapides ſuper noſtrum caſtrum, ita quod pæne noſtri milites conquaſſabantur. Et ſimiliter adhuc ruebant græcos ignes ſuper illud, eo quia putabant illud incendere & diſſipare. Caſtrum vero noſtrum imminebat ſuper omnes muros civitatis. Milites igitur Chriſti, qui erant ſurſum in ſolario ſuperiori, videlicet Guilielmus de Monte-Piſlerio, & alii multi, jactabant immenſos lapides ſuper illos, qui ſtabant in civitatis muro, & ita percutiebant eos ſuper clypeos, quod cum clypeo inimicus cadebat in civitatem mortuus. Iſti ſic faciebant, & alii tenebant in haſtis honorabilia vexilla, & cum lanceis & armis ferreis putabant illos trahere ad ſe: & ſic prœliati fuerunt uſque ad veſperam. Poſt caſtellum ſtabant preſbyteri & clerici ſacris veſtibus induti, orantes Dominum, ut ſuum defenderet populum in ſancta Chriſtianitate exultantem & paganitatem deponentem. In alia vero parte certabant noſtri milites cotidie cum illis, erigentes ſcalas ad murum civitatis: ſed virtus paganorum erat tanta, quod nihil proficere poterant noſtri. Tamen Gofferius de *Laſturs* primus aſcendebat per ſcalam in murum: ſed fuit fracta ſcala præ multitudine aliorum. Tunc Gofferius confeſtim apprehendit quamdam turrim, eique alii detulerunt adjutorium. Illi ergo, qui aſcenderant, expediebant aliis murum: alii vero detulerunt aliam ſcalam, erexeruntque feſtinanter ad murum, & aſcenderunt per eam multi equites, & pedites: tantique aſcendèrunt, quod vix capiebat eos murus. Sarraceni ergo tam robuſte invaſerunt illos per murum & per terram ſagittando & jaculando, quod multi ex noſtris timore perterriti demiſerunt ſe per murum. Tamdiu vero illi prudentiſſimi viri, qui remanſerunt in muro, ſuſtinuerunt illorum inſtantiam, quamdiu alii, qui ſub caſtro erant, foderunt murum civitatis. Videntes autem Sarraceni, quod noſtri fodiſſent murum civitatis, ſtatim timore perterriti ierunt in civitatem. Hoc totum eſt factum in die ſabbati ad horam veſperæ, jam occidente

cidente ſole, undecimo die intrante menſe Decembri. Boamundus igitur fecit ſuum interpretem loqui Sarracenis majoribus, quod ipſi cum ſuis mulieribus, & infantibus, & aliis ſubſtantiis congregarent ſe in uno palatio, quod eſt ſupra portam, ipſeque defenderet eos de mortali ſententia. Intraverunt autem noſtri omnes in civitatem, & quicquid boni invenire potuerunt in domibus & in foveis, hoc unuſquiſque ad ſuum dominium lucratus eſt. Facto autem die, ubicumque reperiebant quemquam illorum, ſive maſculum, ſive feminam, capitalem continuo eis dabant ſententiam. Nullus angulus civitatis deerat vacuus Sarracenorum cadaveribus. Boamundus quoque illos quos juſſerat in palatium intrare, apprehendit, & abſtulit omnia, quæ habebant, aurum, & argentum, & alia ornamenta, quæ illic habebant: alios fecit occidi, alios juſſit conduci ad vendendum Antiochiam. Mora autem Francorum fuit in illa civitate per unum menſem, & quatuor dies: ibique fuit mortuus Orienſis Epiſcopus. Fuerunt ibi quidam ex noſtris, qui non invenerunt ſicuti eis opus erat, quantum ex longa mora, quantumque ex diſtrictione famis, quod foris nihil nequibant ad capiendum invenire. Scindebant corpora mortuorum, eo quod in interioribus eorum inveniebant byzantios reconditos: alii autem cædebant carnes eorum per fruſta, & decoquebant ad manducandum: alii quoque portabant ad plateam ad vendendum.

XCIII. Boamundus autem non potuit ſe concordare cum Comite ſancti Ægidii, quod de eo quærebat: & iratus reverſus eſt Antiochiam. Comes igitur Raimundus non diu moratus mandavit ſuos legatos Antiochiam Duci Gottifredo, & Flandrenſi Comiti, & Roberto Normanno, & Boamundo, quod ipſi venirent ad Ruſſam civitatem loqui cum eo. Veneruntque illuc omnes illi, & concilium fecerunt per tres dies, quo honeſte poſſent tenere viam ſancti Sepulcri, propter quam moti erant. Nequiverunt tamen Boamundus concordare ſimul cum Comite, niſi Comes Antiochiam ei dimitteret omnino. Sed noluit hoc Comes aſſentire pro fiducia, quam fecerat Imperatori. Comites itaque, videlicet Robertus Flandrenſis, & Robertus Normannus, Dux Gottifredus, & Boamundus, reverſi ſunt Antiochiam: Comes vero Raimundus reverſus eſt ad Marram, ubi peregrinrerant. Mandavit ſuos homines, Guilielmum Ermingareum & alios, honeſtare palatium, & turrim,

quæ eſt ſupra pontis portam. Boamundus autem volens habere totam Antiochiam, ejecit omnes homines foras. Videns autem Comes Raimundus, quod nullus Principum vellet ſecum ire in ſancti Sepulcri viam, exivit de Marra in die ſancti Hilarii, & proceſſit uſque ad Caphardam; fuitque ibi per tres dies. Ideoque feſtinavit Comes ire ante alios, quia pauperes Peregrini moriebantur fame, & ille cupiebat illos conducere in illa loca, ubi feliciter vivere valerent. Illic adjunxit ſe Robertus Normannus Comiti Raimundo. Rex autem Cæſareæ multotiens mandaverat ſuos nuntios Comiti in Marram & Caphardam, ut cum eo pacem haberet: & ipſe de ſuo pretio ei daret, & Chriſtianos peregrinos diligeret, fiduciamque faceret quod per totum ſuum imperium peregrinis non offenderetur, & mercatum de corporalibus alimentis eis daret. Exierunt namque noſtri, & venerunt hoſpitari juxta Cæſaream ſuper flumen Farfar. Cumque vidiſſet Rex, Francorum contubernium tam prope civitatem fore hoſpitatum, in ſuo doluit animo, & juſſit illis devetari mercatum, niſi ceſſarent à civitatis propinquis.

XCIV. Craſtina autem die Rex Cæſareæ mandavit noſtris duos Turcos, videlicet ſuos nuntios, qui eis monſtrarent fluminis vadum, eoſque conducerent ubi invenire poſſent ad capiendum. Denique venerunt in vallem quamdam ſubter quoddam caſtellum: illic deprædaverunt pluſquam quinque milia animalia, & ſatis frumentum, & alia bona, unde valde fuit refecta tota Chriſti militia. Illud quoque caſtrum dedit ſe Comiti, eique donavit equos, & aurum puriſſimum, & juraverunt qui erant ibi caſtellani ſua lege, quod peregrinis numquam nocerent amplius. Exinde pervenimus gaudentes hoſpitari ad quoddam Arabum caſtrum. Exivit igitur dominus caſtri, & concordatus eſt cum Comite.

XCV. Exeuntes vero inde pervenimus ad quamdam civitatem pulcherrimam, & omnibus bonis refertam, in quadam valle ſitam, nomine Kephaliam. Habitatores vero illius audientes Francos veniſſe, dimiſerunt civitatem, & hortos plenos oleribus, & domos plenas alimentis corporalibus, & fugerunt. Egreſſi nos tertia die ab illa civitate, tranſivimus per altam & immenſam montaneam, & intravimus in vallem denſam, in qua erat maxima ubertas. Pagana vero gens fugiebat in montes & in valles, & dimittebat domos, & caſales, & caſtella plena omnibus bonis. Fuimuſque ibi fere per quindecim dies. Hic

prope nos erat quoddam caſtrum, in quo erat congregata immenſa paganorum multitudo, quod aggreſſi fuerunt noſtri Peregrini: idque fortiter ſuperaſſent, niſi Sarraceni jactaſſent foras immenſas turmas animalium. Reverſi ſunt ergo noſtri, deferentes omnia bona ad ſua tentoria. Summo autem diluculo collegerunt noſtri papiliones, & venientes ad caſtrum jam ſupradictum, obſidere illud putabant, & tentoria extendere. Sed gens pagana omnino dedit ſe ſe fugæ, & dimiſerunt caſtrum. Intrantes autem noſtri invenerunt ibi de rore cæli omnem abundantiam, ſcilicet frumentum, vinum, farinam, oleum, atque quicquid eis opus erat.

XCVI. Illic devotiſſime celebravimus feſtivitatem Purificationis ſanctæ Mariæ, quæ eſt * pridie Kalendas Februarii. Venerunt autem illi nuntii de camela civitate, per quos Rex illorum mandavit Comiti, quod fideliter cum eo paciſceret, ſi ei placeret: & miſit ei decem equos, & quatuor mulas, & aurum. Sed Comes ait nullo modo ſe cum eo pacem firmare, niſi ille Chriſtianus conficeretur. Exeuntes autem de optima valle, pervenimus ad quoddam caſtrum, quod dicitur *Arche* in die lunis, ſcilicet ſecunda feria ad medietatem Februarii: circa quod tentoria tetenderunt. quod caſtrum plenum erat innumerabili paganorum gente, videlicet Turcorum, Sarracenorum, & Arabum, & Publicanorum: & mirabiliter munierant caſtrum illud, & defendebant ſe fortiter. Poſtea vero exeuntes ex noſtris milites, ierunt contra Tripolim civitatem, quæ prope erat. Iſti milites fuerunt, Raimundus de Taurina, & Petrus de Stillone, & Bego della Rivera, & Amanei de Lubens, & Guilielmus Buti, & Sicardus. Iſti ſex milites invenerunt ſexaginta intra Turcos, & Sarracenos, & Arabes, & Curtos, qui habebant ante ſe collectos intra, homines & animalia amplius quam mille quingentos: quos ſigno crucis muniti audacter invaſerunt, & Deo adjuvante mirabiliter ſuperaverunt illos, & occiderunt ſex ex illis, & ſex equos apprehenderunt. De exercitu Comitis exierunt Raimundus Piletus, & Raimundus Vicecomes de Torina, & venerunt ante Tortoſam civitatem, & aggreſſi fuerunt fortiter illam, quæ nimis erat munita de multitudine paganorum. Sero autem jam facto receſſerunt in quemdam angulum: ibi hoſpitati ſunt, feceruntque innumerabiles ignes, quaſi totus Chriſti exercitus eſſet ibi.

* *lege.* poſtridie.

XCVII. Pagani autem timore perterriti nocte latenter fugerunt, & dimiſerunt civitatem plenam omnibus bonis, & optimum portum ſecus mare habentem. Craſtina autem die venerunt noſtri, putantes undique invadere illam, eamque invenerunt vacuam. Intrantes vero habitaverunt in ea, uſque dum obſeſſio poſita fuit ante *Arche*. Prope iſtam eſt alia urbs, quæ dicitur Marecla. Ammirarius, qui eam regebat, pactus eſt cum noſtris: & ſuſceperunt noſtros intra civitatem, & noſtra vexilla. Dux Gottifredus, & Boamundus, & Flandrenſis Comes venerunt uſque ad Licheam civitatem. Inde ſeparavit ſe Boamundus ab eis, & reverſus eſt Antiochiam. Illi vero ierunt, & obſederunt quamdam civitatem, cui nomen Gibellum. Audiens itaque Raimundus Comes ſancti Ægidii, quod innumerabilis paganorum gens rueret ſuper nos, qui eramus in Tortoſa ad tertium bellum, continuo conſiliatus cum ſuis hominibus mandavit illis majoribus, qui in obſeſſione Gibelli erant, quatenus nobis ſubvenirent. Statim illi audientes hoc, pacti ſunt cum Ammirario Gibelli, & fecerunt pacem cum eo, & cœperunt argentum, & aurum: & dimiſerunt civitatem, & venerunt uſque ad nos in adjutorium: ſed illi, de quibus timebamus, minime venerunt ad bellum contra nos. Venientes itaque illi Comites hoſpitati ſunt ultra flumen, ibique obſederunt caſtrum illud. Non poſt multos dies equitaverunt noſtri contra Tripolim, & invenerunt extra civitatem Turcos, & Arabes, & Sarracenos: quos invaſerunt continuo, miſerunt illos in fugam, & occiderunt maximam partem nobilium civitatis. Tanta autem fuit paganorum occiſio & ſanguinis effuſio, quod etiam aqua, quæ in civitate fluebat, videbatur rubeas facere ciſternas illorum ſanguine. Unde nimis fuerunt illi triſtes ac dolentes: jam vero erant tanto exterriti timore, quod nullus eorum audebat exire extra civitatis portam. Alia autem die equitaverunt noſtri ultra vallem, & invenerunt boves, & aſinos, & oves, & multa animalia: camelos vero deprædaverunt fere * tres. Caſtrum autem illud ſupradictum per tres menſes, minus una die, obſedimus, ibique Paſcha Domini celebravimus. Naves quoque noſtræ venerunt prope nos in quemdam portum, quamdiu fuimus in illa obſeſſione, deferentes nobis maximum mercatum, ſcilicet frumentum, vinum, & carnem, & caſeum, & hordeum, & oleum; unde nimia ubertas fuit in tota militia. In illa tamen

* *al.* tria milia.

obſeſſione acceperunt ſanctum martyrium plures ex noſtris, Pontius de Balau, & Anſelmus de * Rilomundo, & Guilielmus Picchardus, & alii quos nominare nequeo. Rex interea Tripolis ſæpe mittebat nuntios noſtris principibus, ut dimitterent caſtrum, & cum eo concordarent ſe. Audientes itaque hoc noſtri majores, videlicet Dux Gottifredus, & Raimundus Comes ſancti Ægidii, & Robertus Normannus, & Flandrenſis Comes, & videntes fructus novos properaſſe, quoniam in medio Martio manducabamus novellas fabas, & in medio Aprili novum manducabamus frumentum: tunc conſiliati ſunt Jeruſolymitanum cum novis fructibus explere iter.

* al. de Ribodimonte.

XCVIII. Diſceſſimus igitur à caſtro facientes pactum, & pervenimus Tripolim in ſexta feria, quarta-decima die intrante Madio: ibi fuimus per tres dies. Concordatus tandem eſt Rex Tripolis cum principibus noſtris. Continuo diſſolvit pluſquam trecentos peregrinos, qui illic capti erant, & dedit illis quindecim byzantos, & quindecim equos magni pretii: & pepigit cum illis, quod ſi ipſi Ammirarium Babylone, qui eis bellum parabat, devincere poſſent, & Jeruſalem apprehendere, ille Chriſtianus efficeretur, & terram ab eis recognoſceret: talique modo nos diſceſſimus à civitate illa in ſecunda feria medii Madii, & tranſivimus per viam artam & arduam tota una die ac nocte, & pervenimus ad caſtrum, cui nomen *Bethlon.* Dein appropinquavimus civitati, quæ dicitur Zebari, ſecus mare, in qua paſſi fuimus nimiam ſitim: & ſic defeſſi pervenimus ad flumen, cui nomen *Bray.* Deinde tranſivimus nocte ac die Aſcenſionis Domini per montem quemdam, in quo via eſt nimis anguſta. Illic putavimus inimicos inſidiantes nobis invenire: ſed Deo annuente nullus illorum properare audebat ſe ante nos. Præcedentes itaque nos noſtri equites liberaverunt ante nos viam illam, & applicuimus ad civitatem juxta mare, quæ vocatur *Barruhec:* & de illa venimus ad aliam civitatem, quæ dicitur Sagata; & hinc ad aliam, quæ dicitur Sur; & de Sur ad Acram civitatem; & de Acra venimus ad caſtrum, cui nomen Cayphas: ac deinceps hoſpitati fuimus juxta Cæſaream, ibique Pentecoſten celebravimus, tertia die exeunte Madio. Deinde venimus ad civitatem, quæ vocatur Ramora, quam Sarraceni vacuam dimiſerunt propter metum Francorum: juxta quam erat honorabilis eccleſia, in qua requievit pretioſiſſimum ſancti Georgii corpus, qui illic à perfidis pa-

ganis pro Chriſti nomine feliciter martyrium ſuſcepit. Continuo conſiliati ſunt noſtri majores, uti illic devotiſſime eligerent Epiſcopum, qui hanc cuſtodiret & regeret eccleſiam. Cui ſuas dederunt decimas, & auro argentoque honorabiliter ditaverunt eum, & animalibus, & equis, quo honeſtiſſime vivere poſſet ſimul cum illis, qui cum eo eſſent. Remanſit itaque Epiſcopus illic cum gaudio.

XCIX. Per idem tempus legati à Babylonia revertuntur, quos Boamundus aliique Principes ab exordio obſidionis Antiochenæ illuc direxerant, reddituros ex parte ipſorum reſponſa congruentia verbis, quæ eiſdem Rex Babylonius miſerat. Nam ipſe audito quod Franci venientes jam Antiochiam obſiderent, timens ne ea capta atque Jeruſalem, ſuper ſe irruerent, doloſe eis citius promiſit, ut ſi vellent, ipſe eorum ſocius in omnibus, immo frater fieri cuperet, opemque eis in cunctis deferret; terraſque, quas habebat, vel cum eis communiter haberet, vel ab ipſis eas extunc ſe tenere cognoſceret. Hoc autem illis ideo miſit, ut hac occaſione legati ipſi totum exercitum, qualis quantuſque eſſet, vel quid agerent, quidque eſſent inantea acturi explorantes, omnia cum reverterentur ſibi notificarent. At Francorum Principes, doli ipſius ignari, ſingulis ſingulos nuntios ſimpliciter remittunt, annuentes per eos omnia quæ ipſe mandaverat. Qui cum ad eum veniſſent, per unum jam ab eo annum quamquam honorifice retenti, licentiam ad ſuos regrediendi habere numquam potuerunt. Sed cum Deo poſt placuiſſet, ut redeundi optionem à Rege acciperent, capta jam Antiochia, Marraque dein everſa; tandem cum magnis muneribus, quæ Rex ipſe ſingulis Principibus miſerat, conductu ipſius regreſſi ſunt. Boamundo enim, quem plus omnibus aliis perſonabat, plus cunctis pretioſa munera contulit, videlicet ſexaginta ſciphatorum milia, & quinquaginta pallia imperialia, vaſaque aurea plurima, atque tapetia nonnulla grandia ac ſplendidiſſima; ad ultimum equam velociſſimam ingentiſſimi pretii, aureis laminis tota opertam. Duci vero Gottifredo ſciphatorum quadraginta milia largitus eſt, palliaque triginta, atque nonnulla tapetia, vaſaque aurea, & argentea plurima: inter quæ urceus aureus unus miro opere conditus erat, qui viginti libras auri appendebat. Ceteris vero ſingulis quibuſque, ſecundum quod unumquemque decebat, ſingula munera præclara contulit. Qui videlicet legati quædam

tunc Chriſti magnalia, quæ in Babylone & Jeruſalem oculis ſuis conſpexerunt, fideliter recitabant, quæ opuſculo huic inſerere dignum ducimus ad laudem Dei in perpetuum commemoranda. Nulli igitur ſit oneroſum, quod facere aliquantulum digreſſionem videmur: quoniam ſi ea ſcripto memoriæ tradentur, multis revera profutura arbitramur.

C. Referebant namque, quia cum Babylonem veniſſent, invenerunt ibi Chriſtianorum multos in vinculis teneri, inter quos Tarentinus, Belvacenſis, Remenſis, duoque alii Epiſcopi erant, atque ſimul cum eis Eremita quidam, Guilielmus nomine, vir religioſiſſimus ſapientiſſimus, atque eloquentiſſimus. Porro in aula regia erat vir quidam, Urſus nomine, qui olim Barenſium Epiſcopus fuerat, ſed captus poſt in peregination is itinere Babylonem ductus eſt: ſicque dein pœnis conſtrictus fidem Chriſtianam negaverat. Rex enim valde eum diligebat, in tantum ut fere nihil ſine ipſius conſiliis ageret. Factum eſt autem, ut quadam die Regem adiens diceret ei: Si vis, inquit, legatos captivoſque Chriſtianos juſte perimere ex fide ſua, quam oſtendere non poſſunt, deprehenſi merito interfici poterunt. Fac ergo Epiſcopos illos, qui vincti tenentur, vocari, atque adſtantibus aliis vinctis captivis, ſimulque cum ipſis Francorum legatis, ab eis ſciſcitare, utrum ſit verum quod Chriſtus eorum in Evangelio ſuo illis pollicetur: *Si habueritis*, inquit, *fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, Tranſfer te, & transferetur.* Si autem illud verum eſſe confitebuntur, oſtendant ergo opere quod credunt. Si autem ſecundum quod credunt non agere poterunt, quod quidem certum eſt eos facere non poſſe; tali modo ipſi deprehenſi, ſpectantibus cunctis tuis, ad confuſionem Chriſtianorum omnium merito interficientur. At Rex his auditis lætus effectus, Epiſcopos vinculatos, ſimulque Guilielmum Eremitam ante conſpectum ſuum venire præcepit. Qui per interpretem eis loquens, ipſos interrogavit, ſi verbum illud quod Chriſtus in Evangelio dixit, verum eſſe confiterentur, videlicet, *Si habueritis fidem ut granum ſinapis, dicetis huic monti, Transfer te, & transferetur.* Tunc Guilielmus pro omnibus reſpondens dixit ei: Hoc quidem Rex omnino verum eſſe fatemur, nec Chriſtianus eſſe poteſt, qui hoc verum eſſe non credit. At Rex, Si, inquit, hoc verum eſſe creditis, volo ut opere me præſente probetur. alioquin præter legatos, vos cunctoſque captivos capitibus plecti jubeo. Quo

Guilielmus audito, confidenter ait ad Regem: Dentur nobis trium dierum indutiæ, quibus Dominum deprecemur, ut quod à te à nobis exigitur, in ejus nomine demonſtrare poſſimus. Conceſſis itaque, acceptiſque indutiis, iterum ad vincula redire jubentur. Ceterum Guilielmus cum ſuos paventes, & quaſi diffidentes aſpiceret, ait ad illos: Nolite, fratres & domini mei, de verbo Chriſti quicquam diffidere, ſed eum toto corde rogemus, quatinus verbum ſuum, quod locutus eſt, verum eſſe patefaciat, non nobis qui credimus; ſed infidelibus, vel ad ipſorum converſionem, vel ad gloriam nominis ſui. Si autem ei iſtud non agere placuerit, nos tamen verbum illud verum eſſe non negantes, pro ipſius fide morti ſuccumbamus libenter, mercede æterna donandi.

C I. Triduo itaque jejunantibus illis & orantibus, ecce Rex mittens pro illis aliiſque concaptivis, ad ſe eos venire fecit. Quibus Rex per transducem, legatis prædictis adſtantibus, ait: Quid dicitis de hoc quod à me exigitur? Tunc Guilielmus Eremita clara voce conſtanter reſpondit: Quod, inquit, à nobis requiritur, nos in Chriſti nomine, qui verbum illud fidelibus ſuis ore ſuo protulit; opere vere monſtraverimus. Tunc Rex congregatis multis magnatibus, cunctoque fere Babylonico populo, fideli & infideli, cum illis captivis, atque Francorum legatis, extra urbem non longe egreditur. Qui ad montem quemdam mediocrem veniens, Eia, inquit, Chriſticolæ, modo probabitur, utrum ſit verum quod creditis. Nam aut vita modo vos comitabitur, aut mors amara nunc ſeparabit. Tunc Guilielmus ſervus Dei in loco eminentiori, ut ab omnibus audiri poſſet, poſitus, clara voce ait: Audiat Rex, ac omnes dignitates Babylonis, univerſique populus fidelis & infidelis, qui Regis præcepto ad veritatem cognoſcendam conveniſtis. Dominus noſter Jesus-Christus, ſicut verus Deus eſt, de Deo vero Patre ante omnia ſæcula genitus, & poſt in fine ſæculorum de Virgine verus homo factus, vere pro ſalute humani generis ad terras de cælo deſcendit, ac mori voluit: ita etiam non ſolum verbum hoc videlicet, *Si habueritis fidem ut granum ſinapis, dicetis monti huic, Transfer te, & transferetur;* ſed & quæcumque alia in Evangeliis locutus eſt, vera eſſe omnino conſtant. Cumque ſic audientibus cunctis locutus fuiſſet, converſus ad montem ait: Ut ergo hoc quod dixi, & Regi, omnibuſque, qui cum eo hic adſtant, verum eſſe probetur, idcirco præcipio tibi mons in nomine

nomine & virtute ipſius, qui natus eſt de Maria Virgine in Betleem, pro cujus amore hic vincti tenemur, & qui tentus eſt à Judæis in Jeruſalem, ibique paſſus, mortuus, & ſepultus in ſepulcro, quod uſque hodie ibi eſt; & tertia die reſurrexit: deinde poſt quadraginta dies aſcendit in cælum; ſuiſque diſcipulis poſtmodum Spiritum-ſanctum dedit, eoſque deinde prædicare fidem nominis ſui per univerſum mundum miſit; ut de loco tuo, quo es modo, movearis, & in alium locum mittaris. Cumque locum, quo mittendus eſſet digito ſuo deſignaſſet, omneſque fideles circumſtantes cum lacrymis Deum exorantes reſpondiſſent, Amen, ecce ſubito tonitruum ingens factum eſt, ita ut omnes ex eo terrerentur: moxque mons ſtatim de terra erigitur, atque uſque ad locum deſignatum per aërem, qui utique tunc ſerenus erat, leviter incedens proicitur. Verum Urſus apoſtata, qui Regi conſilium dederat, videns tanta mirabilia amens effectus eſt, velutque mortuus in terra aliquantulum jacuit. Rex vero cum ſuis omnibu s cernens tam magnum ſignum, valde obſtupuit: qui etiam omnes captivos territus continuo abſolvit, eiſque munera contulit. Erat enim ingens gaudium non ſolum Chriſtianis, qui vincti fuerant, verum etiam ceteris fidelibus indigenis, à quibus etiam viſo tanto prodigio præ nimio gaudio lacrymæ effundebantur.

CII. Eo tempore Jeruſalem Regi ipſi ſubdita erat, quam jam Regi Ægypti bellando abſtulit, qui eam invaſam, Chriſtiano expulſo dominio, per ſedecim annos tenuerat. Quam ob rem placuit ei, ut illuc tendens urbem ipſam, aliaſque circa ſe civitates melius præmuniret: quatenus Chriſtianis Principibus, ſi ſuper eas irruituri eſſent, obſiſtere valentes ab illis non caperentur. Cum ergo Jeruſalem petiſſet, & cum eo legati ipſi Francorum, ſimulque captivi illi, qui ſuperius dicti ſunt, ſcilicet Tarentinus, Remenſis, Belvacenſis, duoque alii Epiſcopi, atque Guilielmus Eremita, putantes illum Jeruſalem iccirco iturum, ut eam latinis Ducibus, ſicut promiſerat, ſubderet. Erat enim tunc quadrageſimalis jejunii tempus. Deinde cum ſollemnitatis paſchalis dies appropinquaſſet, Rex prædictos captivos advocans ait illis: Non poſſum credere, quod ſabbato vigiliarum Paſchæ ignis ille, ut fertur, apud ſepulcrum dominicum per ſemetipſum in lampadibus accendatur. Ad hæc Guilielmus Eremita, ſocii ejus, aliique indigenæ Chriſtiani, verum eſſe illud firmiter aſſerebant. At Rex, Si verum eſt, inquit, quod

dicitis, volo ut rei ipſius probatione me adſtante atque cernente verum eſſe monſtretur: ita tamen ut lampades à me ipſo præparatæ ignem illum recipiant; ſin autem, à me numquam alio modo verum eſſe credetur. Cumque Guilielmus ac ſocii ejus, ceterique fideles rem illam per virtutem Chriſti ſe penitus opere probaturos pollicerentur; Rex appropinquante ſollemni die Paſchæ lychinos tenues de ferri acie fabrefactos in lampadibus, quas ipſe ante ſe aptari, oleoque repleri fecerat, ſabbato mitti juſſit. Ceterum Chriſtiani cognoſcentes quod lychinos ferreos in lampadibus Rex poni juſſerit, in infidelitatem quamdam modice demerguntur. At Guilielmus Eremita, vir fide plenus, Deoque devotus, intuens eos in fide paululum hæſitare, in ipſius firmitate fidei illorum animum verbis exhortatoriis conſolidavit. Cumque omnes plus ſolito Dominum precarentur, ut ſolitus ignis in lampadibus præparatis ad gloriam nominis ſui accenderetur; repente hora nona cælitus ignis adveniens per omnes lampades in lychinis ferreis accenſus eſt, atque ita in eis clariſſime ardere cœpit, ac ſi papyri depilati fuiſſent. Tanto itaque miraculo divinitus oſtenſo, & Rex ingenti ſtupore atque ammiratione excipitur, & omnis plebs Chriſtiana ut vidit dedit laudem Deo.

CIII. Poſt hæc vero Rex, Jeruſalem aliiſque civitatibus, quæ circumquaque erant præmunitis, prædictos qui ſecum venerant captivos, liberos abire dimiſit; Francorumque legatis conductum ſuum tribuens, illos, ſicut jam dictum eſt, cum muneribus, quæ ſingulis Principibus mittebantur, ſecuros redire fecit. ſicque eiſdem Ducibus verbis ſuis deluſis, Babylonem reverſus eſt.

CIV. Sed pius Dominus, qui nolens peccatorum mortem tot ſigna infidelibus ut converterentur oſtendit, ſervis ſuis, ut in ejus militia firmarentur, ſuæ ſtipendio ſervitutis revelavit. Erat in exercitu illo quidam heros nobilis, cui genus atque honeſtas magnum contulerat nomen: cujus nimirum vocabulum Anſellus vocabatur. Is cum quadam die, meridiei hora, ut eſt conſuetudo, laſſa membra ſopori dediſſet, ſomnium vidit, quod experrectus ſapienti viro Arnulfo vicepræſuli mox indicavit. Videbam me, inquit, per ſomnium ſuper ſterquilinium ſtare, unde palatium excelſum ſuſpiciebam, cujus ſpecioſitas, celſitudo, materia, forma, ſoliditas, ornatuſque quam maxime excellebat, cujus fundamentum marmore, ebore, argento

firmabatur: reliquum vero corpus auro prorſus & gemmis conſtruebatur. Deambulabant per atria quæ erant in excelſo perſonæ innumerabiles, qui ſpecioſi, proceri, ornati, atque per omnia venuſti proceres eminebant. Cumque perſpicacius intuens ammirarer, deprehendi perſonas quaſdam mihi præcognitas, quas militiæ hujus noſtræ comites fuiſſe animadvertebam. Cumque corde ſtudioſius inhiarem, ſi quis forte aditus mihi anhelanti conſcendendi patuiſſet, apparuit quidam, cujus nomen atque figuram, locumque, & diem obitus recolo. Ille mihi, inquam, taliter ait: Anſelle, cognoſcis horum beatorum turbam? At ego reſpondens, Vix inquam agnoſco. Tunc ille: Hi ſunt, inquit, Jeruſolymitæ, qui viam Dei, in qua adhuc & tu laboras, ab initio aggreſſi, à ſæculo tranſmigrarunt, merueruntque habere coronas perpetuas; ad quos tu quoque in proximo abſque dubio eris aſcenſurus. Bonum certamen certaſti, curſum conſummaſti. Ad hæc me ſtupefactum ſopor cum viſione dimiſit. Unde domine precor, ut mihi timenti tua ſapientia conſulat. Tunc Arnulfus à viri pectore verbis conſolatoriis metum excludens, monet illum confiteri peccata ſua, pœnitentiam accipere, & poſt hæc Euchariſtiam dominici corporis ſumere: deinde miniſtris ſuis atque commilitonibus ſtipendia reddere. Cumque ille ejus monitis libenter obediens iſta peregiſſet, jam intrepidus equum aſcendens, circumdante eum militum caterva, circa muros oppidi, ut ſolitum eſt, deducebatur: cum ſubito ſilex improviſa de turribus elapſa, Anſelli caput percutit, cerebrumque diſpergit. Moxque milites labentem illum excipiunt, illucque corpus reportant cum lacrymis, unde modo ante gaudentes exierant. De quo dubium non eſt, quin anima ejus, ſicut ei promiſſum fuerat, ad beatitudinem ſupernam aſcendit.

CV. Sepulto itaque ut decuit tanto illuſtri viro, cum Latinorum exercitus nihil in obſidendo proficeret, immo Jeruſalem via, propter quam potius venerant, penitus neglegeretur; Arnulfum vicepræſulem monent, quatinus Antiochiam citius revertens, Gottifredi Ducis, Robertique Flandrenſis Comitis quietem longam increpet, eiſque nunciet jam bellum Damaſcenorum adeſſe. Arnulfus autem ut erat ſemper promptiſſimus ad perquirendum reipublicæ commoda, libens ſcapham aſcendens, propter hoſtilia tortuoſa Heracliæ, Valoniæ, necnon *Gybel* civitatum vitanda,

tandem Laudociam pervenit, inde Antiochiam per multæ pericula, paucis eum comitantibus. Tunc Principibus qua cauſa ad eos feſtinaverit inſinuans, monet illos jam expergiſci. Nam Damaſcenorum exercitum imminere dicebat: unde fratribus ſuis, qui eorum expectabant auxilium, mature ſuccurrerent.

C V I. Accidit per idem tempus in Antiochia quoddam inopinabile prodigium, quod nec ante, nec poſt ſæculum factum eſſe memini. Quadam die cum Boamundus ad cœnam ſederet, Robertus Comes Flandrenſis à dextra illius aſſiſtebat, Bolonienſis autem à læva. Erat autem in eodem palatio multa plebis frequentia, quarum pars una cum eo diſcumbebat, altera verò miniſtrabat. Cumque poſt cœnam adhuc illi, ut ſæpe fit, ad menſam loquentes ſederent, Boamundus manu dextra cultellum librabat. quod cùm Comes Flandriæ perſpexiſſet, alludens ſic ait: Quid ſibi vult ô Princeps, quod tuus à te cultellus ita libratur? hæc quidem libratio ſollicitum te fore ſignificat. Hoc quidem tempus Antiochia capta, hoſte ſuperato, non eget curis: hæc hora gaudii eſt non curarum. Ad hæc Boamundus: Immo, inquit, domine Comes, alia res eſt. Non eram ſollicitus, dum cultellum trutinabam: ſed me illum librante hæc mihi cogitatio erat, quod hunc cereum, qui coram nobis ardet, cujus groſſitudo ceteros excedit, in duos uno ictu diſpertiri poſſim. Quod cum Comites audiſſent, viſus eſt eis ſermo illius delirus, utpote quem nulla facultas effectus ſequi valeret. Quapropter ſubjecit Flandrenſis Comes: Fac ergo, Princeps, quod te facturum jactas. nam ſi verbum tuum effectus ſequetur, chlamydem meam pro certo tibi ero daturus: ſin autem, tuam mihi dabis. Pactoque itaque utrimque conceſſo atque firmato, mox Boamundus accipiens cereum ex obliquo illum cultello, quem antea libraverat, ſemel ictu percutiens, per medium ſecuit. Cumque cereus ita diviſus fuiſſet, mirabile dictu pars inferior à ſemetipſa ardere cœpit, ſicut & ſuperior. Quo viſo miraculo omnes qui aderant, in ſtuporem verſi ſunt: unde & ipſe Boamundus plurimum terretur. Deinde diſcurrente per populum hujuſcemodi fama, ex omni atrio, omnique officina cuncti ad videndum accurrunt, quorum corda præ magnitudine ſigni non poſſunt expleri cernendo. Adhuc autem ſtupentibus illis at-

que mirantibus, ille cereus qui ſubito igne accenſus fuerat, ſubito quoque extinguitur. Hoc itaque prodigio ab aruſpicibus tunc portendebatur, quod ſi cera & flamma ſimul finem in ardendo feciſſent, longa hereditas, longaque ſucceſſio generis uſque ad finem ſæculi perducenda Boamundo promitteretur. Quia vero ignis ſubito in cera ardens ſubito extinctus eſt, futuræ ſobolis ſpes, ſed mox finiendæ pollicebatur. Quod ita in nece Boamundi junioris filii ejus completum vidimus: qui dum ad illam ætatem perveniſſet, qua principatum Antiochenum ex ſucceſſione paterna regere debuiſſet, non multo poſt, cum ad quoddam oppidum ingens atque munitiſſimum illud recepturus paucis comitatus iret, divertit in locum quemdam: ubi dum ſe omnino ſecurum cum ſuis eſſe putaret, à Turcis ſubito inſilientibus circumventus, poſt multos agones atque triumphos, quos jam in eis utpote adoleſcentulus exercuerat, capite gladio plexus cum pluribus ſuorum interiit. Viſa itaque tanta prodigii novitate Boamundus ſtupefactus chlamydem, quam Comes Flandrenſis ei jure debebat, non ſolum non exigit, verum etiam munere illum, eo quod in quibuſdam egebat, plurimo donat.

CVII. Denique cœna lætiſſime & copioſiſſime finita, cum alternatim tam de prodigii novitate, quam de Boamundi largitate nimium mirati fuiſſent, inſpirati ſancto Spiritu, quo inflammati tot labores graviter ſuſceperant, decernunt, quatinus imago Salvatoris auro ex puriſſimo efficiatur. Ad cujus exprimendam figuram omnis populus, ſecundum quod unuſquiſque voluerit, aurum, vel argentum, vel gemmas, vel aliud quid, quod operi ipſi neceſſarium fuerit, offerat. Hujus itaque conſilii Arnulfus præ ceteris auctor prædicabat omnibus, quatinus ad conſtructionem ejuſdem imaginis, quam fiendam propoſuerant, operam darent. Ordinato itaque ad ſuſcipiendum munera Marchanenſi Epiſcopo, cum unuſquiſque oblatum veniret, ipſe manum dexteram elevans ſalutari ſigno eos benedicebat. Cumque opus celeriter conſummatum fuiſſet, decretum eſt, ut eadem imago, cum ad Sepulcrum Domini accederent, communi voto ibidem offerenda deportaretur.

CVIII. Jam quartus menſis obſidionis inchoabatur, cum Princeps tantarum morarum pœnitet, pudetque eos tamdiu fruſtra excubaſſe circa oppidolum illud, propter quod Je-

ruſalem iter, pro quo magis venerant, ita negligeretur. Quocirca obſidionem illam ſupervacuam penitus dimittentes, Jeruſalem, pro qua magis peregrinati fuerant, adire unanimiter ex toto proponunt, à gentilibus illam Domino cooperante liberaturi.

CIX. Tancredus pernox caſtra movet ante lucanum, ſocios prævenit, Jeruſalem pervenit, muros circumvenit. Poſt hæc Bethleem veniens, à gentilium eam obſidione liberat, quæ per legatum ut ſibi ſuccurreretur pridie ad eum clamaverat. Deinde Jeruſalem eminus videns, poſitis in terram genibus eam gaudens ſalutat. Ave, inquit, Jeruſalem, tu quæ es gloria mundi, in qua Chriſtus patiendo ſalutem noſtram invenit, qui etiam per eamdem paſſionem & reſurrectionem Adam omneſque juſtos ab inferis traxit. Poſt hæc ad montem Oliveti reſpiciens, eo quod in eo Chriſtus cælos aſcendit, illum ſimiliter collaudans ſalutat. Nec mora cum & ſanctam Sion vidiſſet, eo quod in ea Spiritus-ſanctus repente veniens diſcipulorum Chriſti corda replevit, ſimiliter ſalutando adorat. Denique ad vallem Joſaphat oculos figens, Virginis Matris Chriſti ſepulcrum, quod in ea erat, capite inclinato ſupplici corde veneratur.

CX. Poſt hæc autem inde movens, venienſque ad illam partem, quæ Turri Daviticæ vicinior erat, caſtra ſua ibi figi præcepit. Deinde ſolus ſine armigero ac ſine comite equitans, ad montem Oliveti, quo Chriſtus ad Patrem aſcendit, auſus eſt pergere. Cum ergo illuc perveniſſet, Joſaphat valle tantum diſtante ab ipſo monte, civitatem totam perſpicacius conſiderabat. Inſpiciebat enim populum per urbem diſcurrentem, turres armatas, milites frementes, civitatem vero cunctam propter exercitum jam imminentem ejulatu, ſtrepitu, clangore intonantem. Mirabatur pulcram & arduam rotunditatem Templi Domini, inſolitam longitudinem Salomonici Templi, gyrum ſpatioſæ porticus, quæ ita ſibi videbatur, ut quaſi altera urbs eſſet in urbe. Sæpius vero ad Calvariam, baſilicamque Domini Sepulcri oculos reducebat: quod licet remotius eſſet, tamen ex celſitudine ſua patulum videbatur. Ipſe namque cum loci poſitione ſublimior ſtaret, illud tamen corde ſuſpirans, caputque ſæpius inclinans humiliter adorat.

CXI. Erat enim in eodem monte tunc quidam Dei ſer-

vus, qui in turri quadam pro divino amore ſolitarius manebat. Quem cum vidiſſet Tancredus, ſciſcitatus eſt ab eo, quatinus ſibi digito oſtenderet ubi pretorium Cayphæ fuerit, ubi Judas ſe laqueo ſuſpenderit, quæ porta dicebatur aurea; quæ ſpecioſa, ubi Petrus claudum curavit: de quo loco Jacobus in præceps datus eſt; ubi etiam Stephanus protomartyr lapidibus obrutus eſt. Cumque hæc & alia ſingillatim ei indicaſſet, interrogavit eum, quis eſſet, vel unde veniſſet, vel cujus ſtirpe proceſſerit, ſeu quo nomine vocaretur, ſive cujus patriæ, vel ſectæ exiſteret. At ille: Chriſtianus, inquit, ſum, genereque Normannus, atque Roberti Guiſcardi Ducis Apuliæ nepos ex ſorore illius genitus, nomen habens videlicet Tancredus. Verum ille cum de tanti Ducis genere illum fore cognoviſſet, ſtupuit, ac diligentius ipſum intueri cœpit dicens: Vere de ſanguine magno illius Ducis es, quem velut fulmen tota Græcia tremuit, quem dum bellaret Alexius Imperator fugit, cujus imperio tota Bulgaria uſque Bardal paruit. Primo quidem obſtupui, quod ſolus ſine cohorte armatus huc aſcendiſti. ſed nunc te cognito ſtupor abſceſſit, quia ſanguinis natura illius te ad hoc præſumendum coegit. Unde non miror ſi ſtupenda feceris, immo multum eſt mirandum ſi ea non egeris. Te quippe ex illa ortum progenie ad nulla peragenda terreri condecet. Illis itaque alternatim ſermocinantibus, Tancredus à civitate viſus exploratum veniſſe creditur. Quam ob rem quinque milites Sarracenorum de porta bene armati exierunt, ut ad illum expugnandum ſeu capiendum venirent: qui tanto fiducialius accelerabant, quanto illum alterius ſocietate non uti cernebant. Quorum alius alium prævenire cupiebat, quatinus illum prius extinguens, ſpolia ejus primus diriperet. At ſolitarius conſpiciens equites, protinus monuit eum ut ibi attenderet, ne ab eis ſibi repertus in aliquo læderetur. Tunc Tancredus vale dicens illi, continuo ab eo receſſit. Et ecce unus ex illis equo celerius curſitans armatus illum inſequebatur. Ad quem Tancredus converſus, in eumque exiliens lancea perforavit, atque ſine mora extinxit. Veniens ergo alter putans ferire Tancredum, antequam eum attingeret, equo pede lapſo confeſtim cum ipſo corruit. At ille non intendens ad eum qui ceciderat, tertio jam imminenti, qui ſequebatur, occurrens, ſimili nece proſtravit. Duo quoque alii, qui ſequebantur, videntes ſuos ita

proſtratos, exterriti valde retro fugam expetunt, ad urbem perniciter regredientes. Verum ille eos ad portam uſque inſecutus eſt: ſicque mox victor reverſus, de ſpoliis eorum, quos proſtraverat, non curans, ſuos repetit, eiſque quid vel quale quantumque egerit per ordinem pandit. Nempe illi longo ipſius abſceſſu multum contriſtati fuerant, verentes ne quid ei ſiniſtri contigiſſet: ſed reverſo eo incolumi, mæſtitia eorum à mente gaudio ſubſequenti deterſa eſt.

CXII. His ita peractis, Principes exercituum, qui ſequebantur, adveniunt, urbemque Jeruſalem quo ordine obſidere debeant prius decernunt. Normannus itaque & Flandrenſis Comites ei portæ opponuntur, quæ adhuc ſancti Stephani dicitur eſſe. A dextris iſtorum Tancredus imminet, cui illa pars urbis expugnanda contigit, qua turris quædam ab ipſo expugnata, uſque hodie turris Tancredi appellatur. At vallis quædam Gottifredi Ducis caſtra ſuſcipit, cujus frons Tancredi vicinia pertingebat. Porro Raymundus Comes ad obſidendum montem Sion conſtituitur, remotus ab Jeruſalem ſolo obice muri ipſius. At vallis Joſaphat remanſit libera. Siquidem pars illa penitus non timebat, eo quod valle reducta, aggere arduo muroque inexpugnabili muniebatur.

CXIII. Verum exercitus peregrinus, partim bellis, partimque morbis attritus; præſertim Gallorum Comitum, videlicet Stephani, Hugonis Magni, necnon Boamundi Principis abſentia in tantum minoratus erat, ut non dicam turres natura munitas tentaret obſidione cingere, ſed etiam ad expugnandum murum humiliorem non ſufficiebat. Tribus itaque portis tantum deputata eſt obſidio, quarum ſcilicet portarum duæ e regione erant; tertia vero, id eſt occidentalis, erat ex obliquo: quarum ſubjecta vallis ab occurſibus obſidentium faciebat liberum; illa vero vicina planitie aſſultibus oportune miniſtrabantur. Erat autem tunc menſis Junii. Caſtra denique fame, ſole, labore, bellis, vigiliis acrius laborabant: illos autem, qui erant in civitate, ſaties, umbra, quies tenebat.

CXIV. Igitur quia milites Chriſti quietis jam habendæ avidiſſimi erant, labori inſiſtebant, quærentes ſolliciti ligna, unde machinæ fierent, quibus proximo die veneris muri civitatis, quia humiliores erant, ſcandi valerent: quo ſcilicet die ſcanſionem illam prædictus ſolitarius potius fieri mandavit.

vit. Unde perluſtrata circumquaque vicinia, nullum inventum eſt lignum ſiccum vel viride, ut ad ſcalarum fabricam poſſet proficere. Cumque Tancredus lignum quodlibet per regionem illam in circuitu reperiri non poſſe vidiſſet, ſecedens aliquantulum longius, invenit latebras quaſdam, infra quas aliquantæ trabes celabantur, quæ quidem ipſius animum fallere nequiverunt. At ille pro his quæ invenerat gaudens, confeſtim illas inde abſtrahi & afferri fecit, quibus dumtaxat ſcala una efficitur. Qua quoque peracta, ad fabricandum aliam ſpatium non dabatur: quoniam dies veneris, qui ad aſcendendum civitatis murum à prædicto monacho inſtitutus fuerat, in biduo jam propinquare cernebatur.

CXV. Veniente igitur veneris die, quamquam machinas aliaſque ſcalas non præparaverint, nolentes præterire verbum ſenis, cum ſecundum dictum illius melius præparari debuiſſent, ultra modum præſumentes, ſcalam illam ſolam mœnibus applicuerunt. Tancredus ergo cum primus omnium toto mentis conamine per illam aſcendere vellet, à Principibus ne ſe mortis præcipitio daret vix retinetur. nam turba gentilium illuc ad murum tuendum tota confluxerat. Erat autem in eadem expeditione juvenis quidam miles, nomine Raymbaldus, mente & corpore robuſtiſſimus, genere nobilis, Francigena de civitate Carnoto. Is ſtatim ad ſubeundum murum libenter ſe offerens, per ſcalam manu tenens gladium intrepidus graditur. Cumque ſurſum aſcendens manum jam ad apprehendendum murum extendiſſet, mox eadem manus ſubciſa demergi illum compellit, omnibuſque de ſui membri ſuccifione magnum mærorem incuſſit, quippe qui antea, ſicut dictum eſt, vir illuſtris, mileſque valentiſſimus fuerat. Ducitur itaque ad caſtra curandus, non jam amplius militaturus. Scala vero, quæ muro appoſita fuerat, aufertur: quæ tamdiu ſervatur, donec & aliæ, quæ ad opus illud ſufficiant, efficerentur. Statuitur ergo à Principibus, ut ubique perſcrutaretur, ſi forte undecumque ligna afferri poſſent inveniretur. Cumque ad hoc reperiendum omnes laborarent, nec deſiderium eorum ſequeretur effectus; Tancredus tamen à ſuo non eſt fraudatus deſiderio. Mirum namque quod narrabimus eſſe videtur, quod tu ſi bene conſideras, actum divinitus non negabis.

CXVI. Sane tunc Tancredus graviter fluxu ventris tor-

quebatur. Cumque ad ligna quærenda vix equo inſidens equitando ſibi non parceret, peſtis illa crebro eum ſeceſſum petere compellebat. Sæpe autem dum hac moleſtaretur anguſtia cum ſodalibus, qui quæſitum ligna fruſtra laboraverant, labori cedere revertique diſponebat, cum ecce labore ipſo gravatus, ab aliis elongatus, equo deſcendit. Cumque deſcendens ſociorum oculos ob verecundiam ſe evaſiſſe putaret, ecce reſpiciens comperit ſe non eſſe evaſum. qui rurſus latebras alibi quærens, alios denuo paſſim per agros aſpicit vagantes. Cumque jam ſic ter, vel quater locum mutaſſet, tandem ſeceſſum longum petens, ſub rupe cavata, quæ erat circum clauſa arboribus umbriſque horrentibus, quiete invenit. Mira dicturus ſum.

CXVII. Jam mox, ubi ſeceſſum peregit, huc illucque per ſpeluncam inſpiciens, trabes quatuor intro latentes vidit, quæ propoſito operi aptiſſimæ eſſe videbantur. Fertur namque quod hæ ipſæ trabes fuerunt, quarum ope Rex Ægyptius Jeruſalem expugnans ceperat. Quibus viſis, Tancredus mox hilareſcit. qui tamen nec ſibi, nec oculis adhuc credens ſurgit, palpat, rem diligentius proſpicit. Reperto itaque deſiderio ſuo, Heus heus, inquit, ô ſocii, huc huc accurrite, clamat. En Deus plus quam petimus donat. Quæſivimus rude, ecce reperimus fabrefactum. Tunc ſocii vocati continuo adſunt, undeque gemuerant gaudent. At ille mox mittit nuncium, per quem exercitum adhuc triſtantem de lignorum repertione conſolari feſtinet. Promulgato itaque per populum gaudio inventionis trabium, vox lætitiæ & exultationis fit in tabernaculis Francorum: ex quibus pars maxima, ſicut in letaniis, cantando obviam afferentibus illa procedunt.

CXVIII. Sed quia trabes prædictæ ad opus ipſum faciendum aliorum lignorum ſupplementis egebant, eligitur Robertus Comes Flandrigenorum: quatinus eidem artificio inſiſtens, ipſe ſolus in capite ſuo illud efficeret, ceteri vero obſidioni operam darent. Tunc ille comitantibus eum ducentis loricis cum aliquantis fabris lignariis, ad nemus quoddam ultra Neapolim, quæ olim Sebaſtia, ante autem Sichar dicta eſt, contemptis circum manentibus hoſtibus equitavit. Dum ergo reperto luco ſub militum tuitione ligna cæderentur, Comes interim venatum pergens, carnem ferinam copioſe afferebat, qua fabri ut magis labor exerceretur epulabantur.

Itaque labor ille & Comiti erat cum utilitate voluptas, & artificibus parata ſine metu refectio. Ut autem ligna ſufficienter ſuccisa fuiſſent, Comes ſapienter cum commilitonibus ſuis armis præmunit vulgus, & ligna dum redeunt tuetur. Reverſus itaque ad caſtra nil ſiniſtri, dum iret, ibique moraretur atque rediret, licet undique circumſtarent hoſtes, ſe habuiſſe denunciat. Quapropter favorem maximum, laudemque ingentem ab omnibus confeſtim meretur. Dum ergo turris lignea fabricaretur, conſilium Principum erat, quatinus eam præparatam paulatim impellendo transferrent: ut dum illi qui erant de intus contra eam ſuam erigerent, ipſi ſubito, ubi inferior murus videbatur, inopinantibus illis, & ſuam attraherent.

CXIX. Interea dum molimen illud præparando mora ageretur, bellum ab Ægypto & Arabia, à Palæſtinis & Damaſco per eos, qui minabantur, jam inſtare ſentiebant. Ipſe etiam exercitus panis inopia & aquæ plurimum conſtringebatur. Terra autem per circuitum tota depopulata omne jam alimenti ſubſidium illis negabat. Sed & ipſis ad quærendum utcumque cibos, à caſtris nec ad horam recedere propter hoſtes jam imminentes licebat. Quid ergo agerent, cum nil præter mortem viderent? Quid dicerent, cum ipſi obſidentes Jeruſalem ab aliis multo plus in proximo jam obſidendi eſſent? Unicus quidem planctus per univerſum erat exercitum, dicens: Fruſtra Romaniæ bella, fruſtra Antiochiæ famem, fruſtra reliquos labores nunc uſque perpeſſi ſuperavimus, cum nos modo in litore poſitos jam totum pelagus naufragos facit. Fuerunt namque nonnulli ex eis, qui muros Jeruſalem, tamquam citius morituri brachiis amplectentes, oſculari præveniebant: in quorum ſcilicet oſcula, modo ferrum, modo ſaxa, interdum ſudes necem ſubitam de ſuper ruentia inferebant. Verum nec ſic devotio illorum ſemel incœpta potuit terreri. Nam alii mortis illorum exemplum ſumentes ad oſculandum ſimiliter muros, ut vel ſic morerentur priuſquam ab hoſtibus occuparentur, deſiderantes præcurrunt. Jam triginta quinque dies ab exordio obſidionis, menſe Julio intrante, evoluti erant, cum jam opus prædictum conſummatum eſſet. Cumque in eo loco, quo civitas fortior erat, adhuc machina poſita eſſet, ſubito quadam nocte conſtituta, neſcientibus illis, in eamdem partem, qua murus urbis humilior eſſe videbatur, paulatim im-

impellendo molimen illud transferunt. At illi qui erant de intus, cum clareſcente die machinam illam, ubi non putabatur, tranſlatam vidiſſent, nimio mærore affecti ſunt, quod eos ſuam quam jam patraverant oportebat deſtruere, iterumque in ea parte illam reficere, qua contraria exteriori machinæ exiſtere poſſet. Dum ergo illi ad reparandum opus ſuum operam darent, forenſis exercitus ad cuſtodiendum machinam ſuam totus transfertur, eamque in quibus neceſſe erat ex toto præparare accelerant. Cum ergo & ipſi ſuam præparaſſent, cœperunt utrique inter ſe pugnare. Iſti cum ariete muros & turres impellentes quaſſant: illi contra arietem mœnia terebrantem petras ejiciunt. Denique ſaxa, ſagittæ ex utraque parte volant: ſcuta, galeæ, crates, muri adactu utrorumque remugiunt. Sonitus vero utrimque intorquentium jacula ita maximus erat, ut ex eo aures omnium repletæ viciſſim non intelligerentur.

CXX. Interim dum hæc utrimque ſic gererentur, moles lignea paulatim movendo approximat: at ubi illuc uſque appropiatum eſt, ut alternæ lanceæ jam inter ſe ferro tinnirent; aries ligneæ turri adſtans antemuralis objectione, quod vulgo barbacanus dicitur, procedere eam non permittit. At vero machina, quæ ſequebatur arietem, retrocedere prohibebat: dextrorſum autem, ſeu ſiniſtrorſum diverti effectus ipſius negabat. Quid ergo agerent Chriſticolæ, cum eorum machinam ultra tendere nequirent? Datur ergo conſilium, ut aries ipſe totus combuſtus viam tranſituræ machinæ daret. Cumque ad hoc intenderent ut igne combureretur, videntes hoc qui erant de intus, ut illum extinguerent, aquas projiciendo in illum operam dabant, qui prius pice, & ſulfure, & face, ne prævalere poſſet, ab illis uſtulatus fuerat. At ille cum propter aquarum affluentiam maneret illæſus, ecce iterum Chriſticolæ ſumpto igne illum incendunt. At hæc Machumicolæ rurſus amphoras aquæ à machina ſua jactantes, ignem ardere incipientem ne ardere poſſit præpediunt. Quid moror in verbis? ad ultimum Chriſtiani, dum Deo cooperante aquis fluentibus inſtantius obſtarent, aries totus inceditur. unde Chriſto victori laudes referuntur. Patente namque aditu, qui prius ab ipſo ariete impediebatur, machina ſemel atque iterum feliciter procedit: deinde cum tertio moveretur, quæ antea felix ibat, nunc flebilis redditur. Nam molimen illud ex

parte maxima lignis recentibus operatum atque connexum, ſub onere fatiſcens jam vergere incipit, quod ita pede uno læſo immobile ſtabat, ut nec ultra progredi, nec retrocedere quiret. Ecce iterum dolor maximus ex tanto caſu accidens Chriſti milites arripit. Quid enim facerent penitus neſciebant. nam illam deſtruere, iterumque reparare, propter inſtantiam hoſtium, nec temporis ſpatium nec facultas dabatur. Qui quoque tanta circumvallati anguſtia, Bene, inquiunt, hoc nobis contigit, quia cum illud ſine dubio futurum credebamus, ab eo ne nobis accideret in primis nos cuſtodire neglexìmus. Inter hos tamen gemitus præparaverunt perticam ſufficienter longam, in cujus culmine falcem efficaciſſimam affixere. Quam cum ipſi ad funes uſque, quibus molimen illorum innexum erat, quo lapides mittebantur, extenderent; ab ea comprehenſi, fortiuſque abſtracti continuo ſucciduntur: quibus ſucciſis ligna quæ eorum nexibus alligata fuerant, ſtatim diſſolvuntur, diſſoluta vero ad terram ruunt.

CXXI. Erant enim duæ turres, quarum una ſtans ad dexteram, alia vero ad ſiniſtram, nullum ſolatium eis, qui erant in machina, in proximo jam periclitaturis præſtare poterant: eo quod unam illarum paululum remotiorem Tancredus; aliam vero, quæ erat propior, Comes Normanniæ fundarum balearium jactibus inſtanter fatigabant. Quam ob rem illi qui eas tuebantur, ad hoc ipſum ſolummodo intenti, aliis ſuccurere non valebant. Cumque illi de machina jactus ſuos ſucciſis funibus non haberent, tremefacti valde, ſaccis paleis plenis mœnibus innexis à volatu lapidum ea defendunt. Francis itaque ſine effectu laborantibus planctus plurimus, immo riſus nullus erat in eis. Quod cum preſbyteri, qui erant inter ipſos, vidiſſent, nullaque Chriſticolas victoria ſequeretur; continuo in albis & ſtolis flentes & pſallentes, atque *Kyrieleiſon* cantantes, machinam, quæ ante moveri non poterat, impellentes movent. Tunc milites, qui præ labore caſſo, quem antea paſſi ſunt, in caſtris torpere videbantur, confidentiam preſbyterorum ipſorum intuentes, mox redeunt, illoſque cum eiſdem ipſis *Kyrieleiſon* cantantes adjuvare contendunt. Quid amplius dicemus? Benedictus Deus, qui non derelinquit confidentes in ſe. Spem bonam illorum conſiderans, ſtatim modo conſolatus eſt illos, atque ubi jam ſpes exciderat, illuc machina ſine magno labore ab illis advecta eſt. Tranſvecta itaque mole illa ad locum, quem

jam longe præviderant, illi, ſicut ſupra dictum eſt, cum ſaccis paleis plenis muros a jactibus illorum tuebantur. At Franci ſagittas ignitas ab arce lignea trahentes, ſaccos perfodientes accendunt. Verum turricolæ ejuſdem incendii vires non ferentes, cedunt flammis, qui nec jaculis ante ceſſerant, nec baliſtis. Cumque muri propter ignem tutoribus vacuarentur, exteriores hoſtes ſecurius ſcalas mox mœnibus applicant. Sed & trabe continuo inter murum & machinam poſita, ſine mora juvenes fervidi manibus pedibuſque hac ope repunt in urbem, à multis procellis eruti, portum quietis jam adepturi.

CXXII. Horum primus quidam miles ſtrenuiſſimus, Bernardus nomine, cognomento de ſancto Valerico, clarus genere, tenens manu gladium, trabem prædictam inter duo femora tranſmeavit, ſimulque alii, videlicet duo fratres, quorum unus vocabatur Letholdus, alter vero Ingelbertus, ambo Flandrigenæ, ſine mora per ſcalas murum aſcendentes, Bernardum mox præveniunt, atque à mœnibus enſes ſtrictim gerentes intra urbem deſcendunt. Quos Bernardus ſequens, & ipſe introgreſſus eſt: deinde alii atque alii amodo audaciores, videntes illos aſcendiſſe, ſtrictis enſibus, loricis muniti, galeis capita cooperti illos ſubſecuntur. Cumque Bernardus unam tenens viam ab illis duobus fratribus divideretur, ſequentibus ſe aliis cœpit obvios quoſque quoſdam repellere, alios ferire, alios vero trucidare. Illi vero duo fratres per alteram partem civitatis euntes, ſequentibus aliis eadem agebant. Bernardus denique cum quemdam gentilem audacter reſiſtentem obvium habuiſſet, animo accenſus, viribuſque collectis ceruicem enſe percutiens, caput cum ſcapula per medium ab alia diviſit: ita ut dum caput cum ſcapula cadens in terra jaceret, truncus cum altera adhuc rectus ſtaret. Fit ſtrepitus magnus in urbe, magnuſque timor arripit omnes. Tunc nonnulli Sarracenorum, metu Chriſtianorum cogente, ut mortem evaderent arces aſcendunt: alii, quamvis fruſtra, inſequentibus ſe reſiſtere tentant,

CXXIII. Alii vero Chriſtiani milites, & populi omnes, qui erant in caſtris, non valentes per muros aſcendere, accedentes ad portam vallis Joſaphat, quæ eis vicinior erat, ſolis humeris à cardine illam extrahentes evertunt. Tunc patefacto aditu Principes, omniſque plebs militaris & pedeſtris intrantes urbem capiunt. Verum gentiles intrantibus illis non valen-

tes obſiſtere, quidam huc, alii illuc fugiunt: nonnulli vero ſurſum, alii vero deorſum terga vertentes tendunt. Plures autem per ſata, alii per ſæpes, quidam per tecta, plerique per arva, alii vero per * .... mortis periculum trepidantes diffugiunt, sed fruſtra. Nam ubicumque ibi inveniebantur, penitus interficiebantur. At Chriſtiani quique ſecundum quod animus illorum deſiderabat, ad hoc tantum ſibi capiendum intenti erant. Nam quidam aurum vel argentum, alii gemmas, alii purpuram, alii aurichalcum, alii ſervos vel domos, alii autem equos, vel quodlibet aliquid animal ſumebant: alii quoque nihil horum deſiderantes, panes, vinum, aquas, eo quod multum eſurierant vel ſitierant, tantum quærebant. Nobiles vero viri ad nihil aliud intendunt, niſi ut cædere poſſint; vulgus vero non ad hoc, ſed ut ſpoliare poſſint omnino laborant: milites uero ad effundendum gentilium ſanguinem ſolummodo intendunt: duces vero ad exhortandum & urgendum ſuos ad ſtragem inſiſtere non deſinunt. Illinc Robertus Normanniæ, iſthinc alius Robertus Comes Flandrigenarum ſtabant: hinc Gottifredus Dux celeberrimus, illinc Raymundus magnanimus Comes ſancti Ægidii conſiſtunt, ſinguli ſuos incitantes, quatinus Sarracenorum cædi omnino intenderent. Qui videlicet Raymundus turrem David cum ſuis circumdedit, non ſine multorum nece, qui refugi de muris ad arcem illam tuendi gratia ſe traxerant.

* f. hortos.

CXXIV. Verum Tancredus, qui non ſicut homo, ſed tamquam rugiens leo furebat, venit ad Templum Salomonis, ad quod tota pæne multitudo gentilium confluxerat, videlicet palatium ſpatioſum, capaciſſimum, mœnibus altis circumdatum, quod etiam quindecim magnas domus infra ſe continebat. Qui vi fractis ingreditur portis, atque quos obvios habuit, mox percutiens trucidavit. At vulgus ipſum Sarracenorum metu ipſius introrſum recedens, in ipſis prædictis domibus januis ſerratis, obicibuſque firmatis ſe claudunt. Hoc quidem Templum tam amplum per circuitum erat, ut quaſi alia urbs intra Jeruſalem eſſe videretur. Tunc Tancredus reminiſcens totum æs Sarracenorum reconditum eſſe in templo Domini, interim relictis illis, qui ita ſe clauſerant, illuc ſe tota agilitate vertit, ne forte, ipſo quoquo modo morante, alius ad illum diripiendum eum præveniret. Patefacto itaque Templo, ille ingreſſus, ecce videt ſimulacrum argenteum Machumeth, quod

erat fuſile, ſtans in excelſo throno, quod videlicet tanti ponderis erat, ut vix ſex viri fortiſſimi ad portandum, vix etiam decem ad levandum ſurſum ſufficerent. Quod curioſius Tancredus intuens, Pro pudor, inquit, quid ſibi vult præſens imago, quæ ſtat in ſublimi? quid ſibi vult hæc effigies? quid gemma, quid aurum, quid ſibi vult oſtrum? Erat quippe ipſe Machumeth omnibus his redimitus. Rurſuſque ait: Numquid enim hæc figura Chriſti eſt? Non. Nam Chriſtus cum in ligno ſuſpenſus fuiſſet, pedes ejus clavis affixi ſunt, latus vero illius lancea perfoſſum. ergo non eſt hic Chriſtus, ſed eſt pravus Machumeth priſtinus Antichriſtus. O ſi ille Antichriſtus, qui futurus eſt, hic eſſet cum iſto! ambo vere pedibus meis cito nunc ſupprimerentur. heu dolor! Machumeth quomodo apud inferos torquetur, nunc in templo Domini per imaginem ipſius dominari videtur! qui vernaculus eſt baratri, nunc in templo Dei, tamquam ſit Deus, ſedere conſpicitur! Dixitque ad ſuos circumſtantes: Aſcendite ergo cito, eumque deorſum mittite. quod utinam jam dudum factum fuiſſet. nam ita ipſe ſuperbus ſtare videtur, ac ſi Deus nos abſorbere vellet. Tunc milites juſſum ipſius audientes confeſtim aſcendunt, abripiunt, trahunt, dirumpunt, atque obtruncant. Mox ergo metallum, quod erat carum materia & forma vile, poſtquam diſſectum eſt, de vili factum eſt pretioſum. Denique interior paries templi Domini per circuitum ad honorem ipſius Machumeth lamina argenti radiabat, quæ fere uno cubito lata, atque quaſi pollice uno denſa cernebatur: pondus vero ipſius erat quaſi ſeptem milia marcæ. Hoc quoque vir ſapiens Tancredus, quaſi ſegne & inutile manens, convertit in uſum. Nam hinc & nudos veſtivit, & pavit egentes: hinc & inermes armavit, hinc & militiæ numerum auxit. Reperiuntur & ibi quingentæ caldariæ de argento diverſæ quantitatis, quæ ad officium Machumeth deputatæ fuerant: ſed & diverſa vaſa argentea abſque numero, quæ illic ſervabantur, reperta ſunt, quæ cuncta ab eo accipiuntur. Paries & columnæ templi ſub gemmis, multaque alia ſub auro & argento latitabant, quæ excruſtata à Tancredo diripiuntur. Sed & alia quæque pretioſa, quæ longo tempore ibi clauſa fuerant, ſub oculis omnium ad lucem prodeunt, quæ ipſe rurſus omnia accepit.

CXXV. Igitur dum hæc fierent, fremitu belli reſonante per urbem plures Chriſtianorum ad templum Salomonis conveniunt:

veniunt: quorum alios ſpes cædendi, alios autem amor lucrandi impellerat. Qui etiam vi * prœlii fractis intrantes, alii jugulabant ſenes, alii parvulos: aliis quoque fuit cura gemmatas inaures à quorumdam auribus violenter dirimere. Quod cum fieri milia Sarracenorum vidiſſent, non ſufferentes, ſine numero & ordine à latebris ſuis prodeuntes exiliunt, ſpicula mille in Chriſtianos ſe inſequentes jaciunt, eiſque reſiſtunt. Econtra grex Francorum, quia puſillus erat, non valentes tanto numero obviare, cedunt. At illi videntes eos terga præbere, magis cedentibus inſtant. Rurſus & illi animum reſumentes vertunt ſe ad illos, eoſque retrocedere cogunt. Itemque illi, eo quod numero prævalebant, contra illos redeunt, eiſque obſiſtunt. Contra quos Chriſticolæ, dum mori non timent, iterum vertuntur, eoſque rurſus cedere compellunt. Cumque ſic hi, & illi totiens verſa vice cederent; ad ultimum bellatores Chriſti, quia numero & armis deficiebant, inſtantibus illis retroire jam ex toto coguntur. Quos cum ceſſiſſe Hebrardus Puſiatenſis, vir bellicoſiſſimus, illuc veniens comperiſſet, quem non caſus, ſed Dei voluntas adduxit, clara voce arguit eos dicens: Quid eſt hoc quod agitis recedendo? nonne ad bellandum veniſtis? certe ut video, ſicut pueri vos ludere putatis: vel ita vos agitis, ac ſi puellæ in choro rotare videremini. Numquid non eſtis viri Franci? nonne propter mortem ſubeundam veniſtis? auferte ergo à vobis metum, patriaſque vires reſumite, meque cito revertentes ſequimini. At illi hoc audito mox conantur, eumque corde uno eademque voluntate, licet ſine clypeis eſſent, illum ſequuntur. Tunc ille clypeo protectus & galea, dextra enſem tenens, obicit ſe multitudini gentilium, eos ſolus repellit: cujus exemplo alii qui ſequebantur provocati, hoc ipſum ſimiliter peragunt, ipſo tamen præcedente. Facta eſt ergo ibi magna ſtrages, in tantum ut Sarracenorum milia ab eis cæſa referantur.

* *ſ* portis.

CXXVI. At Tancredus diſpoſitis omnibus, quæ diſponenda ex his videlicet rebus, quas in templo invenerat; ab ipſo mox templo regreditur, eoſque quos in templo Salomonis ad tempus dimiſerat repetit. Qui cum interiores domus, quibus milia gentilium latebant, penetraſſet, ſine ulla miſeratione cum ſuis in eos irruens cædit: quorum alius per caput, alius per ventrem, alius per ilia, alius per coxas, alius per collum alius vero per dorſum gladio percuſſus proſternitur. Quippe

ipſa multitudinis eorum conſtipatio ſeipſam perſequebatur. Nam dum alii alios conſtipantur, perimunt. Ipſa quippe corpora ſauciata ſanos in ſe ruentes ſternebant: & quanto magis vulgus ipſum denſabatur, tanto plus debilitabatur. Nam cadens ſtantem, & ſtans cadentem ſuffocat. Facta eſt ergo ibi tam ingens cædes, adeo ut nec unus ex tam magna multitudine vivus ſuperſtes remanſerit. Sanguine vero occiſorum in tantum domorum illarum univerſa ſpatioſitas repletur, ut noſtri quis in eum ſubmerſus uſque ad genua per pavimentum ire non poſſet. Sed & limina, maceries, tabulata, atque columnæ ſanguine cuncta madebant. Quibus quoque deletis, quis enarrare ſufficiat quanta gaudia Chriſtianorum fuerint, cum de tantis damnis gentilium tanta eis commoda ſurgerent? Quis verbis poteſt exprimere, quanta tunc eis lætitia, cum illis, qui Chriſtum in ſuis membris aliquando dilaceraverant, modo in ſuis corporibus taliones ab ipſis excipiunt? Gaudebant etiam, quod curſum itineris peregrinationis, quem devoverant, jam conſummatum eſſe cernebant, gratias agentes Deo, qui eis in cunctis miſericordia ejus præveniente atque ſubſequente cooperator extiterit.

CXXVII. Civitate ergo à paganorum dominio expurgata, ſola turris Davitica expugnanda reſtabat. Nam adhuc Sarraceni in ea commorantes erant, qui eam ad cuſtodiendam ſuſceperant. Hi videntes urbem eſſe comprehenſam, conſilium quomodo evadere poſſint exquirunt. Miſerunt itaque ad Raymundum ſancti Ægidii Comitem, qui à principio turrem eamdem obſederat, dicentes: Nos tibi eo pacto arcem iſtam trademus, quatinus nos ſecuros, liberoſque uſque ad Aſcalonem conduci facias. Quo audito, ille ſecuritate eis pollicita atque jurejurando firmata, arcem illam ſuſcepit: ſicque eos, ut illis promiſerat, ſecuros abire ſuorum conductu fecit. Capta eſt ergo civitas die Iduum Julii, ſexta feria, videlicet ab obſidionis exordio triceſimo nono die, ab incarnatione autem Chriſti milleſimo nonageſimo nono. Conſtitutum eſt itaque ab omnibus, atque firmatum, ut prædictus dies captionis, immo liberationis Jeruſalem, ſingulis annis in memoria habitus ſollemniter celebretur. Poſt hæc autem inter Principes adverſus Tancredum orta eſt invidia, eo quod ipſi uni abundaverit Deus. quorum quidem invidia Arnulfus occaſione accepta, ſuper eo cunctis proceribus congregatis valde conqueſtus eſt,

quod theſauros templi contra ſe, qui templi ejuſdem ceterarumque ibi eccleſiarum miniſter erat, abſtulit. Querelæ autem, quas auribus ipſorum Principum de eo ingerebat, tali modo proferebantur. Vos me, inquit, o Patres, de humili in ſublime promoviſtis, vos de ignoto ſublimem exhibuiſtis: vos me quaſi unum ex vobis creaſtis: & hæc quidem non meis meritis, ſed gratia veſtra. At Tancredus ſolus me perſequitur, in me tyrannides exercet, in me omnino ſævit. Quod communis mihi aſſenſus veſter confirmaverat, ſolus etiam ipſe derogat. Vos mihi jura Pontificis dediſtis, ipſe aufert: vos me inveſtiſtis, ipſe ſpoliat. Tuemini igitur, o fortiſſimi Proceres, jus veſtrum, ulciſcimini injuriam veſtram, punite injuriæ illatorem. Nemo putet hanc contumeliam meam ſolummodo eſſe, ſed veſtram. Mihi quidem res imminuta eſt, ſed vobis aucta injuria. Ad me damnum redundat, ad vos dedecus. Nam qui diſpenſationem divinam conculcat, nempe veſtram omnino diſpenſationem damnat. Scriptum eſt enim: Qui contemnit legem, ſpernit regem. Cur autem vos non ſpernet, qui Deum ſpernit? Cur vobis parceret, qui altaribus non pepercit? Cur vos patitur ægros, qui templum Domini excruſtavit? At non eſt mirum, ſi Tancredus hoc fecit: ſecutus eſt enim patrum ſuorum veſtigia. Quis inter amplexus & oſcula compatrem ſuum à mœnibus caſtri ſui rotando dejecit? nempe Robertus Guiſcardus. Quis vivus pro mortuo ad tumulandum in monaſterio montis Caſini prolatus eſt? utique Robertus Guiſcardus. Quis nepotem ſuum ad concordiam perſuaſum, prius calida, deinde mox gelida aqua perfudit? iſdem ipſe Robertus Guiſcardus. qui tamen fertur eccleſiarum fuiſſe fundator, non ſubverſor; nec alias eccleſias aliquando denudaſſe, ſed multas ditaſſe.

CXXVIII. Cumque hæc & alia plurima contra eum locutus fuiſſet; Tancredus ad hæc rationem reddens, ſic ait: Scitis, o Proceres, ſtudium meum, quia militia tantum fuit, non verborum perſuaſio, nec linguoſitas me promovit, ſed enſis, & lancea. Proinde indulgendum mihi eſt, ſi poſitus in loquendo rationem exceſſero, ſi rudis & ineloquens aut minus, aut plus dicam. Hic quidem, ut opinor, adverſarius meus Arnulfus me lædendum conſideravit, quia meum ſermonem imperitum attendit. Sicut enim ſcorpius in cauda, ita quoque ille omnem ſuam malitiam habet in lingua. Vere inquam,

vere lingua ipſius cauda eſt ſcorpii. Audiſtis vos ipſi, quod viperino dente genus meum corroſerit. Roberto Guiſcardo, tanto Duci, videlicet ſecundo Alexandro, nunc detraxit homo, de cujus germine Princeps quiſpiam numquam deſcendiſſe viſus eſt. Quippe Roberti Guiſcardi acta nota ſunt cuncto orbi: non eſt ergo qui ei poſſit detrahere. Quid? quod iſte infamat me templum excruſtaſſe, quod videlicet eſt pauperibus opitulari, delicias neceſſitati poſtponere, captivorum vitam redimere, conculcare gentiles hoſtes, ad pugnandum milites creare. Nonne hic eſt qui laudari appetens, alios clamare facit ea certe quæ ipſe nequaquam agit? Nempe ego ad reipublicæ tutelam, ad infideles debellandos, urgente periculo, inſtante bello, neceſſitate coactus æs, quod in templo vacabat, & quaſi dormiebat, excitavi, ut gentilibus quibus ſervierat fulgens, melius nobis ſerviret bellans. Non illud abſtuli, ut inde neptibus meis murenulas cuderem. Res ſane, quæ ſine commodo manebant, ad proficuum commune tranſtuli, eas non conſumpſi, ſed promovi, ut fructum multiplicent: ſi non ita moverentur, in augmentum aliorum non ſurgerent. Seminavi ut metam, & ut creditori meo decuplum perſolvam.

CXXIX. Cumque hæc, & alia verborum plurimorum diſſonantia auribus Principum intonuiſſet; ipſi jam ad reſpondendum unanimes redditi, ſopita invidia, juſtitiam ſcrutantur, videlicet quiddam tale inveniunt, quo nec incaſſum Arnulfus reclamaverit, nec paratis proprio ſudore opibus fruſtraretur Tancredus. Judicant ergo ubera non debere relinqui arida, quæ tantum lactis effuderint: cum præſertim Tancredi liberalitas aliis Dei non deſit eccleſiis. ſed & hanc præcipue eccleſiam, id eſt templum Domini, quæ ipſum indigentem ditavit, debet & ipſe verſa vice fovere illum indigentem. Quid plura? conſilio ergo principum Tancredus ſeptingentas marcas templo libens redonat: atque ſic pace conjunguntur ipſi duo, qui abjuncti diſcordiâ fuerant, ambo videlicet viri conſpicui, ambo potentes, ambo aliorum omnium invidia, cum eorum neuter cuilibet niſi forte alterutrum invidet.

CXXX. Poſt hæc autem ortum eſt inter proceres conſilium, quis eorum in civitate Jeruſalem Rex haberetur. Non enim decebat, ut amodo tanta taliſque civitas ſine rectore maneret. Interrogatur ergo Robertus Comes Normanniæ, utrum velit pro divino amore in eadem urbe regni jura tenere.

At ille reſpondens, Non enim, inquit, Comitatum meum, quamvis pro Deo huc venerim, omnino dimiſi, ut hic manere debeam. Nunc itaque quia votum meum complevi, ſi Dominus dederit, ad meos reverti deſidero. Ad Ducem autem Gottifredum cum ventum fuiſſet, ſciſcitatur ab eo, ſi regnum Jeruſalem pro Dei dilectione & Chriſtianitate ibi augenda accepturus eſſet. At ille, Ego, inquit, Ducatum meum ea intentione reliqui, ut huc veniens, illuc ultra remeare non debeam. Nunc igitur ſi voluntati Dei veſtræque placitum eſt, Jeruſolymitanum regnum, non pro meo honore meaque voluntate utenda, ſed ob Chriſti amorem, ſimulque honorem ſolummodo accipere conſentiam. Quibus auditis, mox omnes uno voto, eodemque animo illum in Regem eligentes, civitatem ei ſubdiderunt. Qui tamen, ut fertur, quamdiu vixit in corpore, adeo humiliatus eſt, ut in capite ſuo corona numquam uſus ſit, præ illius reverentia, qui ſpineam in capite coronam ibi geſtavit.

CXXXI. Nec mora, Rex Ægypti comperiens urbem Jeruſalem à Chriſtianis eſſe invaſam, conturbatus eſt valde. qui timens ſibi, miſit trecenta ſexaginta milia equitum Sarracenorum, ac peditum numerum velut arenam maris, quatinus advenas hoſtes bello comprimentes expellerent. At ubi de adventu illorum nunciatum eſt Francis, antequam iidem Sarraceni ad illos acceſſiſſent, eis ad Aſcalonem occurrerunt, belloque inito Deo cooperante datur victoria Francis. Nam eorum alios ſauciant, alios trucidant, alios vero fugam ſubire compellunt.

CXXXII. Denique Aſcalonitæ cernentes illos, quorum auxilio tueri putabantur, oppreſſos atque ſuperatos fuiſſe, antequam à Francis obſeſſi invaderentur, conſilium evadendi alterutrum expetunt. Miſerunt ergo ad Comitem ſancti Ægidii, ab eo obnixe flagitantes, ut ſicut turris Daviticæ cuſtodibus fecerat, eadem & ipſis fierent, videlicet ut Aſcalone ei dedita, illis ob hanc cauſam omnibus parceretur. Quod cum comperiſſet, libentiſſime quod quæſiverant, annuit: ſicque poſito ſuper turrem vexillo ſuo Aſcalonem obtinuit.

CXXXIII. Rex quoque Gottifredus, aliique proceres, cognito quod Raymundus Aſcalonem adeptus ſit, læti effecti dixerunt ad illum: Glorificetur Deus, qui tibi Aſcalonem ſubdidit. Nunc ergo volumus, & precamur, ut quia urbs ea-

dem juri Jeruſalem pertinet, regi ipſius Gottifredo, quod æquum eſſe videtur, reſtituatur. Si autem tibi hoc fieri diſplicuerit, eaque potiri volueris, Jeruſolymitano Regi ſubdaris, eamque ab illo inantea tenere te recognoſcas. Non enim decet, nec etiam conſentiendum eſt, ut duo Reges alterutrum diviſi hic habeantur: ſed unus Rex, quod juſtum eſſe cernitur, & tibi ceteriſque omnibus præſit. At ille audito de ſubditione ſui, indignatus eſt valde, eiſque reſpondit dicens: Potius Aſcalonem eis, quorum fuit, reſtituam, quam Gottifredo, qui compar meus eſt, ſummittar. Quapropter continuo mittens Aſcalonem gentilibus reddidit: ſicque urbs neophyta in apoſtaſiam reverſa, à Sarracenis nunc uſque poſſidetur. Unde Raymundus in redditione illius plurimum peccavit, quoniam cunctis Jeruſalem petentibus nimis impedivit iter. Hæc enim civitas euntibus illuc, & redeuntibus peregrinis portus rectus eſſe ſolebat.

CXXXIV. Nec multo poſt ambo Roberti comites, ſicut mente conceperant, ad ſuos redeunt, atque de omni multitudine illa vix ducentæ galeæ remanſerunt. Raymundus vero Comes cum quadringentis viris belligeris inter pedites & equites Tripolim pergens eam obſedit, mirabile dictu, tam parvo numero contra tot milia pugnaturus. Qui quoque tantæ audaciæ fuit, ut eo ſolummodo fretus numero, licet illi reſiſterent, colliculum quemdam urbi vicinum muro & turribus muniret, quem etiam nunc uſque Montem-peregrinum vocant. Erat autem civitas valde inclita, mari adjacens, mœnibus fortibus munita, turribuſque excelſis circumcincta, opibuſque ditiſſima. Comes ergo in prædicto monticulo, quem contra eam munierat, cum ſuis reſidens, illam crebris aſſultibus tamdiu infeſtavit, quouſque vi capta ab ipſo obtineretur. Verum Tancredus pro divino amore ac Chriſtianitate ibi augenda, ſimulque tuenda, ſub novo Rege Jeruſolymitano militare non dedignatur. qui aſſumptis ex illis ducentis equitibus, qui remanſerant, octoginta, cum eis ipſis huc & illuc prœlia Domini exercebat. Nam centum viginti in urbe Jeruſalem ad cuſtodiendum eam remanſerunt. Igitur Tancredus, zelo Dei tantummodo ductus, aliquando Damaſcum, aliquando in Arabiam, & ubicumque poſſet prædatum pergens, Jeruſalem ſpoliis, quæ obſidione jam pauperata fuerat, ditabat. Qui poſtmodum locum quemdam aptum ad inferen-

das uſquequaque prædas invenit, qui nunc *Bizan*, olim Bethſamis, ut in primo Regum legitur, appellatus eſt. Hunc quoque locum ſibi ille aggere valde præmuniens, cuncta municipia cunctaſque urbes per circuitum prædando, vel mercatoribus ſive venditoribus viam tollendo, atrociter arcebat. Per quem etiam locum urbs Cayphas munitiſſima multis plagis ab eo afflicta, ad ultimum, quamvis muris turribuſque ſæpiebatur, tamen obſidetur: multiſque balearibus tormentis obruta, per funes & ſcalas immiſſis militibus capitur.

CXXXV. His diebus Boamundus, & Baldoynus Gottifredi Regis frater, de quo ſupra dictum eſt, votum eundi Jeruſalem complere cupientes, cum non parva militum manu iter arripiunt. Qui dum per vallem Camelæ & Damaſci viciniam, necnon per Cæſaream Philippi incederent, mirabile dictu, per medios hoſtes, qui circumquaque exploraturi diſcurrebant, liberi tranſierunt. Erat autem quadrageſimalis jejunii tempus. Qui cum Jeruſalem properaſſent, gaudia ibi paſchalia cum rege Gottifredo celebrarunt. Quo videlicet tempore Daybertus Piſanorum epiſcopus, vir in litteris potentiſſimus atque eloquentiſſimus, qui in multis navibus Joppem aggreſſus fuerat, eodem Boamundo juvante in Patriarchatum Jeruſalem ſublimatur. Arnulfus autem, magnæ indolis vir, quamquam dignitatis hujus electione donatus fuerat, tamen libentiſſime annuit, ſperans Chriſtianitatem ibi magis in illo, quam in ſe profuturam. Ordinantur ibi quatuor Epiſcopi, ſcilicet Roggerius Tharſi, Mamyſtæ Bartholomæus, Bernardus Artaſii, Benedictus Edeſſæ, qui cum Boamundo, & Baldoyno in preſbyteratus officio poſiti venerant. Expleta itaque ſollemnitate paſchali, Boamundus cum tribus ſuis patribus revertitur, reddens ſingulis civitatibus Præſules ſuos. Baldoynus quoque cum ſuo archiepiſcopo Benedicto Edeſſam, cujus ipſe Comitatum tenebat, rediit.

Anno 1100.

CXXXVI. Nec mora Boamundus ipſe, cum audiſſet à relatoribus, urbem Meletaniam Turcorum armis circumdatam eſſe, quæ decem dierum itinere aut plus ab Antiochia diſtabat; coacto in unum exercitu, ad liberandum eam ire conatur. Verum Turci cognoſcentes illum jam in proximo adeſſe, obſidionem ex induſtria dimittentes, ut eorum eſt conſuetudo, receſſerunt. Magis enim ipſi ad tempus vel horam terga vertendo, quam accedendo prævalent. Nam & fugiendo

ſpicula eiciunt, ſe ſeque inſequentes taliter vulnerant. Boamundus ergo cum civitati appropinquans Turcorum aciem non reperiſſet, conſultum eſt ſibi à ſuis, quatinus urbem ingreſſus paululum ibi prius requieſceret; ac ſic poſtea quiete refotis viribus ſuis, contra Turcos ad bellandum exiret. Qui non credidit eorum conſiliis, ſed ex ſtulta audacia immoderanter præſumens, Abſit, inquit, ut Boamundus quod numquam feciſſe meminit, modo facturus ſit. Hoc enim faciunt vulpes, quæ mox ubi latrantes canes audierint, latebras quærentes abſconduntur. Jvit igitur poſt Turcos: eoſque inveniens, cum eis prœlium, quod utinam numquam iniſſet, mox inchoavit. Cumque hi, & illi ſimul prœliarentur; Boamundus retinetur, ligatur, Machumicolis magnum gaudium, væ miſerabile Chriſtianis facturus. Qui deinde in Romaniam ad Aniſmam Regem vinculis mancipandus perducitur: de cujus poſt captione Anthiochia miſera facta ita manebat, ut non eſſet qui adjuvaret eam, neque conſolaretur.

CXXXVI. Sequitur e veſtigio miſerrimus caſus, quo Jeruſalem non minori luctu affligebatur. Nam Gottifredus, Rex optimus & timens Deum, capto mox Boamundo ex hac luce migravit. Erat jam annus unus evolutus ex quo regnare cœperat, cum ad obitum perveniſſet. Qui tamen antequam præſenti luce caruiſſet, dum corporis infirmitate teneretur, ad ſe Patriarcham Daybertum atque Arnulfum, ceteroſque accerſiri jubet. quibus ille: Ecce, inquit, viam univerſæ terræ ingredior. Modo ergo me adhuc vivente conſilium inter vos habeatur, & quis vice mei in Jeruſalem regnare debeat prævideatur. At illi reſpondentes, Nos, inquiunt, magis hoc in tua providentia ponimus, & quem nobis ad hoc ipſum elegeris, ei proculdubio ſubdemur. At ille: Si, inquit, in mea diſpoſitione ſtatuitur, Balduinum fratrem meum ad hoc culmen ſuſcipiendum idoneum judico. At illi Balduinum audientes, continuo unanimiter conſentiunt, laudant, eique jurejurando fidelitate firmata ſubduntur: quoniam illum virum liberalem pecuniæ, ſtudioſum militiæ, affatu humilem, magnanimitate ſublimem cognoverant. Hæc quippe omnia natura ipſa, ut ita dicamus, in eo manu propria exſculpſerat. Erat enim ille, ſicut ſuperius dictum eſt, in Rages, quæ & Edeſſa dicitur, Dux conſtitutus, ibique tunc morabatur.

CXXXVIII. Interea caſu accidente Tancredus ſolito more prædatum iverat. Qui denique comperiens Regem obiiſſe

iiſſe, neſciens, quod Balduinus in regnum electus fuiſſet, Jeruſalem reverſus eſt. Qui antequam portæ civitatis appropinquaſſet, ea ſibi continuo clauditur, nec valuit ingredi. At ille ammirans dixit: Quid ſibi vult quod porta mihi ſeratur? commiſi ergo aliquid propter quod intrare non debeam? Mox ergo ſibi reſponſum eſt, quod non ob aliud aditus ei negatus eſt, niſi quia Balduinum elegerant, eique fidelitatem jurejurando firmatam fecerant. Nunc ergo ſi tibi intrare placuerit, ſecuritatem prius ſacramento roboratam Baldoyno, cui omnes juravimus, facias. Alioquin civitatis hujus introitum non obtinebis. At ille indignans potius intrare neglexit, quam Baldoyno ſacramento ſubiceretur. Quod utique non caſu, ſed divina voluntate hoc actum eſſe cernitur. Nam ſtatim illis pro Baldoyno mittentibus, ecce Antiocheni proceres ad Tancredum miſerunt, dicentes: Veni ad nos properanter, quoniam noſtro domino Boamundo capto, conſilio tuo, quid ſuper hoc agere debeamus, perfrui cupimus. quo audito ille triſtis effectus iter arripuit. Qui cum aliquantum itineris ſpatium peregiſſet, ecce Baldoynus veniebat; videnſque Tancredum mox ab eo divertit, qui Jeruſalem ut miſſum fuerat feſtinabat. At ille diverſionem ejus vilipendens, nec paulum ſubſtitit, ſed iter, ac ſi eum non vidiſſet, inceſſanter agebat. Ita quidem tanti proceres alterutrum tranſierunt, ut nec unus cum altero, ſimultate priſtina recordata, vel modicum loqueretur.

CXXXIX. Tancredus itaque cum Antiochiam perveniſſet, portæ mox illi clauduntur. Qui cum accedens intrare nequiſſet, ammirans valde, ait: Cur ergo vocatus acceſſi, ſi portæ mihi ſerari debuerunt? At illi de intus reſponderunt dicentes: Non ob aliud civitatem clauſimus, quia volumus ut prius te Boamundo fidelem jurejurando exhibeas, ſicque poſtea ingrediaris. Quod cum feciſſet, ingreſſus urbem, omnibus volentibus Antiochia ei ad cuſtodiendum e fidelitate Boamundi traditur, quouſque ipſe à captione libertatis rediret. Balduinus vero Jeruſolymam veniens, in ea mox conſenſu ac voluntate omnium, ſicut jam ab ipſis conjuratum fuiſſe vivente Gottifredo præſcribitur, Rex conſtituitur, cunctis hoſtibus undique magnum timorem incutiens. Verum Boamundus tribus annis vinculis tentus, tandem vix centum milibus michaletorum, quos Antiochia pro eo dedit, redemptus, liber regreditur, urbemque ſuam Tancredo fideliter cedente recepit.

CXL. Sed quia Boamundi acta, quæ nunc uſque geſſit, recoluimus, debemus & ipſius finem qualiter habitus ſit vel ſummatim referare. Itaque non multo poſt Boamundus reminiſcitur votum, quod Deo, & beato Leonardo, dum in vinculis teneretur, voverat: videlicet, ut ſi Deus per merita & interceſſiones ejuſdem Confeſſoris eum de captione illa eriperet, ipſe in Galliam ad eccleſiam ipſius, qua corpus ejus quieſcebat, proficiſceretur, oblaturus ei bolas argenteas ad inſtar earum editas, quibus vinctus fuerat. Ex cujus ſcilicet itineris occaſione, & ipſe gentium nonnullos Gallicanarum incitaret, quatinus ſecum trans mare pergentes, contra gentiles & Imperatorem Alexium, quibus tunc inceſſanter infeſtabantur, pugnaturi eſſent. Accerſitis itaque Tancredo ceteriſque proceribus, aperuit illis deſiderium quod animo ejus inſidebat: ſicque Tancredo principatum Antiochenum eo tenore ſub jurejurando commiſit, ut aut ſibi redeunti, aut heredi ejus, quem de conjuge legitima habiturus eſſet, ejuſdem principatus civitatis reſtitueretur. Sumpto itaque Boamundus Dayberto patriarcha Jeruſolymitano, cujus ſuperius mentio habita eſt, mare ingreſſus eſt: ſicque in conſpectu claſſis, quam iſdem Imperator contra ipſum ſuoſque pugnaturam direxerat propter Laodiciam, aliaſque urbes, quas ſibi Tancredus, dum in vinculis Boamundus ipſe haberetur, abſtulerat, decem liburnis, tribuſque aliis ratibus, quæ vulgo ſandaliæ vocantur, advectus, Barim reverſus eſt. Qui dum poſtea in Gallias iter ageret, à pluribus urbibus per Italiam cum proceſſione & laudibus, tamquam verus miles martyrque Chriſti, prædicante illum eodem Patriarcha, viro facundiſſimo, ſuſcipiebatur. Sed & omnes, per quoſcumque tranſiturus eſſet, ac ſi ipſum Chriſtum eſſent viſuri, certatim illum intueri inhiabant. Cum ergo Romam petiiſſet, dimiſſo, neſcimus qua cauſa, Dayberto patriarcha, ex præcepto Paſchalis Papæ ſecundi, qui tunc Romanam regebat eccleſiam, adhibitus eſt vir vitæ venerabilis atque eloquentiſſimus Bruno Signienſis epiſcopus, cujus ipſe in tam longo itinere prudentia, conſiliiſque fultus cuncta bene eſſet facturus. Qui dein veniens, ut propoſuerat, ad monaſterium ſancti Leonardi Confeſſoris, votum ſuum perfecit, videlicet ſupra memoratas bolas, aliaque ibi præclara munera offerens.

CXLI. Sed inde pergens in Franciam, filiam Philippi regis

Francorum duxit uxorem, ſollicitans etiam omnes, quatinus veris redeunte tempore pro divino amore trans mare ſecum abirent, gentilium multitudinem obpugnaturi. Facta itaque in ultramontanis regionibus tanta incitatione, cum conjuge ſua, quam acceperat, centum equitibus comitatus Barim regreditur.

CXLII. Quibus quidem ad conſtitutum terminum venientibus, non modica ad eum peditum, equitumque multitudo confluxit, quos Boamundus ſecum poſtea ducens transfretavit, venienſque ſuper Durachii urbem, illam obſedit. Imperator vero Alexius audiens Boamundum ſuper ſe irruiſſe, miſſis nunciis ab eo inquirit, cur contra ſe bellum iniſſet. Qui reſpondens dicebat, quod bellum ideo contra illum ageretur, quoniam jusjurandum, quod olim ſibi aliiſque Principibus de ſecuritate fecerat, ab eo violatum fuerat, cunctiſque Jeruſalem petere deſiderantibus contrarius exſtiterat. Quibus auditis Imperator promiſit ei ſub jurejurando cuncta emendaturum. quod videlicet jusjurandum & alii nonnulli de ſuis majores ſecum pariter eſſent acturi. Unde etiam poſtulabat eum, ut ad quemdam locum ad hoc aptum ambo convenirent, atque ſecuritate alterutrum renovata inter ſe, & illum, & cunctos Jeruſolymipetas, præſentes & futuros, pax perpetua conſervaretur. Placuit itaque hoc Boamundo. Convenientes ergo utrique ad locum condictum, fœderis pactum ſecundum quod præordinatum fuerat, conſtituentes, ſacramentis interpoſitis, illud confirmaverunt. Quin etiam Imperator Boamundum in filium ſibi adoptans, quam plurima magnificaque ei munera ad ultimum contulit. His ita peractis Boamundus Barim revertitur, Græciam vel Antiochiam ulterius non reviſurus. Alii autem, qui cum eo iverunt, pars, qui poterant, Jeruſalem ad ſepulcrum Domini oraturi eunt: pars vero ſumptus non habentes, eo quod diu pro Dyrachio obſidendo retenti fuerant, in Galliis redire compelluntur. Denique ei nati ſunt duo filii, quorum primo defuncto alter ſuperfuit, cui ab eo impoſitum eſt nomen ſuum Boamundum. Nec multo poſt languore correptus obiit: cujus corpus Canuſium delatum, in eccleſia ſancti Sabini honorifice ſepultum eſt. Tancredus autem in fidelitate filii Boamundi Antiochiam ſervans, poſt multos agones plurimaſque victorias, atque oppidorum, urbiumque multarum aggreſſiones, quæ nimia ſunt ad memorandum, ex hac luce

ſubtractus eſt, Antiochiam Roggerio, filio Riccardi, nepoti ſuo, ſub eadem fidelitate, quam ipſe ſervaverat filio Boamundi, relinquens. Puer autem Boamundus, cum adoleviſſet, veniſſetque ad ætatem illam, qua principatum Antiochenum regere poſſet, Antiochiam mare tranſiens perrexit. qui ex ſucceſſione paterna Princeps in eadem urbe mox conſtituitur. Deinde cum patris ſtrenuitatem contra gentiles dimicans imitari cœpiſſet, ſecundum prodigium, quod ſuperius dictum eſt, cito vitam finivit. Ceterum Baldoynus regno Jeruſolymitano voluntate omnium, ſicut jam prædictum eſt, accepto, quomodo in eo ſe egerit, vel quot prœlia vicerit, ſeu quot urbes invaſerit, quantas virtuteſque alias exercuerit, quoniam proprio indigent volumine, prætermittere cogimur. Scripta ſunt autem iſta tantum ad excitationem fidelium futurorum, & ad laudem Domini noſtri Jesu-Christi, qui tantam ſuis victoriam præſtitit; cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, amen.

OBSERVATIO.

Ad levandum ſtudioſorum laborem, quoddam operæ pretium viſum eſt obſervare ſingularia loca præcipua, quæ in ſuperiore hiſtoria referuntur, atque in primo auctore, quem inter Geſta Dei per Francos editum diximus, deſiderantur. Initium hiſtoriæ a pag. 131 *ad* 139 *deeſt apud illum Epitomatorem. Item quæ num.* XXXV, XXXVII, XLV, XLVI, XLVII, *&* LI. *Quædam item ex num.* LII *ſub finem. Ad hæc integræ ſectiones* LV, LVI, LVII, LX *&* LXI. *Nonnulla inſuper ex num.* LXIII *ſub finem, & ex num.* LXVI *&* LXVII, LXXXIV, LXXXVIII *&* XCIII. *Præter ea totum deeſt a num.* XCIX *uſque ad finem: ubi de Ieroſolymitana expugnatione multa ſcitu digna, quæ fere aliis intacta ſunt, commemorantur. Denique nomina propria Epitomator nonnumquam omittit, ut num* LXXXVI *&* XCVI. *In ceteris crebræ omiſſiones: variæ item lectiones permultæ, quas retinere maluimus quam corrigere, ſicubi noſtri exemplaris lectio dubia erat, ut ejus rei poteſtas eſſet penes ſtudioſum lectorem. Neque illud ſilendum, quod Auctor noſter ſcribit tum de Epiſcopis Remenſi, Belvacenſi, & Tarentino, tum de VVillelmo eremita. Quippe num.* C *&* CII *ſuperiores tres Epiſcopos ait in illa expeditione verſatos fuiſſe. Qui fuerint illi Remenſis atque Belvacenſis antiſtites, alibi non legimus. Suſpicamur Remenſem Pontificem, cujus hic mentio, eſſe Manaſſen eo nomine primum, qui, teſte Guiberto,* huc illuc-

que oberrans, ſine communione poſtremo defungitur: *Rogerium vero Belvacenſem illum epiſcopum, qui Synodo Claromontanæ pro ſacra illa expeditione interfuit. Porro VVillelmus eremita, de quo num.* XCIX *& deinceps agitur, haud dubie occaſionem dedit iter Ieroſolymitanum affingendi Guillelmo Aquitaniæ Duci, ut in ejus actis apud Bollandum. Hæc ſatis in ſpecimen de præmiſſa hiſtoria, cujus ſtilus primigenium auctorem ſapit; atque inde major ei conciliatur auctoritas.*

His ſuccedet primo loco Stephani Comitis Carnotenſis epiſtola ad Adelam uxorem ſuam, ſuperius a nobis promiſſa ex codice Chriſtinæ reginæ: deinde quædam epiſtolæ formatæ, quas nobis pro ſua benevolentia conceſſit cum multo honore nominandus Leander Colloredus, tunc Oratorii Romani presbyter, nuper a ſanctiſſimo Pontifice Innocentio XI *purpura cardinalitia ornatus. Subſequetur ex ejuſdem Oratorii Bibliotheca Synodus Verulanenſis ſub Paſchale ſecundo, & Læto Verulanenſi epiſcopo, de quo vide ſis Italiæ ſacræ tomum* 1. *col.* * 292.

EPISTOLA STEPHANI COMITIS Carnotenſis ad Adelam uxorem ſuam, ſcripta ex caſtris obſidionis Nicænæ.

STephanus Comes A. Comitiſſæ, dulciſſimæ amicæ, uxori ſuæ, quidquid mens ſua melius aut benignius cogitare poteſt. Notum ſit dilectioni veſtræ, Romam me cum omni honore omnique corporea ſoſpitate iter beatum tenere. Vitæ meæ ac peregrinationis ſeriem à Conſtantinopoli litteratorie tibi mandare curavi: ſed ne legato illi aliquod infortunium contigerit, tibi has reſcribo litteras. Ad urbem Conſtantinopolim cum ingenti gaudio Dei gratia perveni. Imperator vero digne & honeſtiſſime, & quaſi filium ſuum me diligentiſſime ſuſcepit, & ampliſſimis ac pretioſiſſimis donis dotavit, & in toto Dei exercitu non eſt Dux, neque Comes, neque aliqua potens perſona, cui magis credat vel faveat quam mihi. Vere, mihi dilecta, ejus imperialis dignitas me perſæpe monuit & monet, ut unum ex filiis noſtris ei commendemus: ipſe vero ei tantum tamque præclarum honorem ſe ei attributurum promiſit, quod noſtro minime invidebit. In veritate tibi dico hodie talis vivens homo non eſt ſub cælo. Ipſe enim

omnes Principes noſtros largiſſime ditat, milites cunctos donis relevat, pauperes omnes dapibus recreat.

Prope Nicæam civitatem eſt caſtrum, nomine *Civitot*, juxta quod maris currit brachium, per quod naves propriæ Imperatoris die noctuque uſque Conſtantinopolim currunt, quæ inde pauperum cibos uſque ad caſtrum ferunt, qui eis innumeris quotidie diſtribuuntur. Noſtris quoque temporibus, ut nobis videtur, non fuit princeps univerſa morum honeſtate adeo præclarus. Pater, mi dilecta, tuus multa & magna tradidit, ſed ad hunc pæne nihil fuit. Hæc parva de eo tibi ſcribere dilexi, ut paululum quis eſſet cognoſceres.

Poſt dies vero decem, per quos me ſecum venerabiliſſime habuit, ab eo quaſi à patre diſceſſi. Ipſe vero mihi naves præcepit præparari, per quas tranquillum maris brachium, quod eamdem circumdat urbem, citiſſime tranſivi. Quidam illud Conſtantinopolitanum maris brachium ſævum ac periculoſum dicebant. quod falſum eſt. nam in eo, pluſquam in Marna & Sequana, minime dubitandum eſt.

Inde ad aliud, quod ſancti Georgii brachium dicitur. Illud quidem, quia navium copiam reperire minime potuimus, aſcenſu ſuperavimus. Ad Nicomediam urbem deſolatam à Turcis, in qua beatus martyr Pantaleon pro Chriſto paſſus eſt, ubi prædictum maris brachium caput & finem habet, iter noſtrum direximus. Deinde ad maximam urbem Nicæam, Deum benedicentes cucurrimus. Nicæam autem, mi dilecta, pluſquam trecentæ altæ turres cum muris mirificis claudunt. Turcos in ea audaces propugnatores invenimus: ubi infinitum Dei exercitum per quatuor ſeptimanas cum Nicænis mortiferum conflictum habere reperimus. Solimannus Turcorum princeps, paulo antequam nos ad exercitum veniremus, cum magno exercitu in noſtros, paratus ad bellum, ſubito irruerat, æſtimans ſe quodam impetu poſſe irrumpere in urbem, ut ſubveniret ſuis. quæ prava intentio aliter, quam putavit, Dei miſericordia evenit. Noſtri autem velociſſime parati, Turcos animis ferocibus receperunt: qui ſtatim vertentes terga, ſe in fugam omnes dederunt. Noſtri eos acerrime inſequentes, multos de eis interfecerunt, & per magnum ſpatium terræ vulnerando, occidendo eos fugarunt: & niſi eſſent ardui montes noſtris innoti, eadem die in magnum & in inmedicabile damnum corruiſſent. De noſtris omnibus nemo ta-

men periit : ſed poſtea noſter communis magnus exercitus multos acerrimoſque congreſſus exercuit : cum baliſtis & arcubus multos ex Turcis, etiam de majoribus, interfecit. De noſtris quidam occiſi ſunt, ſed vere non multi : nominativus Mil es nullus, niſi Flandrenſis Balduinus Comes de *Ganz*.

Videntes igitur Deo digni Principes noſtri Nicæam adeo, ut diximus, terrigeratam, armis tantum non poſſe ſuperari; ligneas altiſſimas turres cum propugnaculis & diverſis inſtrumentis grandi labore conſtruxere. Quod Turci aſpicientes, timore ſubacti, urbem Imperatori per nuntios reddiderunt, ea conditione, ut nudos de civitate eis liceret per conductum exire, & vivi in Imperatoris vinculis haberentur. Quod audiens venerabilis Imperator, ad nos uſque prope pervenit : in ſuam autem Nicæam civitatem intrare minime audens, ne eum infinita turba populorum, quem tamquam patrem pium venerabantur, exultando opprimeret.

In marina quadam inſula prope nos ſeceſſit : ad quam omnes Principes noſtri, præter me & Comitem ſancti Ægidii, cucurrerunt, ut cum eo de tanta victoria congratularentur. quos omnes nimio, ut debuit, affectu recepit. Et quia ne caſu ſuperveniret civitati & exercitui noſtro inimiciſſima Turcorum turba, me remanſiſſe apud urbem gaviſus eſt valde : altius vero atque levius quod tunc remanſi, ipſe recepit quaſi aureum montem ex prædis factis. In eadem qua manebat inſula magnus Imperator de ſpoliis Nicææ urbis ſic ordinavit pretioſiora, ut ſcilicet aurum, gemmas, argentum, pallia, equos, & hujuſmodi, milites habeant : omnia vero victualia peditibus diſtribuantur : Principes cunctos de propriis theſauris ſuis ſe ditaturum diſpoſuit.

Sic, ut prædiximus, Deo triumphante reddita eſt maxima Nicæa XIII. Kal. Julii. Legitur in primitiva Eccleſia, ſanctos Patres apud Nicæam ſanctam Synodum celebraſſe, & ibi Arriana hæreſi deſtructa, ſanctæ Trinitatis fidem Spiritu-ſancto ducente eos confirmaſſe : & quæ peccatis paſtorum exigentibus facta fuerat magiſtra erroris, nunc Deo propitiante per peccatores ſervos ſuos facta eſt diſcipula veritatis. Dico tibi, mi dilecta, quia de ſæpe dicta Nicæa uſque Jeruſalem per quinque ſeptimanas perveniemus, niſi Antiochia obſtiterit nobis. Valete.

EPISTOLÆ FORMATÆ.

I.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti, reverendiſſimo, omnique ſacra veneratione colendo patri Andreæ ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ archiepiſcopo, Regembertus ſanctæ Vercellenſis eccleſiæ humilis epiſcopus, præſentem & æternam in Domino felicitatem. Quia ſacris apicibus noſtris Vvalfredus eccleſiæ noſtræ ſubdiaconus vobis conſacrandus eccleſiæ Hyporedienſis ad votum cleri & populi præſul expetitur: nefas à nobis aliquid ſanctis petitionibus denegari exiſtimantes, juxta morem & reverentiam canonicæ diffinitionis uſque ad gradum ſubdiaconi noſtrorum prædeceſſorum ſollicitudine promotum, paternitati veſtræ ad epiſcopalem cathedram Domino amminiculante concedimus promovendum. Ne ergo de ipſius tranſacta converſatione, ſive præſenti conceſſione quippiam almitati veſtræ neceſſe ſit ambigere; præſentibus humilitatis noſtræ litteris eum proſecuti ſumus, quibus illum in ſacroſancta religione, in quantum audivimus, & cognovimus, atque humana fragilitas exiſtimare ſufficit, hactenus converſatum fuiſſe teſtificamur, eumque ad id miniſterium peragendum ſatis profitemur idoneum. De cujus etiam commendatione ut omnis ambiguitas abſtergatur, græca elementa cum proprii ſubputatione numeri dignum duximus inſerenda, Patris ſcilicet & Filii, & Spiritus-ſancti primas; Petri Apoſtoli primam litteram, nominis quoque noſtri primam, veſtri ſecundam, fratris proficiſcentis tertiam, civitatis noſtræ quartam: quarum numerus in ſumma ductus ipſis habetur litteris conſequenter adjunctus. Sed & numerum præſentis Indictionis eidem ſubputationi, ſicut ratio dictat, credimus adjiciendum. Addimus præterea nonagenarium & nonum numeros, quibus Divini figura jurisjurandi ſine dubio patenter exprimitur. Datum ill. anno incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti illo, indictione illa.

Circ. ann. 934.

II.

Virtutum omnium privilegio fulgoranti domno ill. Papienſis eccleſiæ venerando epiſcopo, Radaldus, quamvis indignus Aquilegenſis cathedræ humilis patriarcha, æternæ felicitatis gaudium, & præſentis vitæ obſequia. Dum fratrum

neceſſitatibus

neceſſitatibus ac dignis petitionibus quiſpiam ſuffragari ſtudet, proculdubio divini complet mandata præcepti. Quiſque tamen tanto acutius ſubjectorum curam gerere debet, quanto ſe honoris culmine eminere cognoſcit, atque in moderamine & inſtitutis ſanctarum eccleſiarum, non ſolum ſua, ſed etiam ceterorum religioſorum fratrum conſulta petere. Proinde vos latere nolumus, Tridentinum clerum & plebem proprio manere privatam paſtore, bonæ memoriæ ill. confratre noſtro Epiſcopo ab luce ſublato. Nos autem ſanctorum Patrum inſtituta ſectantes, collegium ipſius eccleſiæ cribro canonicæ inquiſitionis excuſſimus, ſi forte aliquis huic idoneus officio reperiri valeret. quod non invenientes, petitorias litteras paternitati veſtræ mittere decrevimus, quo nobis ex gremio veſtræ eccleſiæ ill. ſacerdotem ad hujus honoris infulas promovendum mittere non differatis: quem non ſolum relatu aliorum, ſed collatione propria cognoſcimus morum probitate pollentem, litteratoria doctrina expolitum, ſed etiam cunctarum virtutum culmine renitentem: quem ad votum cleri & populi inſtanter poſcimus conſecrandum.

III.

Sagacitatis amplitudine ſublimato domno O. ſuperno nutu ſanctæ L. E. præſuli eximio. D. ſanctæ N. E. Æquum nos veſtris parere mandatis, penituſque obedire præceptis. Nam veſtræ paternitatis animus noſtris alimentis educatus à cunabulis, in robur evaſerat viriliter habitudinis. Veſtræ igitur largifluæ bonitatis devotiſſimæ reminiſcentes ill. ſubd. veſtræ dioceſis, pro quo nobis preces dirigere ſtuduiſtis, libentiſſimè veſtræ dilectioni more canonico ſubjicimus, atque ad ejus ſecuritatem has noſtræ humilitatis commendaticias conſcribi juſſimus, ei dantes in mandatis, quatenus veſtro Pontificatui in omnibus negotiis animo ſubjectus exiſtat, veluti noſtro hactenus: in ſubdiaconatus vero officii miniſterio, quo nunc nititur, in veſtra dioceſi militare annuimus. Cumque ad diaconatus, vel preſbyteratus honorem eum vobis provehere libuerit, hac noſtra auctoritate proculdubio collata promovendi eum vobis ſit facultas. Si quid vero, quod non credimus, adverſus eum emerſerit querimoniæ, veſtri Pontificatus ſententia diffiniatur. Ut igitur nullius interpellationis obſcurationiſve nebula hæc noſtra promulgatio fuſcata cenſeatur, ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum græca elementa cum ſuis

ſubputationibus ſubter adnotari, & ſigillo noſtri patroni juſſimus inſigniri. IV.

In nomine Π. & Y. & A. Confeſſor fidei ſuæ Π. apoſtoli, Epiſcoporum A. confratri & coepiſcopo ſalutem æternam. Præſentem apicum latorem Θ. noveritis expetiſſe parvitatem noſtram, quemadmodum ex noſtra auctoritate, & abſque ulla inquietudine ſucceſſorum in civitate ſedis noſtræ A. vobis eum recipere, ſacrumque ſuſcipere ordinem a vobis, & ei vobiſcum perſeverare liceat: quia apud nos educatus eſt, comamque capitis in noſtra parochia totondit, atque ibidem Deo ſe ſerviturum delegavit. Sed nunc rationabili, immo inevitabili neceſſitate cogente, ut certum per auctoritatem harum litterarum agimus, ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum facerem. . . . Quia igitur adhibita conſideratione non incongruum viſum eſt ei adſenſum præbere, hanc formatam ei ſcribere juſſimus, Indictionis continentem numerum. V.

In nomine Patris Π. & Filii Y. & Spiritus-ſancti A. ſacratiſſimo ſanctæ Mediolanenſis eccleſiæ Archipræſuli, Amelricus divino reſpectu Taurinenſis epiſcopatus Pontifex, debitæ venerationis devotum in Chriſto famulatum. Sollertiam veſtram nulla volumus ambiguitate detineri, quin paratiſſimi continue inveniamur obſequi vobis in omnibus, quæ & poſſibilitas ſubminiſtrat, & eccleſiaſtica cenſura monendo confirmat. Concedimus igitur eccleſiæ veſtræ Ingonem, quem petitis, noſtri Epiſcopatus miniſtrum, ita ut ea lege Archiepiſcopatui veſtro ſubdatur, qua Epiſcopatui noſtro ſubdi videbatur: ſicque vobis liceat promovere, veluti ſi haberet tonſuram veſtræ eccleſiæ. Hanc denique conceſſionem, quam ſacri canones formatam appellant, ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum, ita ordinare ſtuduimus, ut in principio prima elementa de nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti poneremus.

SYNODUS VERULANENSIS
In cauſa Grimaldi Archicanonici.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXI. domino Papa Paſchale II. præſidente, domino Grimaldo, ſancti Paterniani Archicanonico, fidem & obedientiam ſuæ matri eccleſiæ, ſuoque Epiſcopo pro privilegio accepto ſpiritu ſuperbiæ

commoto negante; Epiſcopo vero bis terque domino Papæ proclamante : ipſe autem præcepit, quatenus eum, ut clericum ſuum, ad ſe revocaret : ſin autem obedire renueret, excommunicationis gladio eum percuteret : aſſerens ſe eum pro excommunicato habere, ſi ab Epiſcopo excommunicatus foret. His aliiſque cauſis præcepto domini Papæ congregata eſt Synodus apud Berulas ſub domino pontifice Læto, conſedentibus cum eo juſſu domini Papæ domino Gregorio Cardinale ſanctorum Apoſtolorum, & Ogdone Anagnino præſule, necnon domino Augustino Ferentinate epiſcopo. In qua denique Synodo prædictus Grimaldus Archicanonicus vocatus, coram prædictis Patribus & ſancto conventu confeſſus eſt ſe peccaſſe, & contra matrem ſuam eccleſiam de interdicta obedientia feciſſe. Unde præfati Patres decreverunt, ut omne epiſcopale jus ſuæ matri eccleſiæ, & debitam obedientiam ſuo Epiſcopo ulterius non negaret. Quod ſi negaret; Epiſcopus, ſicut dominus Papa præceperat, libere ſuum officium faceret. Quapropter præſidentibus prædictis Patribus & toto conventu, fidem & obedientiam, ſicut ſui prædeceſſores fecerunt, eccleſiæ ſancti Andreæ, ſuoque Epiſcopo deinceps ſe debere ſpopondit. Placuit hoc prædictis Patribus & ſancto conventui : aſſenſum præbuit Epiſcopus & clerus ejus.

GRÆCORUM CONFESSIO

De verbis conſecrationis & tranſſubſtantiatione, a Bessarione *expoſita in Concilio Florentino.*

Die Dominica, quinta Julii M CCCC XXXVIIII. in generali Congregatione, præſidente in eadem ſanctiſſimo domino noſtro domino Eugenio, divina providentia Papa quarto, præſentibus reverendiſſimis, reverendiſque Patribus & dominis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Doctoribus, & Magiſtris, tam Latinis, quam Græcis, reverendus Pater dominus Archiepiſcopus Nicænus, ſuo ac aliorum Patrum Eccleſiam orientalem repræſentantium nomine, publice, alta & intelligibili voce expoſuit in hæc verba, vel eis in effectu ſimilia. Beatiſſime Pater, voſque reverendiſſimi Patres & domini hic præſentes. Quoniam in præcedentibus congregationibus noſtris

inter alias differentias noſtras ortum eſt dubium de conſecratione ſacratiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ; & aliqui ſuſpicati ſunt, nos & eccleſiam noſtram non credere illud pretioſiſſimum Sacramentum per verba Salvatoris Domini noſtri JESU-CHRISTI confici; propter hanc cauſam aſſumus coram veſtra beatitudine, omnibuſque aliis hic aſtantibus, qui pro parte ſanctæ Romanæ eccleſiæ ſunt, ad certificandum veſtram beatitudinem & alios Patres & dominos hic præſentes de hac dubitatione, & dicimus breviter: Nos uſos fuiſſe Scripturis & ſententiis ſanctorum Patrum, cognoſcentes & animadvertentes fragilitatem humani ſenſus, volumus adhærere ſententiis ſanctorum Patrum & rationibus, ſpretis humanis inventis; qua quidem de re, Pater beatiſſime, cum in omnibus aliis auctoritatibus Patrum ſanctorum uſi ſumus, etiam his in præſenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus ſanctis Doctoribus Eccleſiæ, præſertim ab illo beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, qui nobis notiſſimus eſt, audimus verba Dominica eſſe illa, quæ mutant & transſubſtantiant panem & vinum in corpus verum Chriſti & ſanguinem; & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transſubſtantiationis habent; nos ipſum ſanctiſſimum Doctorem, & illius ſententiam ſequimur de neceſſitate. De hac quæſtione breviter diximus & ſufficienter, & veſtram beatitudinem de noſtra intentione certam reddimus. ARNOLDUS NOTARIUS.

Ego Nicolaus Sagudineus Euripontinus, omnium ſupraſcriptorum verborum interpres, & de græco in latinum traductor, fateor omnia ſic ad litteram per prædictum dominum Nicænum, modo ut ſupra, græce dicta fuiſſe, & a me fideliter in latinum converſa. In cujus rei teſtimonium & fidejuſſionem requiſitus hic manu propria ſcripſi, & in hanc redegi formam. Florentiæ, die XXVII. menſis Auguſti, anno Dominicæ Nativitatis MCCCCXXXVIIII. ARNOLDUS NOTARIUS.

Quod & ego Bartholomæus Johannes de Lyd, clericus Leodienſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus ac ſacri Florentini ycumenici Concilii Notarius, quia prædictorum verborum prolationi, expoſitioni, confeſſioni, omnibuſque aliis & ſingulis præmiſſis una cum præfatis reverendiſſimis, reverendiſque Patribus & connotario infraſcripto interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi; idcirco hoc præſens publicum inſtrumentum per præfatum interpretem

fideliter de græco in latinum traductum ſubſcripſi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

Et ego Arnoldus Liudolphi de *Beveruoych*, clericus Trajectenſis dioceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus Notarius, quia verborum prædictorum prolationi & confeſſioni, omnibuſque aliis præmiſſis, dum, ſicut præmittitur, per reverendiſſimum Patrem dictum Archiepiſcopum Nicænum agerentur, proponerentur, & fierent, una cum reverendiſſimis, reverendiſque Patribus & dominis præfatis ac connotario meo ſuprascripto præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi; ideo hoc præſens publicum inſtrumentum, per interpretem hujus ſacri ycumenici Concilii ſubſcriptum, una cum dicto connotario ſubſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſigno & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi rogatus & requiſitus in fidem & teſtimonium præmiſſorum.

Ego Julianus, tituli ſanctæ Sabinæ preſbyter Cardinalis, ſancti Angeli vulgariter nuncupatus, præſens fui omnibus prædictis; & recognoſco litteram ſcriptam manu præfati Nicolai Sagudinei, communis interpretis Latinorum & Græcorum: & ad perpetuam rei memoriam propria manu ſubſcripſi.

OBSERVATIONES.

Præmiſſæ verſionis autographum in theſauro ſereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis aſſervatur, cum authenticis litteris unionis, Latinos inter atque Græcos factæ in Concilio Florentino. Hanc verſionem cum legiſſemus, illuſt. Antonium Magliabecum, quocum tunc eramus, rogavimus, ut ejus nobis copiam fieri pro ſua in nos humanitate curaret. Id quod diligentiſſime præſtitit, adhibito viro clariſſimo Gaſtruzzio, qui illud ipſum autographum peritiſſime imitatus eſt. Prædicta Græcorum Confeſſio non levis eſt momenti ad perſuadendam Græcorum de Euchariſtia fidem, de qua tot & tantæ controverſiæ à Calviniſtis nuper excitatæ ſunt. Confeſſio hæc duas habet partes, nempe conſecrationem verbis Chriſti Domini confici, non precibus illis, quæ poſt verba ſacra fiunt à Græcis: atque his verbis panem & vinum in Chriſti corpus & ſanguinem mutari & transſubſtantiari. Etſi vero de priori aſſertione aliqua fuit concertatio inter Beſſarionem Nicænum epiſcopum ſuperioris formulæ præconem, interque Marcum Epheſinum; nulla tamen prorſus inter eos de poſteriori diſceptatio

agitata eſt. Id patet ex oratione Beſſarionis tum Cardinalis de Euchariſtia: qua in oratione eamdem doctrinam, quæ in ſuperiori Confeſſione propoſita eſt, egregie tuetur adverſus contra ſentientes, in primis contra Marcum Epheſinum: cujus objecta, ex dictis Nicolai Cabaſilæ deſumta, refellit. Ex quibus manifeſte intelligitur, in illa controverſia nequaquam litem fuiſſe de transſubſtantione, quam uterque pro indubitata Græcorum doctrina habebat: ſed de verbis, quibus conſecratio perficitur. Præmiſſa vero Græcorum Confeſſio, per Beſſarionem in frequenti Concilio propoſita, eo majoris eſt momenti, quod is illam comprobantibus aliis Græcis, uno forſan excepto Marco Epheſino, qui ejus perpetuus adverſarius exſtitit, in frequenti Concilio expoſuit, cum nondum eſſet Cardinalis. Hujus porro Confeſſionis mentio fit in ipſis Concilii actis cap. IX. *paullo ante mortem Ioſephi Patriarchæ: ubi utrumque, nimirum & verba conſecrationis, & transſubſtantiatio, diſertis verbis adſtruitur. Deinde poſt recitatam ejuſdem mortem illud ipſum denuo repetitur. Ceterum quod attinet ad Patres græcos, maxime Chryſoſtomum, quorum ſententiam ſequi ſe in prædicta formula Græci per Beſſarionem confitentur: eorum teſtiomonia refert idem Beſſarion in prælaudata oratione de Euchariſtia. Chryſoſtomi loca citantur ex homilia* LXXXII *ſuper Matthæum, ex* XXVII *ſuper primam ad Corinthios, ex homilia de proditione traditoris, & Sacramentorum traditione.*

Conc. Lab. t. XIII. col. 491.

Haud ſcio an Nicolaus ille Sagudineus Euripontinus, qui ſuperiorem Confeſſionem latine vertit, idem ſit atque Nicolaus Euboïcus, de quo ita ſcribit Matthæus Palmerius in libro de Temporibus ad annum M CCCC XXXIX. Nicolaus Euboïcus, latinæ & græcæ linguæ atque elegantiæ princeps laudatiſſimus habetur: qui in frequenti Concilio medius aſſiſtens, multis & eruditis viris audientibus, me quoque teſte vidente audienteque, diſputantium verba atque ſententias, tum græce, tum latine prolatas, mira celeritate ultro citroque in utramque linguam fideliſſime & ſummo ornatu reddebat. *Ita ille, qui eodem in loco Ambroſium, Camaldulenſis Ordinis abbatem generalem,* in Concilio *item* clarum *fuiſſe ſubjungit.*

Quæ ſequuntur acta ſanctorum Martyrum Nicandri & Marciani, ex veteri codice Vallicellano Romani Oratorii deſcripſimus. Eadem ad varios codices a ſe collata nobiſcum communicavit eruditus Vaticanæ Bibliothecæ cuſtos alter Laurentius de Zaccagnis, qui eadem acta græce exſtare in Vaticano codice nobis aſſeruit.

ACTA SANCTORUM MARTYRUM Nicandri & Marciani.

I. GLorioſa ſanctorum martyrum NICANDRI & MARCIANI certamina, quæ adverſus diabolum habuerunt, exponere properabo. Nam memorati viri inter armatos quidem hujus ſæculi militantes armis veræ juſtitiæ communiti, totius hujus mundi gloria derelicta ad cæleſtem militiam Chriſti gratia ſe contulerunt. Statim igitur veluti nefaria perpetrantes in judicium deferuntur. Ad quos Præſes MAXIMUS, cui hujuſcemodi cura fuerat injuncta: Si non ignoratis, inquit, Nicander & Marciane, Imperatorum præcepta, quibus vos diis præcipiunt ſacrificare; accedite, & imperata complete. Ad hæc Nicander, Volentibus, inquit, ſacrificare hæc præceptio conſtituta eſt: nos verò Chriſtiani ſumus, & hujuſcemodi præcepto teneri non poſſumus. Maximus dixit: Quare vel veſtræ merita non accipitis dignitatis? Nicander dixit: Quia pecuniæ impiorum contagium ſunt viris Deum colere inſtitutis. Maximus dixit: Ture tantum deos Nicander honorato. Nicander dixit: Quomodo poteſt homo Chriſtianus lapides & ligna colere, Deo relicto immortali, qui omnia fecit ex nihilo, quem colimus, qui & me, & omnes in eum ſperantes poterit conſervare?

II. Uxor verò ſancti Nicandri, nomine DARIA, præſens virum proprium verbis hujuſcemodi animabat, dicens: Cave, domine, ne id facias; cave domine, ne Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM neges. Intuere cælum, & in eo ipſum videbis, cui fidem & conſcientiam ſervas. Ipſe enim eſt tuus adjutor. Ad quam Maximus: Malum, inquit, caput mulieris, cur virum tuum mori feſtinas? Illa verò: Ut vivat, inquit, apud Deum, & numquam moriatur. Et Maximus: Non ita eſt, ſed quia robuſtiori viro deſideras copulari; ideo hunc hac vita citius privari feſtinas. Illa verò: Si ſuſpicaris, inquit, me animo cogitare, atque id me eſſe facturam, primam me propter Chriſtum occidito, ſi tamen id etiam de mulieribus tibi mandatum eſt. Tum Maximus: De mulieribus quidem hoc mihi minime eſt injunctum: neque enim faciam quod cupis, verumtamen eris in carcere.

III. Deducta illa in carcerem, Maximus ita cœpit ad Nicandrum: Noli ad verba tuæ uxoris attendere, neque alicujus hujuſmodi perſuaſionem audire, ne cito luce priveris. ſed, ſi vis, accipito intervallum, atque in eo deliberato, utrum melius ſit vivere, an mori. Et ad eum Nicander: Spatium quod te daturum promittis, jam putato completum, ac me deliberaſſe cognoſce, atque id in animum induxiſſe, ut nihil aliud cupiam præ ſalute. Præſes vero ſublata voce dicebat: Gratias Deo. Et Nicander una cum eo dicebat: Etiam gratias Deo. Putabat enim præſes Chriſti Martyrem de hac vita atque hujuſcemodi ſervanda ſalute dixiſſe; &, quod ſacrificaturum eum putaret, nimium lætabatur. Itaque gaudens cum Leucone conſiliario incedebat. Nicander verò factus in ſpiritu, cœpit Deo gratias agere, atque cum voce orare clariſſima, ut à labe atque à temtatione hujus ſæculi liberaretur. Quod cum Maximus cognoviſſet, ita dixit ad eum: Quomodo qui nunc vivere velle dixiſti, nunc iterum deſideras mori? Nicander dixit: Ego æternam vitam opto vivere, non hujus ſæculi temporalem. & propterea in corpus meum tibi poteſtatem feci. Fac igitur quod vis: ego Chriſtianus ſum. Hinc præſes ad Marcianum: Quid tu, inquit, Marciane? Marcianus dixit: Eadem quæ commilito meus etiam ego affirmo. Præſes: Ergo ſimul etiam in carcerem ambo trudemini, pœnam ſine dubio ſubituri.

IV. In carcerem verò miſſi, poſt viginti dies iterum ad præſidem adducuntur. Ad quos præſes: Sufficit, inquit, vobis, Nicander & Marciane, tempus ad monendum, ut imperialibus ſtatutis parere velitis. Ad quem Marcianus: Multitudo verborum tuorum neque nos à Fide faciet recedere, neque negare Deum. Præſentem enim eum videmus, & quo vocat cognoſcimus. Noli ergo nos retinere. Hodie enim fides noſtra in Chriſto completur. ſed mitte nos cito, ut videamus Crucifixum, quem vos ore nefario maledicere non dubitatis, quem nos veneramur & colimus. Ad hæc præſes: Ecce pro deſiderio, inquit, veſtro morti trademini. Tunc Marcianus: Per ſalutem tibi, inquit, petimus Imperatorum, ut nos citius mittas: nec enim ſuppliciorum formidine id te ut facias adjuramus, ſed ut cito noſtro deſiderio potiamur. Tunc Maximus: Mihi non contradicitis, inquit. neque enim ego vos perſequor, ſed Imperatorum præcepta. unde alienus ſum ac

mundus

mundus à veſtro ſanguine. Si autem ſcitis vos bene ituros, gratulor vobis: veſtrum deſiderium compleatur. Hæc dicens ſententiam in eos pronunciat capitalem. Sancti verò Chriſti Martyres, quaſi una voce ac lingua, dixerunt: Pax tecum præſes humane.

V. Ibant ergo gaudentes & benedicentes Deum. Et Nicandrum quidem ſequebatur uxor ejus, ac PAPIANUS frater martyris PASICRATIS, filium Nicandri portans infantem, atque ei gratulans de ſalute: Marcianum verò ſequebantur cognati, atque uxor ejus veſte conſciſſa, quæ talia profundebat. Hæc, inquiens, ſunt, Marciane, quæ tibi dicebam in carcere, id timens, atque id plorans. Væ miſeræ mihi! non mihi reſpondes? miſerator eſto mei domine: aſpice filium tuum dulciſſimum: convertere ad nos, noli nos ſpernere. Quid feſtinas? quo tendis? cur nos odiſti? veluti ovis ad victimam es ſublatus. Marcianus verò convertit ſe, atque eam acerbius intuebatur dicens: Quamdiu ſatanas mentem tuam atque animum obcæcavit? ſepara te à nobis: concede mihi, ut martyrium Deo perficiam.

VI. Zoticus verò quidam Chriſtianus manum ejus ſuſtentans dicebat: Bono animo eſto, domine frater. Bonum certamen luctatus es: nobis verò infirmis unde talis fides? Veniant tibi in mente promiſſiones, quas Deus polliceri dignatus eſt, quas nunc vobis reddet Dominus. Verè vos perfecti Chriſtiani, & beati eſtis. Uxor verò ejus ſe ingerebat plorans, atque eum retro trahens. Tum Marcianus ad Zoticum: Tene, inquit, uxorem meam. quam Zoticus martyre dimiſſo continuit. Poſtquam verò ad locum veniſſet, circumſpexit Marcianus, ac de multitudine Zoticum ad ſe vocavit, atque ei dixit, ut uxorem ſuam ad eum adduceret. quæ cum fuiſſet adducta, oſculatus eſt eam, & dixit: Recede in Domino. Non potes enim me martyrium celebrantem aſpicere, mente tua ſemel à maligno ſubrepta. Infantem verò oſculatus, & cælum intuens dixit: Domine Deus omnipotens, tibi ſit hujus cura. Tunc martyres ſe ſe invicem complectuntur, & pauliſper à ſe perficiendi cauſa martyrii diſceſſerunt.

VII. Marcianus vero circumſpexit, & vidit uxorem Nicandri, quod præ multitudine ad eum accedere non poſſet. Manu itaque ei porrecta, eam ad virum ſuum adduxit. Ad quam Nicander: Deus, inquit, ſit tecum. Illa verò juxta eum con-

ſiſtens dicebat: Bone domine, bono animo eſto. Oſtende tuum certamen. Decem annos in patria ſine te feci, ac momentis omnibus à Deo ut te viderem optabam: nunc verò vidi, & gratulor ad vitam proficiſcenti. Ecce nunc clarius exclamabo & gloriabor, uxor Martyris conſtituta. Bono animo eſto, domine, ac redde martyrium Deo, ut me etiam de morte perpetua liberes.

VIII. Poſt hæc percuſſor orariis oculis martyrum circumdatis, injecto gladio finem martyrio conquiſivit. Et ſic eodem genere martyrii in hoc mundo interempti, ambo victores & triumphatores martyres Chriſti ad æterna gaudia migraverunt in cælis, qui pro amore Dei minas hominum & verbera contemnentes, Chriſti amici effecti ſunt in regno cælorum.

IX. Dignis itaque honoribus ſunt venerandi ſæpiſſime, ut eorum precibus mereamur conſequi cælorum regna ac præmia largiſſime. Qui in pluribus locis Chriſto operante multa beneficia præſtant. Suſceperunt martyrium ſexto-decimo Kalendas Julias, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

In alio codice hæc habentur, quæ in græco deſunt. Requieverunt autem Chriſti martyres Nicander & Marcianus, & Daria uxor Nicandri cum filio ſuo, in civitate Venafro. Tunc Chriſtiani abſtulerunt corpora eorum, & ſepelierunt ea prope locum, in quo decollati fuerant: in quo loco fabricata eſt baſilica ad honorem nominum ipſorum. Sub altare ejuſdem baſilicæ quædam ſtilla manat, de qua infirmi multotiens ſanitate recepta uſque in hodiernum diem potant, qui in ſingulis locis ſuis, Chriſto operante, multa beneficia præſtant. Suſceperunt autem martyrium xv. Kal. Julii regnante Domino noſtro J. C. &c.

AUGUSTINI PATRICII EPISCOPI Pientini, in vitam optimi ac integerrimi viri Fabiani Bencii Politianenſis, ſacrorum Canonum Profeſſoris clariſſimi:

Ad Bartholomæum Paganuccium, Iuriſconſultum peritiſſimum, ejuſdem Fabiani affinem atque concivem.

I. ETſi ſciam mancos ac debiles laudatores, pejus de claris viris mereri, quam invidos detractores; tuis tamen precibus pulſatus, negare non potui, quin in Fabiani Bencii, viri clariſſimi, & de me optime meriti, vitam aliquid ſcriberem. Recuſaſſem profecto hanc provinciam rei magnitudine & temporis anguſtia deterritus, niſi ingratitudinis vitium ſubire, & rem tibi moleſtam efficere timuiſſem. Atque ideo malui potius rudis atque indoctus judicari, quam difficilis aut ingratus. Poterunt alii doctrina, eloquutione, ſententiarum gravitate, & ornatu verborum me longe ſuperare: at benivolentia, fide, & veritate in hac re certe non ſuperabunt. Accipe igitur quæ à nobis nude ſcribuntur in meliorem partem, bonique conſule; & non tam eloquentiam, quam mentem meam metire.

II. Fabianus Bencius natus eſt Politiani anno ſalutis M CCCC XXIII. parentibus non obſcuris, ſed tenui fortuna. Primæ ſuæ juventutis rudimenta domi egit, ubi grammaticem didicit: & ſacris initiatus, ad ſacerdotium rite promotus eſt. Inde Senas ad publicum gymnaſium profectus, per ſeptennium juri pontificio ſumma diligentia operam dedit: ita ut communi totius Senenſis collegii voto inter ſacrorum canonumprofeſſores ſit adſcriptus. Tum domum reverſus, virtutum ſuarum experimenta traditurus, ſub Nicolao v. Pont. max. ad Romanam curiam advolavit, & in nobiliſſimi viri Marini Urſini, archiepiſcopi Tarentini, Legati apoſtolici in Brittaniam deſignati, familiaritatem receptus, cum eo in Angliam (ita enim hodie Brittaniam appellant) transfretavit, cauſarum auditor, & particeps conſiliorum.

III. Legatione illius finita in curiam reverſus, mox à Jacobo Peruſinorum antiſtite, qui inter aulicos Pontificis tunc præ-

cipuus connumerabatur, cum ampliſſima poteſtate Vicarius Peruſiam mittitur: quem magiſtratum annos circiter v. maxima omnium laude geſſit. ubi cum Alexandro Saxoferratenſi Auguſtinenſium præfecto, theologo inſigni, Peruſii tunc docente, conciliata non levi amicitia, ab eo haud multo poſt in Cardinalem aſſumpto in curiam tractus, inter ejus domeſticos familiares adſcriptus eſt.

IV. Sed illo deinde brevi fatis functo, à Pio II. Pont. max. ob integritatem & ceteras ejus mirificas virtutes, inter caros habitus, Genuam ad ſocietatem belli Torconici illi populo ſuadendam, & claſſem in hoſtes catholicæ Fidei inſtruendam legatur: creviſſetque mirum in modum Fabianus ſub illo Pontifice, niſi Deus Chriſtianorum peccatis iratus, Pium pontificem e medio ſuſtuliſſet. Reverſus in curiam iterum Fabianus, à Paulo II. qui Pio in pontificatu ſucceſſerat, benigne ſuſceptus, ad componendas graviſſimas contentiones & bella inter Spoletinos, Narnienſes, Caſſianos, & pleroſque alios Romanæ eccleſiæ populos mittitur: quibus ad pacem redactis, & recognita Pontificis juſſu illorum adminiſtratione, qui ſub Pio magiſtratus geſſerant, Vetrallæ & ceteris oppidis, quæ Ponti fexà tyrannica Evertenſium dominatione nuper eripuerat, præfectus, provinciam feliciter adminiſtravit.

V. Cooptatus deinde eſt collegio clericorum cameræ apoſtolicæ: qui magiſtratus curam gerit pontificalis ærarii, & omnium, quæ ad provinciarum Romanæ eccleſiæ adminiſtrationem ſpectant. Neque tamen interea tantiſper ceſſare permiſſus eſt. Nam cum ad ſedandas hominum perturbationes ob mite ejus ingenium, doctrinam, & naturæ bonitatem aptiſſimus judicaretur, juſſus eſt ſæpius ire ad diverſas populorum ſeditiones, liteſque componendas ac decidendas. Teſtes ſunt Barbarinii, Vianii, Bledenſeſque, quos acriter pro rebus utrinque ablatis contendentes facile compoſuit. Item Vetrallenſes ac Bledenſes litigantes invicem de finibus, ſuo judicio acquieſcere perſuaſit. Reconciliavit nobiles Farneſios Thuſcanenſibus: Galleſios magno Hoſpitalario piiſſimi xenodochii ſancti Spiritus de Urbe, & Vaſſianos Ortanis de proprietate agri inter ſe altercantes. Et cum Viterbienſes, Tiburtini, Cornetani, ac Nepeſini in adminiſtranda eorum republica & magiſtratibus deligendis inter ſe non parum diſſiderent, juſſus eſt Fabianus ad eos cum poteſtate proficiſci. qui prudentia & ſo-

ſertia ſua ſeditiones omnes ſuſtulit, & omnibus ſatisfecit. Quibus rebus feliciter abſolutis, Paulus Pont. ſapientiam, induſtriam, integritatem ac fidem hujus viri admiratus, illum ad majora ſubeunda munia deſtinaverat.

VI. Georgitius Pogiebratius Bohemorum Rex, qui nuper ob damnatam hæreſim à Sede apoſtolica regno privatus fuerat, morte ſua tyrannicæ dominationi modum impoſuit. Ad ejus regnum obtinendum Matthias Hungariæ, & Cazimirus Poloniæ vicini Reges aſpirabant. Veritus igitur Paulus Pont. ne potentiſſimi Principes ob eam rem in bellum ruerent, quod ſine chriſtianæ reip. maximo detrimento eſſe non poterat; Fabianum Bencium legatum ad pacificandos Reges deſignavit: ſed ante Pontifex rebus humanis ſubtractus eſt, quam Fabianus in provinciam proficiſceretur.

VII. Non tamen Sixtus quartus, qui Paulo ſubrogatus eſt, Fabianum neglexit. Verum prudentia viri atque ejus dexteritate ingenii admodum delectatus, illum Emiliæ, quam Romandiolam vocant, theſaurarium creavit, ceteriſque provinciæ quæſtoribus præfecit. Quo munere finito, Fanum-fortunæ, urbem in Piceno præclaram, ei commiſit regendam: & mox generali eccleſiæ Romanæ theſaurario aliis rebus occupato, Fabianum ad tempus ſuffecit. qui deinde Honoratum Gajetanum, Sermonetæ principem, cum Setinis diſſidentem, Pontificis juſſu compoſuit. Exinos in Picentibus pro adminiſtratione publica laborantes ſedavit: & demum miſſus Anconam, graves ac diuturnas delevit contentiones, quæ illi populo de finibus cum Auximanis viguerant, tanta omnium gratia, ut maximo provincialium favore totius Piceni quæſtor ac theſaurarius per biennium ſit declaratus.

VIII. His magiſtratibus feliciſſime confectis, cum jam ob nimios labores ac aſſiduas curas variis ac gravioribus morbis in dies magis ac magis vexaretur; (nam & podagra ſæpius afflictabatur, ac laterum dolore; profluvium vero capitis, quo etiam periit, continuo fere patiebatur:) Romam reverſus, quantum per valitudinem licebat, apoſtolicæ cameræ negotiis inſudavit. Obiit Romæ prid. Kal. Decemb. anno ſalutis MCCCCLXXXI. vixit annis LVIII. menſibus.... diebus... Ægrotaverat autem Fabianus per autumnum non levi morbo Politiani. Inde non plene adhuc reaſſumptis viribus in curiam reverſus, debili ac varia uſus eſt valitudine uſque ad extremum;

IX. Pridie vero quam vitam finiret, in baſilica Principis Apoſtolorum ſacris veſpertinis & matutinis interfuit. Erat enim Canonicus illius baſilicæ. Deinde ut ſummo diluculo rem divinam operatus eſt, repentino morbo correptus, in cubiculum per poſticum templi a ſuis delatus, circa horam tertiam, cum Sacramenta oportuna more Chriſtiano prius religioſiſſime ſuſcepiſſet, ſpiritum Creatori reddidit, relicto omnibus curialibus atque ipſi ſummo Pontifici maximo de ſe deſiderio. Aderam ego in ſacello divi Andreæ apoſtoli, cujus feſta tunc Pontifex in ipſa baſilica celebrabat, cum triſtis de Fabiani morte nuntius allatus eſt. Vidiſſes Sixtum Pont. Cardinales, ac reliquos Patres omnes, veluti in publica clade mæſtos & conlacrimantes. Nemo fuit, qui tanti viri jactura acriter non doleret. Sepultus eſt dein in ipſa baſilica ſummo honore.

X. Paulo ante mortem teſtamentum edidit, quod ante duos annos ſignaverat. In eo poſt inſtitutionem bibliothecæ, quam in patria apud archipreſbyteralem eccleſiam, cui præerat, non vulgarem erexerat, & plurima alia legata pietatis cauſa, heredem ſuum univerſalem inſtituit Nicolaum, ex Liſa ſorore ſibi nepotem. Teſtamenti vero ſui executores reverendiſſimum Cardinalem ſancti Marci, quem vivens unice obſervaverat, & pleroſque alios minoris ordinis viros: inter quos me etiam nominavit, quem non ut diſcipulum (nam dum Senis litterarum ſtudiis incubuit, ſub ejus diſciplina ſedulo vixi) ſed ut filium ſemper amavit.

XI. Fuit Fabianus in Deum ac parentes pietate inſignis. Nam crebris ſacrificiis, munditia vitæ, & quotidianis precibus, ut pios ſacerdotes decet, ab ineunte ætate religioni ſemper ſatiſfecit. Sacerdotia, quibus præfuit, ornavit & auxit, ut optimus teſtis eſſe poteſt collegium Politianenſis eccleſiæ, quod ex tenui fortuna, ſua opera ad pinguiorem evexit. Patrem Bartholomæum, & matrem Helenam, me etiam teſte, maxime honoravit, & coluit: ſororem unicam Lyſam, & ejus conjugem Puccium, virum nempe nobilem ac probum, vehementer dilexit. Femellas quatuor ex eis natas, neptes ſuas, ære ſuo dotavit, ac nuptui tradidit viris primariis civitatis ſuæ. Urbana optima mulier, harum prima, quæ in ſinu meo, ut ita dicam, nata eſt, tibi ut digniori ceſſit: quintam adhuc puellulam morte præventus collocare non potuit. Nicolao tamen nepoti ejus curam demandavit. Modeſtia fuit, ac pu-

dore pene virginali, ita ut nullum unquam verbum turpe ex ejus ore audiretur. Sui non prodigus, alieni vero minime appetens, temperatus in rebus omnibus; proſpera atque adverſa æquanimiter tulit. Juſtitiæ, integritatis, ac prudentiæ ejus documento ſunt tot magiſtratus à variis Pontificibus ſine intermiſſione illi commiſſi. Munera non accepit, niſi eſculenta & poculenta, & ea quidem permodeſte. Doctrina non contemnenda, forma corporis honeſta, ſtatura mediocri, ſermone gravi & ſedato, affabilis, mitis, & in omnes benivolus & gratus, moribus omni ex parte compoſitis & probatis, ac denique tanta virtute præditus, ut maximo quoque honore dignus ab omnibus cenſeretur.

XII. Hæc habui, optime Bartholomæe, quæ de clariſſimi atque integerrimi viri Fabiani Bencii vita & moribus, ut mihi in hac temporis anguſtia occurrere potuerunt, ſummatim perſcriberem: reliqua, quæ multa eſſe non dubito, ex his qui majorem illarum rerum notitiam, floridioremque eloquendi vim habeant, exigito. Vale.

ADNOTATIO.

AVguſtinus Patricius, præmiſſæ vitæ ſcriptor, quam ex Florentino Angelorum cœnobio eruimus, primum cæremoniarum ſub Innocentio VIII *magiſter, dein ab anno* M CCCC LXXXIII *epiſcopus Pientinus; alius fuit ab Auguſtino Patricio, Franciſci Piccolominei Cardinalis Senenſis in conventu Ratiſponenſi Secretario, qui acta ejuſdem conventus litteris mandavit. Hujus meminit Voſsius in libro de Hiſtoricis latinis, non alterius, cujus eſt libellus ſuperior de vita Fabiani Bencii. Neque etiam Vghellus ullam hujuſce operis mentionem facit in Catalogo Epiſcoporum Pientinorum, tameſi Auguſtinum non prætermiſit. Ejuſdem auctoris eſt libellus ſequens de adventu Friderici tertii in Vrbem, à nobis deſcriptus ex bibliotheca Vallicellana. Hujus libelli quædam fragmenta retulit Odoricus Raynaldus. Habemus & aliud ejuſdem Auguſtini opus de ritibus eccleſiæ Romanæ, quod Deo dante in lucem edituri ſumus in collectione Ritualium Romanorum.*

AUGUSTINI PATRICII SENENSIS
Deſcriptio adventus Friderici III. *Imperatoris ad Paulum Papam* II.

Auguſtinus Patricius Senenſis Johanni Manello Cremano S. P. D. Etſi non dubito te vel fama vulgari intellexiſſe, quæ ſuperioribus diebus hic ſunt geſta in adventum Friderici III. Romanorum Imperatoris: quia tamen his omninibus interfui ex officio, vidique plane vel minima quæque; ea ad te ſtatui perſcribere, quem ex amicis omnibus & ſolidiorem, & officioſiorem ſemper inveni. Capies enim, ni fallor, ex hac mea lucubratiuncula duplicem fructum. Nam & pulcherrimarum rerum, ac fere novarum ordinem intelliges, & divi Pauli II. Pontificis noſtri gloriam, ac magnificentiam facile cognoſces. Non enim parum acceſſit honoris ac laudis ſummo Pontifici, Cæſarem uſque ex Germania ad ejus ſacros pedes oſculandos veniſſe: Pontificem hoſpitio Cæſarem ſuſcepiſſe, eumque atque ejus omnem comitatum, qui equitibus ſupra quingentis continebatur, diebus compluribus, ſuis ſumptibus aluiſſe rerum omnium maxima abundantia & copia. In qua quidem re non magis liberalitas Pontificis in rebus ad victum oportunis ſuppetendis, quam prudentia & comitas in eo honorando eſt laudata. ſiquidem Pontifex, poſtquam intellexit Cæſarem religioſæ peregrinationis gratia Romam adventare, numquam deſtitit ea parare, quæ ad tanti hoſpitis exceptionem digna ſibi viderentur, nihil parcens ſumptibus. Nam ut obmittam vina optima, quæ abundantiſſime ſunt effuſa, & aliarum rerum profuſionem magis quam abundantiam; pullos gallinaceos quadringentos ſingulis quibuſque diebus conſumpſere. Taceo animantium genera, tum quadrupedum, tum volatilium. Taceo aromatici omnis generis confectiones, quoniam fidem ſuperare videntur. Nihil enim prætermiſſum eſt, quod ad magnificentiam lautitiamque menſarum poſſet deſiderari. Ea tantum tibi enarrabo, quæ ad honorandum Cæſarem ipſe Pontifex & excogitavit provide, & perfecit prudenter. Lege igitur & rerum ſeriem, bonique conſule, ſi etiam minus digna videar proſecutus. Placuit enim etiam quæque minutiſſima adnotare, ut poſteri ſcire poſſent,

poſſent, quo honore, quibuſque modis Paulus Pontifex maximus Fridericum Cæſarem hoſpitio ſuſceperit. Vale, & me ama ut ſoles. Romæ idibus Januarii M CCCC LX VIIII anno a Chriſti nativitate.

II. Cum igitur audiſſet Pontifex, Fridericum Cæſarem Italiam ingreſſum jam Cæſenam appuliſſe, equites duos nobiles Fulginium uſque præmiſit, qui illi Pontificis nomine de proſpero ejus adventu congratularentur. Ordinaverat tamen prius, ut quam primum Cæſar Romanæ eccleſiæ agrum attigiſſet, a locorum Præfectis ubique honorifice exciperetur, aleretur que cum omni comitatu ex ærario pontificali. Miſit poſt hos ex numero Judicum cauſarum curiæ, quos Auditores ſacri palatii vocant, duos, & conſiſtoriales Advocatos totidem ad idem opus uſque Spoletum. Quos ſequi juſſit duos Archiepiſcopos, & Epiſcopos duos ex ſuis aſſiſtentibus, qui Cæſari apud Narniam ſe obviam præbuere. Deſignavit præterea Pontifex apoſtolicæ ſedis legatos duos, Guillermum ſcilicet epiſcopum Oſtienſem Cardinalem Rotomagenſem; & Franciſcum ſancti Euſtachii diaconum Cardinalem Senenſem, datis mandatis, ut Cæſari, ſi per Umbriam, Narniæ; ſi vero per Etruriam, Viterbii obviarent. Ii tantum biduo antequam Imperator urbem ingrederetur, acceperunt iter, cum ad id tempus de adventus ſui die fuiſſent incerti. Sed cum Cæſar Flamineam, Picenum, ubi apud Lauretum templum Mariæ Virginis viſitavit, Umbriamque percurriſſet, properaretque magnis itineribus, ut celebritati natalis Salvatoris noſtri intereſſet Romæ; eſſetque aliquantulum propter ætatem, ut opinor, laſſus: ut quieſcendo progrederetur, ante ſub Ocriculo Tiberim eſt ingreſſus, quam legati ad eum pervenire potuiſſent. Scapha inde ſecundo flumine vectus, ſequenti die circa occaſum ſolis Valcham appulit, locum ſex millibus paſſuum ab urbe diſtantem. Hic legati Cardinales diu Cæſarem expectaverant, quem e navigio exeuntem, ſumma hilaritate, ingentique reverentia excepere, eique Pontificis, & ſacri Senatus nomine, & de ejus adventu ſunt gratulati, & quæ in Pontificis eſſent poteſtate omnia contulere. Erat ille dies vigiliæ natalis Domini, qui nono Kalendas Januarias celebrari ſolet, & legati urbem verſus Cæſarem deducebant.

III. Exierant Cæſari obviam Pontificis juſſu primi Vicecamerarius Pontificis, Præfectus urbis, Senator, Conſervatores,

Cancellarii, & capita regionum, cum civibus, ac proceribus Romanis: qui omnes via Flaminia Pontem Milvium, paſſibus circiter mille tranſierunt. Senator & Cancellarii cum ſuis equis, induti erant habitu quo utuntur, cum ante initium jejunii Quadrageſimalis ludi fiunt agonales, aut in campo, quem Teſtaceum appellant, quem nonnulli hodie ex vulgo putant veterum ſenatorum geſtamen exſtitiſſe. Is eſt hujuſmodi. Sagum induunt Cancellarii ſericeum auro contextum, crurium tenus protenſum, quod limbum habet in extremitatibus, ubique palmo latum, ex pellibus albis, quas varios appellant: Senator vero ſupra veſtem auro purpuraque diſtinctam, cucullum habet parvulum ejuſdem texturæ, qui humeros tegit, & ejus ſummitas pendet a cervice. In capite autem, tam ipſe, quam Cancellarii pillea geſtant fere quadrata a parte ſuperiori. Cucullus duplicatus erat iiſdem pellibus albis, & pillea tecta. Hos ſequebantur ordines omnes curiæ duce Epiſcopo Urbinate Pontificis domeſtico, qui apud pontem Cæſarem expectabant. Prælati deinde Pontificis domeſtici, cum omnibus aulicis, cumque proceribus, ac nobilibus compluribus, tertio loco proceſſere, in pratis Imperatori obviam ſe ſe daturi. Horum dux erat Archiepiſcopus Spalatenſis Pontificis Theſaurarius. Poſtremo ſacer Cardinalium ſenatus extra portam paſſibus fere quingentis Cæſaris adventum præſtolabatur.

IV. Sed pulcherrimum rerum ordinem a Pontifice inſtitutum, & magnificam pompam longa Cæſaris retardatio magna ex parte impedivit. Hora enim noctis jam ſecunda erat, cum pontem tranſivit Cæſar. Obviam tamen, ut præſtitutum erat, omnes proceſſere, ſervato ordine, quantum pro temporis anguſtia licuit. Quique ſuo & Pontificis nomine de proſpero ejus adventu gaudentes, Cæſari gratulabantur. Lucebant omnia accenſis funalibus, & noctem frequentiſſima lumina vincebant. Incedebat Imperator medius inter duos apoſtolicos Legatos, pullis veſtibus indutus, ſequentibus Prælatis ſuo ordine, & aliis togatis. Illum præcedebant primo mixtæ curialium familiæ cum ejus militibus, tum Nobiles, ac Barones aliqui; inde Conſervatores, & Cancellarii Urbis cum ſuo ornatu: deinde Regum ac Principum Oratores, qui aderant. Poſtremo Præfectus Urbis, & Senator. Præfectus rubro paludamento, quod pluviale vocant, indutus, apertu-

ra tamen ſupra dextrum humerum exiſtente incedebat, pilleum in capite geſtans oblongum, vittis ab aure pendentibus in modum tiaræ pontificalis; coloris autem rubei, ac ſignis quibuſdam in longum porrectis diſtinctum: vehebaturque equo, ſericeo panno ejuſdem coloris tecto. Inter Præfectum vero & Imperatorem equitabat Cæſareus armiger, nudum enſem manu præferens.

V. Cum verò ad portam jam ventum eſſet, Cardinales omnes Cæſari ſimul ſe obviam dedere, eique gratulati ſunt, verba faciente Beſſarione Cardinale Nicæno, qui Epiſcopus Cardinalis exiſtens, inter alios antiquitate primum obtinebat locum. Imperator hinc medius inceſſit inter ipſum Nicænum, & Cardinalem Rotomagenſem ob vetuſtatem ſecundum locum ſibi vindicantem. Hos alii Cardinales ſequebantur ſuo ordine, & Prælati reliqui. Primores autem cives umbraculum hic ſupra Cæſaris caput protenſum ferre cœperunt: funalia vero ardentia ante Cæſarem præferebant proceres nobiliores, & Pontificis quidam aulici. atque ita Urbem ingreſſi per viam, qua itur ad ſanctum Marcum primo; deinde per viam ſacram, quæ Papæ dicitur, uſque ad ædes Maximi, vadentes ad ſiniſtram, verſi per campum Floræ; rurſus ad dexteram pergentes, recto itinere ad beati Petri baſilicam pervenere. Ibi pro foribus ædis ſacræ clerus Urbis cum reliquiis ſanctorum & cruce ſacratiſſima, ſacris ipſe veſtibus ornatus Cæſari ſe ſe obtulit. Qui cruce reverenter oſculata, per vicarium templi illi oblata, baſilicam ingreſſus eſt hora noctis jam quinta.

VI. Pontifex autem, qui jam dudum in baſilicam deſcenderat Cæſarem ſuſcepturus, dum ille moras nectit, ne tempus tereretur fruſtra; veſperas primum, tum completorium, & matutinas horas a clero Urbis ibi Cæſarem expectante juſſerat decantari. Venit tandem Imperator, dum laudes matutinales decantarentur: & ingreſſus majoris aræ inferiores cancellos, aliis Cardinalibus comitatus, duos ibi preſbyteros & diacones quatuor Cardinales offendit: qui ex campo Floræ pompam a Pontifice præmoniti relinquentes, ad eum prævenerant. Ii paratam apud confeſſionem Apoſtolorum, ubi ſancta oſſa quieſcunt, inclinatoriam ſellam, quod faldiſtorium vocant, Cæſari oſtendentes, illum dum ibi oraret, præſtolabantur. Alii Cardinales ad ſua quique ſedilia diſceſſerant. Cæſar fal-

diſtorio incumbens, flexis genibus preces ſuas omnipotenti Deo, ac beatiſſimis Apoſtolis effudit, ſolvitque concepta vota. Erat autem id faldiſtorium hujuſmodi. Sella erat ſuper inſtrato tapete poſita, ad illarum formam, quibus utuntur Prælati, cum rem divinam faciunt. Ea purpura fuit tecta ad terram uſque, exſtantibus tantum aureis pomis ad quatuor angulos. Supra pulvinar non magnum erat ſericeum, & ſubrubei coloris, quod pavonatium hodie vocant. Scabellum ad ejus pedes appoſitum habebat parvulum, pictum colore viridi, & ſuper id pulvinar aliud priori ſimile, ſuper quo genua flectens Cæſar pectore faldiſtorio incumbebat. Facta igitur ad Deum oratione, verſus ad dexteram Cæſar ad aram aſcendit: ubi cum Pontificem maximum in alto ſolio ſedentem cerneret, ei genua flectens ad gradus excelſi throni acceſſit, rurſuſque ibi terram genu attingens, aſcendit ſolium, pedeſque Pontificis in honorem ſalvatoris noſtri Jeſu-Chriſti oſculatus eſt. At Pontifex lætiſſimo vultu Cæſarem intuens, illum ad manus primo, deinde ad utriuſque genæ oſculum, ſumma benignitate ſuſcepit; ſurgenſque aliquantulum eum quam familiariter eſt amplexatus. Juſſit deinde illum ſedere in præparatam ei ad dexteram ſedem, inter ſe & Epiſcopos Cardinales locatam. Erat imperialis ſedes cum reclinatorio ſuo viridi panno ſericeo auro intexto tecta, ſcabellumque habebat, ut faldiſtorium ſuperius. Altitudo ſedis ita erat inſtituta, ut non altior eſſet locus ubi ſederet Imperator, quam ubi Pontifex teneret pedes.

VII. Poſtquam autem aliquantulum quievit Cæſar, ſurgens, a duobus diaconibus Cardinalibus ad dextrum altaris cornu deductus, in oſtiolo cancelli ſuperioris, quod ad ſeptentrionem vergit, ſuper faldiſtorio e loco inferiori delato procumbens diu oravit. Interim cantores Pontificis hujuſmodi ſacra carmina decantabant: & primo omnes pariter, *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit illum præ Regibus terræ*: deinde duo tantum dixere, *Glorificavit illum in conſpectu Regum.* Reſponſum eſt ab univerſo choro, *Et non confundetur.* Hinc ſurgens Pontifex detecto capite, altiori voce inquit, *Pater noſter*, & ſecrete orationem dominicam proſecutus, eadem voce dixit, *Et ne nos inducas in tentationem.* Reſpondit Chorus, *ſed libera nos a malo.* Tum additæ ſunt hæ preces Pontifice exorante, & reſpondente Choro, Pontifex, *Deus judicium tuum*

Regi da : Chorus, *Et juſtitiam tuam Filio Regis.* Pontifex, *Salvum fac Domine ſervum tuum Fridericum Imperatorem noſtrum :* Chorus, *Deus meus ſperantem in te.* & rurſus Pontifex, *Mitte ei Domine auxilium de ſancto :* Chorus *Et de Sion tuere eum.* Pontifex, *Nihil proficiat inimicus in eo :* Chorus, *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Pontifex, *Fiat pax in virtute tua :* Chorus, *Et abundantia in turribus tuis.* Pontifex, *Domine exaudi orationem meam :* Chorus, *Et clamor meus ad te veniat.* Pontifex, *Dominus vobiſcum :* Chorus, *Et cum ſpiritu tuo.* Continenti deinde voce aſtantes ad orationem invitans inquit Pontifex:

Oremus.

Deus, qui beato Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus regni cæleſtis animas ligandi, atque ſolvendi pontificium tradidiſti : concede, ut interceſſionis ejus auxilio famulus hic tuus Fridericus Imperator noſter à nexibus peccatorum ſuorum liberetur. Per Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Et Choro reſpondente, *Amen*, rurſus ait Pontifex :

Oremus.

Prætende Domine quæſumus famulo tuo Imperatori noſtro Friderico dexteram cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ digne & humiliter poſtulat, aſſequi mereatur

Omnipotens ſempiterne Deus, Chriſtiani Imperii protector & conſervator, da ſervo tuo Friderico Imperatori noſtro tuæ virtutis invictæ triumphum : ut ad noſtram & Eccleſiæ tuæ ſanctæ atque fidelium omnium unitatem & pacem, ſubditas illi facias univerſas barbaras nationes. Per Dominum noſtrum Ieſum-Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-ſancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Et a Choro reſponſum eſt, *Amen.*

VIII. His peractis, ſurrexit e faldiſtorio Imperator; & Pontifex e ſolio deſcendens, Cæſarem rurſus amplexatus, manu ſiniſtra ejus dexteram tenens, in ſuperius palatium perduxit : & ſimul cum eo ſacellum divi Nicolai ingreſſus, quod in prima ſuperiori aula a dextris exiſtit, ad præparatum illi cubiculum in parte palatii, ubi coronationis ſuæ tempore olim diverterat, dimiſit, non ſine multis verbis caritate & honore plenis : juſſitque Cardinales omnes illum ad cubiculum uſque deducere. Ipſe vero per aliam ſacelli portam ad cubiculum ſuum reverſus eſt. Prætermiſſæ ſunt hac die pontificales veſperæ propter ſerum Im-

peratoris adventum, & ſolemnis compotatio, quam Pontifex cum Cardinalibus & primoribus curiæ poſt veſperas quotannis celebrare ſolet. Hora enim undevigeſima erat, cum ordines curiæ ut Cæſari obviarent equitarunt. Cum autem domum rediere, hora erat prope ſeptima.

IX. Poſtquam quieti ac ſomno aliquantulum indulſere, Pontifex hora ut prædixerat undecima e cubili ſuo egreſſus, purpureo pallio, eoque ampliſſimo induitur: & Cardinalibus atque aliis ordinibus ex more comitatus, in ſacellum palatii, quam capellam majorem vocant, ſine mitra acceſſit, celebraturus ibi juſtis cærimoniis matutinales horas, & alia ſacra, ut in Natali Salvatoris noſtri nocte Chriſtiani eſt moris. Superiores enim matutinæ non tam ad fatisfaciendum officio, quam ad tempus honeſte conterendum fuerant decantatæ. Advenit eo Cæſar cum jam incœptæ eſſent matutinæ: facta oratione ſuper faldiſtorio, quo in baſilica uſus erat, illi ad ſiniſtram pontificalis faldiſtorii præparato, paulo tamen inferius, cum prius inclinato capite Pontifici reverentiam exhibuiſſet; ad ſedem ſuam, ut in baſilica diximus, ornatam aſcendit, ſeditque innuente Pontifice.

X. Sedium autem ordo ita erat inſtitutus, ut Cardinalium ſubſellia Cæſaris ſcabellum altitudine æquarent: Cæſaris vero ſedes Pontificis throni ſcabellum: reclinatorium cæſareæ ſedis pontificali reclinatorio longe erat humilius. Surgit enim pontificale thronum omnibus palatii locis tribus gradibus, qui planum conficiunt in forma pæne quadrata latitudinis palmorum circiter decem. In medio plani parieti aulæis ornato nititur ſedes, panno ſericeo auro intexto ſemper cooperta, poſt ſe pannum habens illi, qui ſedem ornat, omnino ſimilem. Hæc tamen ornamenta mutantur ſecundum mutationem colorum ſacrarum veſtium. Scabellum præterea magnum ad pedes ſolii hæret, quod ſimul cum plano quadrato coccineo panno tegitur, ſuper quo tenebat Pontifex pedes. Apponitur huic ſcabello ſcabellum aliud parvulum detectum, ſed pictum rubeo colore, quo utitur Pontifex ad aſcendendum pro gradu. Inter planum autem throni pontificalis, & Cardinalium prima ſubſellia, quæ a dextris ſunt, elevabatur Imperialis ſedes ex ſolo plani pontificalis throni altitudine fere æquali, latitudine vero & longitudine palmorum quatuor. Jungebatur ſolum hoc plano throni & parieti, eratque coopertum eodem

coccineo panno, quo & planum throni: ſedes vero imperialis ſuper hoc ſolo conſtituta alioquin ornata erat, ut in baſilica diximus. Poſtquam in ſede ſua locatus eſt Imperator, diaconi Cardinales, qui hinc & inde ſedem pontificalem mediam habentes ſedere ſolent, parieti & ſedi inhærentes ſuper ſcabellis rubeis pro cornibus primi gradus throni ſedere. Circa thronum vero ſuper gradus incumbebant Præfectus, Senator, ac Conſervatores urbis, aliique proceres, tum Germani, tum Latini. Ad pedes autem Cæſaris ſedebant Lavantinus Epiſcopus, qui eſt ab ejus ſecretis, & alii.

XI. Conſueto quoque loco cantabantur pſalmodiæ matutinæ. Et primas quidem quatuor lectiones, qui alias, cantavere. Primam ſcilicet cæremoniarum magiſter, alteram acolythus unus, tertiam unus ex auditoribus, quartam ultimus preſbyterorum Cardinalium, quintam vero extra ordinem penultimus preſbyter Cardinalis. Hanc ſiquidem cantare ſolet, qui benedicto enſe ea nocte donatur, aut cameræ apoſtolicæ clericus ejus loco. Enſe autem donatus eſt hac nocte Cæſar. Sexta lectio cedit ex conſuetudine ſubdiacono apoſtolico. Septimam, quæ principium habet Evangelii ſecundum Lucam, ubi ſcribitur, *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*, Cæſar ipſe cantavit his cæremoniis. Primo deſcendens e ſede Imperator juvantibus diaconibus cardinalibus, qui Pontifici miniſtrabant; ſupra togam, qua quotidie utebatur, indutus eſt lineam tunicam, quam nonnulli cottam, aliqui ſuperpellicium vocant. Poſt hæc ſtolam accepit in morem diaconi ſuper humerum ſiniſtrum religatam ſub dextro: ſed cum paludamentum deinde album illi imponerent, aptarentque ejus aperturam ab humero dextro, ut aliis non initiatis fieri ſolet, renuit Imperator, aptavitque illud cum apertura ante pectus, aſſerens Cæſarem pluviale & ſtolam ad morem ſacerdotum geſtare oportere, atque ita ut in magno Cæſareo ſigillo ſculptum vidimus, ubi Imperator in majeſtate ſedens paludamento ſacerdotali, & ſubtus ſtola in crucis modum ante pectus ornatus imprimitur. Cum diaconi ſtolam, ut ille dixerat, vellent componere, reſpondit Cæſar, non opus eſſe quicquam immutari, quoniam id videret nemo. Gladium vero ſacrum, quo eum volebant accingi, non accinxit: ſed armigero ſuo juſſit dari, & pilleum cuidam ex aſtantibus. Donatur enim & pilleum quoddam cum enſe, ut noſti. Im-

perator poſt hæc ante Pontificis thronum accedens, detecto capite ſtrictum enſem ex armigeri manu accipiens, eum tertio vibrat, redditque ſtatim armigero: vadenſque deinde ad ornatum pluteum, quo liber ſuſtinebatur, inclinato capite benedictionem petiit à Pontifice: qua accepta, cantavit Evangelium uſque ad principium homeliæ: homeliam vero proſecutus eſt Cardinalis diaconus, qui miniſtrabat à ſiniſtris. Evangelio lecto Imperator ſacras exuit veſtes: & inclinata rurſum cervice coram Pontifice, ad ſedem ſuam rediit. Ille autem qui gladium tenebat ſacrum, eum in aurea vagina condidit, ſuperpoſuitque pilleum.

XII. Reliquæ cærimoniæ ordine conſueto peractæ ſunt, & in matutinis, & Miſſa nocturna: ſed quotiens Pontifex per aſſiſtentem Cardinalem incenſabatur, incenſabatur etiam poſt eum ilico Imperator per primum ex Archiepiſcopis Pontifici aſſiſtentibus. Cum Pontifex ad faldiſtorium ſuum ante altare deſcendebat, & Cæſar ſimul ad proprium faldiſtorium accedebat. Non tamen genua ſuper pulvinar ſcabelli umquam voluit flectere, quamvis ſæpe monitus: ſed ob Pontificis reverentiam ſemper in ſolo, ſimplicibus tantum pannis ſtrato, genuflexit. Eundo autem, & redeundo Pontifex ſemper Cæſarem manu tenebat, ducebatque ſumma cum benignitate, & gratia: ille autem ſequebatur devotione & reverentia plenus, impenſoſque honores ingenti modeſtia ſuſcipiebat. Cum oſculum pacis inter Miſſarum ſolemnia dandum fuit, poſtquam Pontifex à ſacrificante Cardinali per aſſiſtentem ex more pacem ſumpſit; Imperator primus à Pontifice in loco ſuo ſtante pacis oſculum accepit, deinde diaconi, & alii, ut alias. Peractis ſacris Pontifex & Imperator ad ſuum quiſque cubiculum rediere.

XIII. Hora deinde competenti Pontifex maximus indutus alba ſuccincta ſtola ac pluviali pulcherrimo, tiaramque triplici corona redimitam gemmis lapilliſque pretioſiſſimis onuſtam in capite geſtans, ad baſilicam ſancti Petri deſcendit, rem divinam facturus. Aſtantes nobiles umbraculum ſericeum ſuper eum ferebant, & is Cæſarem ſecum ducebat, quem ad ſe venientem offenderat. In prima palatii aula Pontifex incedens, Cæſarem ſiniſtra manu tenebat, dextera autem ſignans benedicebat populo. Præcedebat ſubdiaconus ſacris veſtibus indutus crucem ferens, habens ad ſiniſtram

armigerum

armigerum Cæſaris nudum enſem manu ferentem, & hinc inde acolythos ceroferarios, quos Oratores Principum antei-bant, & alii ex conſuetudine ordines. Crucem vero ſequeban-tur Prælati albis veſtibus ſacris ornati, albaſque mitras geſtan-tes in capite. Cetera omnia ſervata ſunt, ut in Miſſa, quæ à Romano Pontifice celebratur, ſervari ſolent.

XIV. Imperator poſtquam in ſuo faldiſtorio oravit, ad paratam ſibi ſedem aſcendit. Pontifex vero ad aliam ſedem ac-ceſſit: ſacras veſtes ſuſcepturus, implevitque omnes ſolitas cærimonias. Intra Miſſarum ſolemnia, cum poſt offertorium fit incenſatio, poſt Pontificem primus incenſum accepit Im-perator à diacono Cardinali: pacis vero oſculum ab ipſo Pon-tifice, cum ex ejus manibus ſacratiſſimum Chriſti corpus ſuſ-cepit. Communicavit ſummus Pontifex altaris Sacramentum cum Imperatore, diacono, & ſubdiacono de pane tantum: de calice autem, etſi conſuetudo ſit communicantes cum Pon-tifice participare, propter inſurgentem tamen Huſſitarum ac Boëmorum damnatam hæreſim, quæ calicis potationem ad ſa-lutem neceſſariam putat, præter Pontificem bibit nemo. Re divina peracta, Pontifex cum Imperatore & omni pompa, ad Salvatoris noſtri faciem adorandam in ſudario expreſſam, quam Veronicam appellant, proceſſit: deinde ſuggeſtum, unde populo benediceret, ſupra portas baſilicæ conſtructum aſcendens, Cæſare aſſiſtente benedixit populo, plenariamque peccatorum remiſſionem omnibus elargitus eſt, per pæniten-tiam ac ſatisfactionem merentibus. Sed cum in fine poſt In-dulgentiarum enunciationem, quæ latino & vernaculo ſer-mone per diacones Cardinales fieri ſolet, moneretur ex more populus, ut pro felici ſtatu ſummi Pontificis Pauli & Roma-næ eccleſiæ Deum orarent, additum eſt, *& pro Imperatore noſtro Friderico, ut Deus illi victoriam daret de hæreticis Boë-mis, Turcis, ac aliis Chriſti nominis hoſtibus.*

XV. Rediit deinde Pontifex ad palatium, & per inferio-rem portam ingreſſus, qua itur ad Imperatoris diverſorium, Cæſarem ipſum modeſte reluctantem uſque ad interius cubi-culum perduxit, manu ſemper illum tenens: deduxiſſetque ulterius, niſi Cæſar alterius cubiculi oſtium clam juſſiſſet clau-di Redeunte autem Pontifice, Cæſar eum reduxit per omnes inferiores aulas uſque ad oſtium ante ſcalarum principium, neque ulterius eum tranſire permiſit Pontifex. Qui deinde ad

cubiculum ſuum reverſus eſt, & Cardinales ad ſua quique rediere.

XVI. Poſtridie vero, hora noctis fere quarta, Cæſar uno tantum famulo cum ardenti funale præcedente, ſequentibusque duobus comitibus, venit ad Pontificem. Pontifex ut rem audivit, ei obviam progreſſus eſt uſque ad portam aulæ, quam Papagalli vocant: eumque benigne ſuſcipiens, ſecum duxit in ſecretum cubiculum, ubi ad octavam uſque horam ſine arbitris ſunt collocuti. Poſt hæc Pontifex Cæſarem reduxit uſque ad oſtium, ſub quo ſcalæ incipiunt, in capite primæ aulæ ſuperioris, rediitque deinde quiſque ad ſuum cubiculum. Nec multis poſt noctibus Pontifex ad Imperatoris cubiculum cum paucis domeſticis acceſſit: quod non ante præſenſit Imperator, quam Pontifex ad oſtium interioris cubiculi jam adeſſet. Excepit eum Cæſar ſumma reverentia, eumque in redeundo deduxit uſque ad ultimam aulam, cum Pontifex ulterius eum tranſire non permitteret. Iterum, & tertio Cæſar ad Pontificem venit: ſemperque Pontifex hilari vultu, & ſumma humanitate Cæſarem & ſuſcepit, & eſt allocutus; & Imperator maxima ſemper cum reverentia ſe geſſit.

XVII. Sequentibus vero diebus Cæſar ſacras ædes urbis, & devotiſſima ſanctorum ſacella, cujus rei gratia Romam venerat, ſumma pietate viſitavit: viditque etiam diligenter priſcorum urbis ædificiorum ruinas, neque rem publicam tamen neglexit. Nam & apud Pontificem ſeorſim, & in conſiſtorio ſecreto coram Cardinalibus, ut audivi à nonnullis, de bello Turcis atque hæreticis Boëmis inferendo, deque re publica Chriſtiana bene feliciterque gerenda diſſeruit, operamque ſuam omnem in ea re pollicitus eſt. In conſiſtorio autem ut in capella reſedit.

XVIII. Pridie vero Kalendas Januarii, cum ſummus Pontifex Lateranum acceſſiſſet, noctu Circumciſionis Dominicæ proximæ, veſperæ ibi celebratæ ſunt: quibus finitis aſcendit Pontifex locum, ubi apoſtolorum Petri & Pauli capita in pretioſiſſimis ſtatuis reſervantur, eaque ſumma devotione & vidit, & veneratus eſt. Intravit interim baſilicam Imperator, quem diu Pontifex expectaverat: aſcenditque etiam ipſe ad locum, ubi ſimul cum Pontifice venerabiles reliquias adoravit, & divitem ornatum admiratus eſt. Deſcendentes deinde in eccleſiam, Pontifex palatium ſuperius aſcendit, ibi pernocta-

turus : & Cæſar , nonnullis Cardinalibus comitantibus , ad ſancti Petri palatium rediit. Sequenti vero die cum ſolemnitas Circumciſionis celebranda eſſet, Imperator oriente ſole Lateranum petiit : & capellam baſilicæ majorem ingreſſus , Pontificem ibidem exſpectabat , neque unquam ſuper ſedem ſibi ad dexteram pontificalis throni paratam ſedere voluit abſente Pontifice , quamquam Cardinales aliqui , qui ei aſſiſtebant, ut in ea ſederet ſedulo hortarentur. Venit hora conſueta Pontifex , & Cæſar obviam illi proceſſit uſque ad majorem aram, ſimulque deinde ante altare in ſuo quique faldiſtorio procumbentes oravere. Acceſſit poſt hæc Pontifex ad confeſſionem ex more faciendam cum Cardinale Bononienſi Epiſcopo Albano , qui eo die rem divinam erat facturus : Imperator ſedem ſuam repetiit. Facta confeſſione acceſſit Pontifex ad ſolium ; & alia omnia facta ſunt , ut in nocturna Miſſa natalis enarravimus.

XIX. Re divina abſoluta , antequam Pontifex e ſolio deſcenderet, Cæſareæ domus magiſtrum pincernarum , virum domi nobilem ac probum, ſignis militaribus donavit , novæque religionis militaris , quam ſancti Georgii dicunt, militiæ & aſcripſit,& præfecit ; ſagumque illi impoſuit album rubra cruce diſtinctum , ac vexillum aſſignavit ejuſdem coloris , cruce etiam rubra inſignitum. Aſtabat Cæſar dum hæc fierent , manuque aſſignandis inſignibus Pontificem juvabat. Acceſſere poſt hæc ad ædis ſacræ medium , ubi faldiſtoriis incumbentes Pontifex & Cæſar genibus flexis , nudatiſque capitibus , Apoſtolorum Principum primo, deinde aliorum ſanctorum complures reliquias & aſpexere devote , & pie venerati ſunt. Aſcendere deinde palatium , & ſancta ſanctorum ingreſſi aliquantulum oravere.

XX. Inde per vicinas ſcalas deſcendentes , equos conſcenderunt , ſolemni pompa in Vaticanum reverſuri. Cæſar , ut piæ religioni ſatisfaceret , venerareturque pro viribus JESU-CHRISTI Vicarium , illique ſeſe humiliaret ; cum Pontifex equum vellet inſcendere , cito accurrit , ſtaffamque equi pontificalis arripiens , tamquam unus eſſet ex Pontificis ſervis, eam , quoad Pontifex inſcenderet , tenere volebat. At Pontifex humanitatem religioſi Principis collaudans , negat ſe equum aſcenſurum , niſi prius ille diſcedat : pariterque & ipſe inſcendit equum , quem Pontifex ei dono

dederat. Laudata eſt ab omnibus, & admirationi à pleriſque habita ea Cæſaris in Romanum Pontificem obſervantia ac devotio.

XXI. Sed neque priſci Cæſares qui de Chriſtiana religione bene ſenſerunt, minora humanitatis officia Romanis Pontificibus præbere ſunt ſoliti. Nam ut omittamus, quæ de magno Conſtantino & beato Silveſtro leguntur; Juſtinianus ſecundus Conſtantino Romano Pontifici Conſtantinopolim ad ſe venienti, & Tiberium filium ac Cyrum patriarcham cum omni nobilitate, clero & populo obviam miſit, & ipſe Imperator advenienti Pontifici pedes oſculatus eſt, qui & imperium ampliſſimum obtinebat etiam extra Europam, & à Romano Pontifice neque coronam, neque alia ad Imperium ſuffragia ſperabat. Poſtquam vero ad Occidentales Pontificis decreto Imperium eſt tranſlatum, Imperatores omnes & pedes Pontifici oſculatos eſſe legimus, & equum etiam coronatos paludatoſque freno per urbem deduxiſſe. Summæ autem reverentiæ atque humilitatis indicia, quæ Henricus tertius ejus nominis Imperator apud Canoſſum Gregorio ſeptimo Pontifici exhibuit, & quæ Fridericus primus tertio Alexandro Venetiis, prætermittam, quando & maxima ſunt, & ſatis nota.

XXII. Sed neque ſunt contemnenda, quæ maximi aliquando Reges, & potentia Imperatoribus pæne pares, egere. Nam & Pipinus, ille magni Caroli pater, qui potentiſſimum Galliæ regnum poſſidebat, Gregorio tertio ad ſe venienti, contra Haiſtulphum regem auxilia petituro, Carolum filium ad centeſimum lapidem præmiſit; ipſe vero ad tertium Pontifici obviavit: ubi equo deſcendens, ſacros pedes oſculatus eſt: & ipſe pedibus deinde incedens, equumque regens freno, Pontificem in regiam uſque deduxit. Et Johannes Aragoniæ rex Benedicto tertio-decimo, in Morella ſacram pompam ducenti ipſe diademate regioque habitu indutus, pontificalis paludamenti fimbrias poſt Pontificem per urbem totam tulit. Non eſt igitur novum neque indignum, Chriſtianos & Imperatores, & Reges ſummo Pontifici, qui Dei noſtri vices in terris gerit, ſe humiliare: atque ut maxima laude ſunt digni, qui id agunt, ita execrabili odio ſunt perſequendi, qui ſuperbia elati, Romani Pontificis jugum aut dedignantur, aut contemnunt, tamquam cum ipſo Deo de Imperii magnitudine bellum geſturi.

XXIII. Conſcenſis igitur equis Pontifex & Imperator in triumphantium morem hoc ordine in Vaticanum reverſi ſunt. Præcedebant primum Cardinalium, & aliorum curialium mixtæ familiæ, cum quatuor e familia Pontificis, qui ſingulos ſaccos ex panno coccineo in equis præferebant, quas valiſias vocant. Ferebantur deinde à pedeſtribus vexilla XIII regionum urbis: & poſt ea vexilla magna quatuor vehebantur à proceribus quibuſdam equitibus. Hæc erant populi Romani, Pontificis maximi, Eccleſiæ, & Crucis albæ in rubro vexillo. Deducebantur poſt albi equi falerati duodecim ſine ſeſſoribus, quos ſequebantur Pontificis aulici: e quibus quatuor portabant ſingula pillea purpurea, aureo limbo circumdata. Inter eos medius erat Pontificis architriclinus, quem Seneſcalchum vocant, pontificale pilleum gerens à ſpatulis; & cum iis nobiles quidam minores equitabant. Poſt hos Secretarii, & cum eis Procurator fiſcalis cum advocatis & cubiculariis cum ſuis cucullis circa collum: inde acolythi, clerici cameræ, auditoreſque cauſarum cum lineis rochetis & cappis amplis. Sequebantur deinde nobiles quidam majores, & proceres urbis: tum Legati Principum & Regum, qui aderant, cum Senatore & Conſervatoribus urbis: ſed Conſervatores infimum, Senator vero ſupremum inter legatos obtinuit locum. Incedebat poſt hos ſubdiaconus crucem præferens, indutus alioquin ut auditores, ſed & pilleum in capite geſtans nigrum totum præter mappulas, & chordulas aërei coloris. Hunc alii ſubdiaconi ſine pilleis medium habebant: præcedebant autem eos duo magiſtri oſtiarii cum baculis ſerico tectis. Crucem vero ſequebantur primo clerici pontificalis capellæ duo, quorum alter laternam cum lumine præferebat in honorem ſacræ Euchariſtiæ; alter vero loculum pontificalis mitræ: tum Peloponeſſi, quam Moream vocant, Deſpotus cum fratre. Inde diaconi, preſbyteri, & epiſcopi Cardinales, inter quos diaconi duo Pontifici miniſtrantes ultimi erant. Poſt hos ducebatur equus albus, ſacratiſſimum Chriſti corpus vehens in capſula ornatiſſima reconditum, quem præcedebat ſacriſta Pontificis, baculum teretem manu ferens: & ſupra ſacram hoſtiam ſericeum umbraculum ferebatur: circumcirca vero funalia multa accenſa. Sequebatur poſt turba pedeſtris civium Romanorum nobilium, & qui regionum Capita vocantur, cum ligneis baculis; & curſorum curiæ cum argenteis, & cum

iis cohors prætorii ad cuſtodiam corporis Pontificis. Inter hos incedebat Pontifex albo equo vectus, indutus pluviali albo auro margaritiſque ornato, mitram geſtans in capite pretioſam; ſiniſtra manu adequitantem Cæſarem aurea toga indutum, quam illi dono dederat, tenens; dextra vero populum benedicens. Prætendebatur ſuper eos ſericeum umbraculum, quod nobiles ferebant cives. Cæſarem anteibat armiger ſuus parvo intervallo nudum enſem præferens. Sequebantur mox cubicularii Pontificis ſecreti duo, medium tenentes Auditorem, qui mitram ſervare conſuevit. Tum Prælati quidam, Imperatoris, & Pontificis medicus. Ferebatur deinde ab uno e ſervientibus, ut aiunt, armorum, ex vetuſta conſuetudine umbella crocei rubeique coloris, & is armatus, eques erat. poſt hos Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Prælati alii ſuo ordine & poſtremo clerici curiales reliqui mixtim, ac turmatim ſequebantur.

XXIV. Ubi autem ad pontem ſub Mole Adriani perventum eſt, Cæſar ibi ſubſiſtens cum Pontifice & Cardinalibus, nobiles viros ſupra centum Germanos, fere omnes, militaribus inſignibus donavit, nudo ac plano enſe quemque ter verberans leviſſime. Poſt hæc ad palatium pervenere Vaticani: deduxitque Imperator Pontificem uſque ad cubiculum primum, & ipſe deinde à compluribus Cardinalibus comitatus ad ſuum diverſorium rediit. Venit & alias Cæſar cum Pontifice ad rem divinam audiendam, & cærimoniæ eædem ſervatæ ſunt.

XXV. Magna fuit humanitas, quam Pontifex Cæſari ubique præbuit: & eo major eſt habita, quo pontificalis auctoritas nulla ex parte priſcis temporibus nunc eſt inferior; poteſtas autem atque vires longè ſunt ſuperiores. Eccleſia enim Romana, Deo bene volente, imperio & divitiis, Pontificum diligentia, & præſertim Pauli noſtri, aucta eo uſque proceſſit, ut maximis quibuſque regnis ſit comparanda. Contra autem Imperii Romani & auctoritas, & vires adeo ſunt diminutæ atque attritæ, ut præter nomen Imperii pæne nihil remanſerit. Neque me latet, nonnullos Romanos Pontifices ſuperioribus Cæſaribus, & nonnunquam Regibus officioſos ſe ſe aliquando præſtitiſſe. Nam & Vitalianus pontifex, qui Eugenio primo ſucceſſit, Conſtantino Imperatori Conſtantini filio Romam petenti ad ſextum lapidem cum clero & populo obviavit, deduxitque eum in Vaticanum. Et Conſtantinus

etiam Pontifex à Juſtiniano ſecundo, ut diximus, Conſtantinopolim vocatus ire non recuſavit: Adrianus autem primus Carolum Francorum regem, nondum imperatorem deſignatum, (nam Leo ejus ſucceſſor illum poſtea Imperatorem appellavit) Romam venientem ad gradus baſilicæ beati Petri ſuſcepit, & poſt pedis oſculum ad altare perduxit. Adrianus item quartus Friderico primo apud Sutrium obviavit, deduxit Romam, atque imperiali diademate coronavit. Sed magna erat etiam tunc Romani Imperii poteſtas, magnæ Imperatorum & Caroli vires, quando in Italia, & extra ſatis diffundebatur: Pontificis autem tanta erat potentia, quanta à Principibus permittebatur. Nunc vero cum rerum fere mutatio ſit, parvulum quodque humanitatis officium pro maximo reputandum eſt. Non autem minima aut parvula exhibuit Friderico Paulus, ſed magna admodum. Nam & bis ad Imperatoris cubiculum paucis comitatus deſcendit; & ſemper, cum ſimul eundum fuit, manu ſiniſtra eum tenebat, aliquando etiam dextra; parique gradu ut incederet jubebat: cum erat ſedendum, ut eodem tempore aſſideret invitabat; aliaque omnia officia præſtabat, quæ inter ſe pares præſtare ſolent.

XXVI. Statuerat etiam Pontifex Cæſarem abeuntem uſque ad palatii portas deducere: ſed ille hoc recuſans, ante conſtitutam horam equitavit. Diſceſſit namque Cæſar Germaniam repetiturus quinto Idus Januarias ſummo diluculo: eumque Cardinales, aliique extra Urbem deduxerunt. nam reliqui nimia Cæſaris feſtinatione præventi ſunt. Ille enim ante Urbem exiverat, quam aliqui vel id reſciſſent.

XXVII. Omni hoc tempore, quo Cæſar Romæ fuit, & quamdiu Eccleſiæ Romanæ agrum peragravit, Pontifex illum & omnem ejus comitatum hoſpitio victuque ſuo ære continuo excepit, magna liberalitate & rerum omnium ingenti copia. Non equis, non hominibus quicquam defuit: ubique benigne comiterque omnes habiti ſunt: gratias ſpirituales, quas plurimas & magnas à Pontifice impetrarunt omnes, ſine pecuniis redemit. Omnia enim Pontifex gratis juſſit expediri. Donatus eſt præterea Cæſar à Pontifice albo equo falerato, & aurea toga, quibus in ſolemni pompa uſus eſt; & præter hæc decentibus quibuſdam munuſculis, lapillis, unionibuſque pretioſiſſimis ornatis, quæ ſupra duûm millium aureorum nummûm æſtimata ſunt. Atque ita perſolutis votis Im-

perator lætus domum verſus arripuit iter, Cardinale Reatino, & Vicecancellario eum Viterbium uſque comitantibus; & quatuor Prælatis, qui Narniam iverant, aliquot diebus ultra eum deducentibus. Hæc habui quæ ad te ſcriberem, mi Johannes, ut amicitiæ noſtræ officio ſatisfacerem. Tuum officium erit amici munuſculum benigne ſuſcipere, & non tam rem ipſam, quam mentem metiri. Vale. Romæ &c.



PRÆFATIO

PRÆFATIO

IN SEQUENS SACRAMENTARIUM GALLICANUM.

I. ORDO *Miſſæ, quem mox ſubjiciemus, haud dubie pertinet ad Liturgiam Gallicanam. Primum hujus rei argumentum deſumi poteſt ex Collectionibus* poſt nomina, ad pacem, *& ex vocabulo* Conteſtationis, *quales notæ in vera Liturgia Gallicana deprehenduntur, ut in opere de Liturgia Gallicana oſtendimus.*

II. *Alterum argumentum petitur ex convenientia, quam habet hic Ordo cum Miſſali Gothico ſeu Gallicano, & cum Lectionario Luxovienſi a nobis editis: ut facta comparatione ſuis locis obſervabimus. Cur vero in omnibus non conveniat, inferius dicturi ſumus.*

III. *Tertium argumentum ſuppeditant Sanctorum feſta, quæ pauciſſima in hoc Ordine referuntur. Hæc feſta ſunt ſanctorum* Stephani protomartyris, Jacobi & Johannis apoſtolorum, Cathedræ ſancti Petri, Depoſitionis ſeu Aſſumtionis ſanctiſſimæ Virginis, Inventionis ſanctæ Crucis, Nativitatis ſancti Johannis Baptiſtæ, ejuſdemque paſſionis; apoſtolorum Petri & Pauli, Miſſa Sigiſmundi regis, feſtum ſancti Martini epiſcopi Turonenſis, & Michaëlis archangeli: *quibus adde* triduum Rogationum *ante Aſſcenſionem. Ex his peculiaria Gallis erant Miſſa ſancti Sigiſmundi Burgundiæ regis; & feſtum ſancti Martini: quod tamen extra Galliam antiquitus celebrari potuit. Ad hæc Rogationes triduanæ ante Aſſcenſionem ritui Gallicano conveniunt: & Depoſitio ſeu Aſſumtio Deiparæ in Ianuario, itidemque Cathedra ſancti Petri*

in hoc Ordine eodem menſe, uti & in Gothico & in Lectionario Luxovienſi aſsignantur. Praterea in Canone fit commemoratio ſancti Hilarii.

IV. *Denique hic Ordo non eſt Romanus, ut primo intuitu evinci poteſt; neque ferme ullam habet, excepto Canone, cum Gelaſiano aut Gregoriano Ordine convenientiam. In veteri noſtro exemplari præmittitur quidem* MISSA ROMENSIS COTTIDIANA, *cum Canone item Romano. Verum in fine Miſſalis Gothici eadem Miſſa adſcripta erat, ſed mutila in codice Chriſtinæ reginæ, quo uſus eſt eruditus Thomaſius in edendo primum illo Miſſali. An Canon etiam Romanus in eo codice relatus fuerit, affirmare non licet propter mutili codicis defectum. Attamen cum ad ſingulas Miſſas in illo Gothico habeantur ſinguli Canones, ſecus quam in Ordine quem hic vulgamus: conjici poteſt, in illo Gothico nondum fuiſſe receptum Canonem Romanum, qui in noſtro Ordine jam admiſſus erat: uti etiam in Miſſali Francorum Thomaſiano, quod a nobis recuſum eſt. Atque adeo, ut in libro primo de Liturgia Gallicana obſervatum, majores noſtri prius Romanum Canonem, quam integrum Miſſæ ritum Romanum ſuſceperunt. Ex his manifeſtum eſt, hunc Ordinem noſtrum non eſſe Romanum.*


V. *Sed neque Mozarabicus eſt, ut conferenti patet. Neque Ambroſianus: ſiquidem, præter multas alias rationes, Rogationes in Ordine Ambroſiano celebrantur poſt Aſſcenſionem; hic poſt illam ex ritu Gallicano. Præter ea nullum eſt in noſtro Ordine feſtum ſanctorum Mediolanenſium: ac demum non omnino eædem ſunt Miſſæ partes in Ambroſiano: cui deſunt Præfationes initio Miſſæ, in hoc Ordine uſitatiſsimæ; item Collectiones* poſt nomina & ad pacem *ante Conteſtationem.*

VI. *At forte hic Ordo fuerit eccleſiæ Africanæ. Sed neque hoc dici poteſt. Quippe Liturgiæ Africanæ indicia duo ex Auguſtino diſcimus, quæ huic, qua de agimus, nullo modo conveniunt. Primum indicium eſt, quod cum in eccleſia Gallicana tres lectiones ex libris ſacris ad Miſſam cathecumenorum recitari mos eſſet; in Africana duæ tantum lectiones cum intermedio Pſalmo recitabantur. Id patet ex ſermonibus Auguſtini ad populum, editis in tomo quinto ejus Operum novæ editionis, qua in poſterum ſemper utemur. In ſermone* CXII. Lectiones ſanctæ propoſitæ ſunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid ſermonis, adjuvante Domino, proferamus. In lectione apoſtolica gratiæ aguntur Domino de fide gentium. In Pſalmo diximus, DEUS VIRTUTUM CONVERTE NOS, *&c.* In Evangelio ad cœnam vocati ſumus. *Brevius in ſermone*

c l x v. Apoſtolum audivimus: Pſalmum audivimus: Evangelium audivimus. *Idem colligitur ex ſermonibus* c l x x *&* c l x x v i. *Loquor de lectionibus ſacris. nam paullo ante Miſſam in feſtis Martyrum acta eorum legebantur, ut patet ex ſermonibus* x x x v i i *&* c c l x x v i. Poſt ſermonem fit Miſſa, *ſeu dimiſſio*, cathecumenis, *Auguſtini verba ſunt in ſermone* x l i x *num.* 8. manebunt Fideles: venietur ad locum Orationis, *ſcilicet Dominicæ. Alterum indicium eſt, quod in Africana eccleſia, uti & in Romana & in Mediolanenſi*, poſt ſanctificationem ſacrificii, & Orationem Dominicam, dicitur Pax vobiscum, & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, *ex ſermone* c c x x v i i. *Contra in Gallicana & in Mozarabica Liturgia Pax dabatur ante actionem, immo ante Præfationem ſacrificii, quæ Conteſtatio appellatur. Itaque ſequens Ordo non eſt Africanus: ac proinde ſupereſt ut ſit Gallicanus.*

VII. *Cur ergo, inquis, in omnibus non convenit cum Miſſali Gothico-Gallicano? Id ex eo factum eſſe exiſtimamus, quod, etſi in eccleſia Gallicana primis ſæculis, id eſt ante Caroli M. principatum, fuerit uniformis celebrandæ Miſſæ ritus, eædemque partes: non tamen eædem erant ubique Collectiones, Lectiones, & Conteſtationes: ſed forſan in unaquaque metropoli diverſæ. Id colligere licet ex Concilio Venetico anni* c c c c l x v. *cujus hæc verba ſunt in canone* x v. Rectum quoque duximus, ut vel intra provinciam nostram, ſacrorum ordo & pſallendi una ſit conſuetudo. *Quaſi dicerent Patres: Si non in tota Gallia, ſaltem intra provinciam noſtram, id eſt Turonenſem, uniformis ſit ſacrorum ritus. Epaonenſe, anno* d x v i i *celebratum, huic interpretationi ſuffragatur canone* x x v i i. Ad celebranda divina officia Ordinem, quem metropolitani tenent, provinciales obſervare debebunt. *Hinc eſt quod eccleſia Lugdunenſis peculiarem in ſacris ritum ſemper retinuit. Non itaque mirum, ſi provincia Narbonenſis, quæ Gothorum imperio tunc parebat, non in omnibus conſenſerit cum aliis Gallicanis provinciis: immo non mirum, ſi ſingulæ provinciæ, quæ rariſſime in unum nationale Concilium convenire poterant, aliquid habuerint, diverſi in Ordine rerum ſacrarum, tametſi in pleriſque atque in ipſa rei (ut ita dicam) ſubſtantia conveniebant.*

VIII. *Codicem antiquum, ex quo ſubſequentem Ordinem Gallicanum deſcripſimus, invenimus in bibliotheca percelebris & perantiqui monaſterii Bobienſis. Scriptus eſt codex ante annos mille, & quidem litteris majuſculis, ut ex appoſito ſpecimine periti intelligent.*



B E R T U L F U S *alicubi legitur in ora folii cujuſdam , quem putamus eſſe ipſum Bertulfum loci abbatem medio ſæculo ſeptimo. In alio folio* E L D E R A T U S ; *item in alio* M U N U B E R T U S. *Illud in eo codice magni faciendum , quod ſit integer , non mutilus , ut in illis vetuſtis libris evenire ſolet. Porro continet Collectiones , Lectiones Propheticas, Apoſtolicas , & Evangelicas , atque Conteſtationes ad Miſſam per totum annum. In fine etiam (quod rariſſimum eſt , & pæne ſingulare) habetur liber Pænitentialis , in quo multa ſcitu digna occurrunt ad veteris diſciplinæ eccleſiaſticæ cognitionem.*

IX. *Cujus porro provinciæ fuerit hoc Miſſale , non obvium eſt definire. Forte ad uſum erat provinciæ Maximæ Sequanorum , id eſt Veſontionenſis , in qua ſitum eſt Luxovienſe monaſterium , unde Columbanus Bobium migravit. Favet huic conjecturæ Miſſa de ſancto Sigiſmundo rege Burgundionum. Certe hic codex non fuit ad uſum monachorum Bobienſium. Nihil enim in eo de ſanctis Bobienſibus , Columbano , ejuſve diſcipulis. Nihil item de rebus monaſticis : non benedictio Abbatis , aut monachorum ; non benedictiones pro monaſterii officinis , in ejuſmodi libris monaſticis uſitatæ. Fit quidem ſancti Benedicti commemoratio in Canone Miſſæ : ſed hæc itidem in pleriſque aliis cathedralium eccleſiarum vetuſtiſſimis libris occurrit, ut in Canone eccleſiæ Mediolanenſis ante annos ſexcentos ſcripto , immo in edito Miſſali per ſanctum Carolum reformato. quæ tamen commemoratio in ſubſequentibus Ambroſianorum Miſſalium editionibus reſecta eſt. Nihil ergo prohibet, quin hoc Miſſale fuerit ad uſum eccleſiæ & provinciæ Veſontionenſis. quod tamen aliis expendendum permittimus. Confer ea quæ in Miſſa pro Principe dicuntur. In Canone poſt conſecrationem commemoratur cum aliis ſanctis* E U G E N I A, *eademque laudatur in Conteſtatione Miſſæ pro vigilia Natalis Domini. Hæc eſt Eugenia virgo , quæ Romæ tempore Gallieni martyrium*

paſſa eſt. In ejus eccleſia extra portam Latinam ſanctum virginis corpus requieſcere dicitur in vita Leonis tertii, qui quædam ornamenta eidem eccleſiæ aſſignavit. Hadrianus ante Leonem ibidem monaſterium puellarum conſtruxerat. At quo apud Gallias in loco Eugenia cultum habuerit, nobis incompertum.

X. *Supereſt ut ſequenti Liturgiæ Gallicanæ titulum apponamus, quandoquidem nullus exſtat in codice Bobienſi. Ne ſimplici vocabulo appellemus Liturgiam Gallicanam vetant aliæ Liturgiæ, quæ hoc nomen occuparunt. Dici poteſt* LITURGIA BOBIENSIS: *at præferendus videtur titulus,* LIBER SACRAMENTORUM ECCLESIÆ GALLICANÆ: *propterea quod in fine codicis, ubi libri ſacri recenſentur, extremo loco ponitur* SACRAMENTORUM UNUS. *quo nomine librum de re ſacra majores noſtri ſolebant deſignare. Sic Liturgia Romana, qualis a Gregorio M. ordinata eſt, appellatur* LIBER SACRAMENTORUM DE CIRCULO ANNI. *At quemadmodum Gregorianus ille liber compendioſo modo non tantum a recentioribus, ſed etiam a Micrologo aliiſque laudari ſolet ſub titulo* Sacramentarii Gregoriani: *ita etiam noſter hic liber dici poterit* SACRAMENTARIUM GALLICANUM.

XI. *Ceterum in Scripturæ ſacræ lectionibus, quæ hoc in Ordine fiunt, adhibetur verſio Vulgata, ut in Lectionario Luxovienſi, niſi quod lectiones nonnullæ potius ad ſenſum, quam ad verbum referuntur, non conſequenter, ſed quaſi centones ex variis Scripturæ locis. Hæc in anteceſſum præmiſiſſe ſufficiat.*

LIBER SACRAMENTORUM ECCLESIÆ GALLICANÆ.

LECTIO LIBRI DANIHEL PROPHETÆ

in cottidiana [a] *legenda.*

IN tempore autem illo conſurgit Michahel princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo quo gentes eſſe cœperunt, uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit in libro ſcriptus; & multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in obprobrium, ut videant ſemper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt plurimos, quaſi *b* ſtellæ in perpetuas æternitates, ait Dominus Deus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios.

FRatres, qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſe ipſum conmendat, ille probatus eſt: ſed quem Dominus conmendaverit. Utinam ſuſteneretis modicum quid inſipientiæ mei. Æmulor vos Dei æmulatione in Chriſto Jeſu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

IN tempore illo dixit *c* Dominus Jeſus diſcipulis ſuis. Attendite vos, ne forte graventur corda veſtra in crapola, & ebrietate, & curis hujus vitæ; & superveniat in vos repentina dies illa, tamquam fur. Laqueus enim ſuperveniet in omnes qui ſedent ſuper faciem orbis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes, ut digni habeamini fugire iſta omnia quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliveti, & omnis populus magnificabat Deum.

a. Nempe ad Miſſam, in qua tres quondam lectiones recitari mos erat, ut alias diximus. Erant ergo etiam tunc Miſſæ quotidianæ, quales iterum habes inferius ſub finem hujus libri. Miſſarum hujuſmodi quotidianarum uſum tempore Auguſtini in Africa obtinuiſſe colligimus ex Sermone LVIII ad populum, novæ editionis, num. 12. *In ecleſia ad altare Dei* QUOTIDIE *dicitur iſta Dominica oratio, & audiunt illam Fideles. Non ergo timemus, ne minus diligenter eam teneatis: quia etſi quis veſtrum non poterit tenere perfecte, audiendo* QUOTIDIE *tenebit.* Poſt Prophetiam Collectio: poſt Epiſtolam reſponſorius Pſalmus: cujus ſingulos verſus, præcinente Lectore, chorus repetebat, ut recte probat amicus noſter pius ac doctus Joſephus M. Carus ſeu Thomaſius in erudita Præfatione ſua ad Reſponſorialia & Antiphonalia, quæ Romanis typis anno ſuperiore prodierunt.

b. In codice *ſtillæ*, & conſtans ubique ſcriptura, ubi occurrit *ſtilla*, non *ſtella*. Paſſim obviæ ſunt in codice noſtro ejuſmodi commutationes litterarum.

c. Sic paſſim legendo Evangelio quondam dicebatur *Dominus* JESUS, non ſimpliciter JESUS quod de Ambroſiano ritu obſervavimus in Muſei tomo I. pag. 105.

Miſſa a Romensis cottidiana.

DEus qui beato Petro apoſtolo tuo conlatis clavibus regni cæleſtis, animas ligandi atque ſolvendi pontificium tradidiſti: ſuſcipe propicius preces noſtras, & interceſſione ejus quæſumus Domine auxilium, ut a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur.

Collectio.

Deus qui culpa offenderis, pænitentia placaris, afflictorum gemitus reſpice, & mala quæ juſte inrogas, miſericorditer averte

Poſt nomina.

Oblata Domine munera ſanctifica, noſque a peccatorum noſtrorum macolis emunda.

Ad Pacem.

Grata ſit tibi Domine hæc oblatio plebis tuæ, quam tibi offerimus in honore nominis tui, [ut] cunctis proficiat ad ſalutem.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare nos tibi ſemper & ubique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates. Cæli cælorumque Virtutes ac beata Seraphin ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti jubeas deprecamur, ſupplice confeſſione dicentes, Sanctus

b. TE igitur, clementiſſime Pater, per Jeſum-Chriſtum filium tuum, Dominum noſtrum, ſupplices rogamus & petimus, uti acceptum habeas, & benedicas † hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia inlibata.

In primis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris totum orbem terrarum, una cum devotiſſimo famolo tuo ill. Papa noſtro ſedis apoſtolicæ, & Anteſtite noſtro, & omnibus orthodoxis, adque catholicæ fidei cultoribus.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & omnium circum adſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolomitatis ſuæ, tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, (*dicitur in Nativitate Domini*) in quo incontaminata virginitas huic mundo edidit Salvatorem Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum. (*dicitur in ſancto Paſcha*) & diem ſacratiſſimum celebrantes reſurrectionis Domini noſtri Jeſu-Chriſti filii tui. Sed & memoriam venerantes in primisglorioſæ ſemper virginis Mariæ, genetricis Dei & Domini noſtri Jeſu-Chriſti: ſed & beatiſſimorum apoſtolorum ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Johannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi,

a. In fine Miſſalis Gothico-Gallicani pari modo habetur *Miſſa cotidiana Romenſis*, ſed mutila; incipitque a Collecta, quæ hic ſecundo loco refertur, *Deus qui culpa offenderis*, *&c.* Etſi vero hæc Miſſa plurimum deſumta eſt ex Ordine Romano; tamen Gallicano accommodata eſt, ut patet ex collectionibus *Poſt nomina*, *ad Pacem*. &c.

b. Cum hic Canon (ut vocamus) non repetatur in ſubſequentibus Miſſis, id argumento eſt, eos, qui hoc codice utebantur, non alium Canonem habuiſſe quam Romanum.

Matthæi, Simonis, & Thadæi, Lini, Cliti, Clementis, Sixti, Cornili, Cypriani, Laurenti, Chryſogoni, Johannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, Hilarii, Martini, Ambroſii, Aguſtini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, & omnium ſanctorum tuorum, qui per univerſum mundum paſſi ſunt propter nomen tuum, Domine, ſeu confeſſoribus tuis, quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, *a* ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus in honorem nominis tui Deus, quæſumus Domine ut placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace diſponas, adque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari, per Chriſtum Dominum noſtrum.

† Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam †, adſcriptam †, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, *b* quæ nobis † corpus † & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui Domini Dei noſtri Jeſu-Chriſti. Qui pridie quam pateretur, *c* ACCEPIT PANEM IN SANCTAS ac venerabiles manus ſuas, [&] elevatis oculis ſuis in cælum, ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, gratias agens, benedixit †, FREGIT, DEDIT DISCIPULIS ſuis dicens, Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meum. Simile modo poſtea quam cenatum eſt, accepit & hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas; item tibi gratias agens, benedixit †, DEDIT DISCIPOLIS SUIS, dicens, Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic eſt enim calix *d* ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effunditur in remiſſione peccatorum. Hæc quotienſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.

UNDE ET MEMORES SUMUS, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti filii tui domini noſtri, tam beatæ paſſionis, necnon & ab inferis reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ aſcenſionis, offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis ac datis † HOSTIAM PURAM, HOSTIAM ſanctam †, HOSTIAM inmaculatam †, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propicio ac ſereno vultu *e* aſpicere dignare, & acceptum habere, ſicuti acceptum habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & ſacrificium patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi optulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium, inmaculatam hoſtiam.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublimi altario tuo in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ: ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur

a. Hæc verba, *ſed & cunctæ familiæ tuæ* uſque *ad nominis tui Deus*, cancellata ſunt in veteri codice, item infra pro *accipias*, correctum *ſuſcipias*.

b. Ita primaria manu, ſecundaria *ut*.

c. Quæ majuſculis hic litteris edita ſunt, minio depicta exſtant in vetere exemplari.

d. Additum erat *ſancti*, ſed poſtea tribus obelis expunctum.

e. Correxit nonnemo antiqua manu, *ut* alia, *reſpicere digneris*.

pleamus

pleamur, per Chriſtum dominum noſtrum.

Memento etiam Domine, & eorum nomina, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis *Commemoratio defunctorum.* Ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis, & pacis ut indulgeas deprecamur, per Chriſtum dominum noſtrum.

Nobis quoque peccatoribus famolis tuis, de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam ſocietatis donare digneris cum tuis ſanctis apoſtolis & martyribus, cum Johanne, Stefano, Matthiam, Barnaban, Ignacio, Alexandro, Marcellino, Petro, *a* Perpetua, Agne, Cicilia, Felicitate, Anaſtaſia, Agathe, Lucia, Eogenia, & cum omnibus ſanctis tuis, intra quorum nos conſortium non ſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte, per Chriſtum dominum noſtrum.

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, † ſanctificas, † vivificas, † benedicis, & præſtas nobis. Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus-ſancti: omnis honor & gloria, per omnia ſæcula ſæculorum.

Divino *b* magiſterio edocti & divina inſtitutione audemus dicere: Pater.

Poſt Pater noſter.

Libera nos Domine ab omni malo, præterito, præſenti, & futuro, & intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemperque virgine *c* Maria, & beatis apoſtolis Petro & Paulo, da propicius pacem tuam in diebus noſtris: ut ope miſericordiæ tuæ adjuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni pertubatione ſecuri.

Poſt communionem.

Quos cæleſti, Domine, dono ſaciaſti, præſta quæſumus, ut a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis.

Conſummatio Miſſæ.

Gratias tibi agimus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos corporis & ſanguinis Chriſti filii tui communione ſaciaſti, tuamque miſericordiam humiliter poſtolamus: ut hoc tuum, Domine, Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed ſit interceſſio ſalutaris ad veniam; ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericola firmamentum. Hæc nos, Domine, communio purget a crimine, & cæleſtis gaudii tribuat eſſe participes. Per.

Dicitur poſt Aïos.

Tu ſumme Deus, aïos, ipſe *d* ſanctus, omnipotens Sabaoth, qui veniſti ab excelſis pati pro nobis, miſerere nobis tu trinæ potentiæ Pater inclite, qui mœnia excellentiſſima Hieruſalem divinis ornas lapidibus, & ejus agmina ſanctorum ſanguine pingis; libera nos tuo valido brachio, & ſalva nos per auxiliatricem dexteram tuam, & defende in nobis precium precioſi ſanguinis tui, quos redemiſti. Per.

Gloria *ad Miſſam decantanda.*

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

a Altera manu, *Petro*, *Felicitate*, *Perpetua*, *Agathe*, *Agne*, &c.

b Emendatum, *Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere.* Alia formula eſt Ordinis Gallicani.

c Additum ſecunda manu, *Dei genitrice.*

d Fortaſſe, *id eſt Sanctus*, quod eſſet gloſſema vocabuli ἅγιος

Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam, Domine Deus, rex cæleſtis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jeſu-Chriſte, Domine Deus, agnus Dei, filius Patris. Qui tollis peccata mundi miſerere nobis, qui tollis peccata mundi ſuſcipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Patris, miſerere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus Jeſu-Chriſte, cum ſancto Spiritu in gloriam Dei Patris amen. *a*

Deus, cui merito & in excelſis, & in terra, utriuſque loci incolis gloria decantatur: qui pacem tuam, non in malibolis, ſed in homenibus bonæ *b* voluntatis eſſe teſtaris; te orantes laudamus, tibique agentes gratias ſupplicamus: ut qui in te ſuſcipiens mundi peccata, purgata deleſti; ſuſcipias ex dono tuo tibi placita, & ampotes prava deſideria noſtra: ſimulque præſta, ut præſentem diem te protegente ſine peccato tranſigere mereamur.

Item alia.

Deus, cui merito, & Angeli in cælis, & homines in terra debito famolato conlaudant: cujus ſanctum nomen ſuper omne nomen exaltatum fidele exultatione concelebrant: præſta nobis famolis tuis, effectu tibi bonorum operum propinquare, teque vita ſimul & voce laudare; tuamque miſericordiam rectis actibus inpetrare: ut univerſus hic populus, qui Angelos tuos æquiperare confitendo, ſectari quoque ſtudeat imitando.

Oratio poſt c *Precem.*

Miſerere Domine Deus omnipotens, qui diſcipolis tuis Spiritum-ſanctum dediſti, vel per Evangeliſtarum tuorum omnes docuiſti, etiam omnibus nobis per baptiſmum indulgentiam tribuiſti, & omnes credentium nomen ſanctum tuum de inferna redemiſti. Per.

Item poſt Precem.

Domine preces populi tui placatus exaudi, univerſis quæ poſtulant tribue, & ſingulis quæ ſunt oportuna concede. Creſcat in eorum ſenſibus devotio tibi in omnibus placita, qualiter a te beneficia obtineant oportuna. Per.

Item alia.

Domine Deus, qui populis tuis & juſte iraſceris, & clementer ignoſcis; inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris: ut qui te totis ſenſibus confitemur, non judicium tuum, ſed indulgentiam conſequamur.

Collectio poſt Aïos.

Judicia tua, Deus, conprehendere non valemus, reprehendere non audemus: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, quis inveſtigaverit eas? Concede nobis, piiſſime Pater,

a Nulla hic mentio de Symbolo CP. quod fortaſſe tum in Miſſa Gallicana haud recitaretur. In Africa tempore Auguſtini Symbolum ad Miſſam non recitabatur, ut Oratio Dominica, ex Sermone LVIII ad populum num. 12 & 13.

b Hic, uti & in ſuperiori Cantico, *voluntatis*. Qui ſcribendi modus ubique retinetur in noſtro codice. Appoſite Hildemarus in caput ſeptimum Regulæ ſancti Benedicti, ubi de ſecundo gradu humilitatis: *Sunt multi qui diſtinguunt* voluntatem per n *adtinere ad Deum*: *&* volumtatem per m *ad hominem*; voluptatem *vero per* p *ad diabolum*. Tamen ubi etiam agitur de Deo, *volumtas* per *m* ſcribitur in noſtro exemplari.

c In Miſſali Gothico pag. 190 & 251 habentur itidem *Collectiones poſt Precem*. Id de cantico trium Puerorum interpretati ſumus. At de hymno Angelorum *Gloria in excelſis*, qui hic proxime antecedit, interpretandum eſſe patet ex ſequenti notatione.

ut [te] timeamus quia bonus es, ſperantes in miſericordia tua. Tu enim dixiſti, Nolo mortem peccatorum. Tantum adjutor eſto revertentibus, ut vivamus.

Oratio poſt a *Benedictionem.*

Deus qui tribus pueris in camino ignis mitigaſti flammas incendii, concede quæſumus, ut nos famulos tuos non urat flamma vitiorum. Per.

a. Id eſt poſt canticum trium Puerorum: quod ex ſequenti Collectione intelligitur.

INCIPIUNT a LECTIONES DE ADVENTU DOMINI.

Lectio Malachiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: Ecce ego mittam Angelum meum, & præparavit viam ante faciem meam: & ſtatim veniet ad * tempus ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus? & quis ſtabit ad videndum eum? Et erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia; & placebit Deo ſacrificium Juda & Hieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui. Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velut maleficis, & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenariis, viduam & pupillos, & oppremunt peregrinum; nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum: ego Dominus Deus veſter, & non mutor, ait Dominus Deus.

Lectio epiſtolæ Jacobi apoſtoli ad b *Gentes.*

FRatres, patientes eſtote uſque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporivum & ſerotinum. Patientes eſtote, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini adpropinquavit. Fratres nolite ingemiſcere in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam adſiſtit. Exemplum accipite, fratres, laboris & patientiæ Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus qui ſuſtinuerunt ſufferentiam: miſericors eſt Dominus & miſerator. Ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem veſtrum Eſt, eſt; Non, non, ut non in judicio decidatis. Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & convertit quis eum, ſcire debet, quoniam qui

a Ab hoc maxime loco incipit Miſſale Gallicanum. nam quæ præcedunt, fere ex Ordine Romano deſumta ſunt. Lege quæ de Adventu diximus in Liturgia Gallicana a pag. 98.

b Sic paſſim in hoc Lectionario laudatur Jacobi epiſtola *ad Gentes.* qui titulus Petri epiſtolæ primæ tribuitur in Lectionario Gallicano.

converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvat animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum.

Lectio a ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

IN diebus illis, Johannes cum audiſſet in vincolis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et reſpondens ait illis: Euntes renunciate Johanni quæ audiſtis & videtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur: & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jeſus dicere ad turbas de Johanne: Quid exiſtis in deſerto videre? arundinem vento agitatam? ſed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? Prophetam? etiam dico vobis & pluſquam prophetam. Hic enim eſt de quo ſcriptum eſt: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparavit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Johanne Baptiſta. Uſque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim lex & Prophetæ uſque ad Johannem prophetaverunt: & ſi vultis recipere, ipſe eſt Helias qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi audiat.

b I. Missa in Adventum Domini.

EXcita Domine potentiam tuam & veni: & quod Eccleſiæ tuæ uſque in finem ſæculi promiſiſti, clementer operare.

Excita Domine potentiam tuam, & magna nobis virtute ſuccurre: ut per auxilium gloriæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propiciationis acceleret.

Collectio.

Excita, Domine quæſumus, corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus adventum purificati, tibi ſervire mereamur.

Præveniat nos, quæſumus omnipotens Deus, tua gratia ſemper & ſubſequatur: ut cum adventu Unigeniti tui, quem ſummo cordis *c* deſiderio ſuſtinemus, & præſentis vitæ ſubſidia, & futuræ etiam conſequamur.

Poſt nomina.

Conſcientias noſtras, quæſumus omnipotens, cottidie viſitando purifica, ut veniente Domino filio tuo, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem.

Corpora menteſque noſtras, omnipotens Deus, dignanter emunda: ut tua benedictione firmati, ab Unigenito tuo Domino noſtro, quem expectamus, veniente, ſemper inluminemur & protegamur.

Ad Pacem.

Fac nos quæſumus, Deus noſter, pervigiles atque ſollicitos adventum Chriſti filii tui Domini noſtri expectare: ut dum venerit pulſans, non dormientes peccatis, ſed vigilantes & in ſuis inveniat laudibus exultantes.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, *d* omnipotens Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui proprium eſt ac

a Hæc Evangelii lectio in Romano habetur Dominica ſecunda Adventus.

b Quippe Miſſa proprie incipit poſt lectiones ſacras. Lege ſis Liturgiæ Gallicanæ caput v.

c In exemplari legitur *diſiderati*, maniſeſto mendo.

d Supplendum hic & in conſequentibus

ſingulare quod bonus eſt, & nulla umquam a te eſt commutatione diviſus. Propitiare ſupplicationibus noſtris, & Eccleſiæ tuæ miſericordiam tuam, quam confitentur, oſtende, manifeſtans plebi tuæ Unigeniti tui adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti mirabile ſacramentum: ut in univerſitate nationum perficiatur, [quod] per Verbi tui evangelium promiſiſti: ut habeat plenitudo adoptionis, quod protulit teſtificatio veritatis, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, Deus filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, & de peccato damnavit in carne peccatum, ut juſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambolamus, ſed ſecundum ſpiritum. Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiritum, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt. Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autem ſpiritus vita & pax in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

IN diebus illis venit Johannes Baptiſta prædicans in deſerto Judæ, & dicens: Pænitentiam agite, adpropinquavit enim regnum cælorum. Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaïam prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Ipſe autem Johannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliciam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſilveſtre. Tunc exiebant ad eum Hieruſolyma, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur in Jordane ab eo, confitentes peccata ſua. Videns autem multos Phariſæorum & Saducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere a futura ira? facite ergo fructum dignum pænitentiæ. Et ne velletis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Jam enim ſecuris ad radices arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ego quidem baptizo in aqua in pænitentiam: qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt: cujus non ſum dignus calciamenta portare. Ipſe vos *a* baptizavit in Spiritu-ſancto & igni, cujus ventilabrum in manu ſua, & congregavit triticum in horreum ſuum: paleas autem conburit igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans evangelizabat populo.

II. Item Missa in Adventum Domini.

Oratio [b] *poſt Prophetiam.*

OPifex lucis almæ, plebis viſitator inmeritæ, qui illa prophetalium vaticiniorum oracula, quæ ſæculis fuerunt nunciata, beati Johannis ore exples, opere perficis, profeſſione peragis, concede plebi ſupplici tibi ſine formidine famolari:

vulgata formula, *æquum & ſalutare*, &c. Hæc Conteſtatio exſtat in Ambroſiano Dominica prima Adventus: ſed aliæ omnino lectiones ibi ad Miſſam.

a Ita paſſim *baptizavit* pro *baptizabit*: & infra *congregavit*, &c. vulgari ac facili permutatione litterarum.

b Confer Miſſale Gothico-Gallicanum in Natali Domini pag. 190. ubi ſimiliter *Collectio poſt Prophetiam*.

ut per viſcera miſericordiæ repleti ſcientia, veritate dirigi mereamur.

Collectio.

Adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti, fratres cariſſimi, votis omnibus præſtolantes, Dei Patris omnipotentiam inploremus, ut corda noſtra purificet, & corpora immacolata conſervet. Expectemus conſcientia ſecura venturum, quem ſuper omnem principatum & poteſtates credimus exaltatum. Simus ergo per ſingula momenta ſolliciti, ut mereamur habere propicium, quem credimus & fatemur ad judicandos vivos & mortuos in gloria eſſe venturum.

Collectio.

Purifica, Domine Deus, Pater omnipotens, pectorum arcana noſtrorum, cunctaſque propicius macolas ablue peccatorum: ac præſta Domine, ut benedictione pietatis tuæ a noſtris criminibus mundati, metuendum terribilemque adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti expectemus interriti.

Poſt nomina.

Exaudi Domine preces populi tui, ut *a* jubeas ſuſcipere qui juſſit offerri: ſintque hæc munera acceptabilia in ejus conſpectu pro omnium animarum emendatione, & corporum ſanitate; pro Martyrum laude, & pro defunctorum requie.

Collectio ad Pacem.

Pacem tuam noſtris pectoribus bone Jeſu inlabere, in qua eſt plenitudo dilectionis. Præſta Domine, ut pacem, quam nunc ore proferimus, ſemper ſpiritali ſenſu conſervare mereamur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Quem Johannes, fidelis amicus, præceſſit naſcendo, præceſſit in deſertis eremi prædicando, præceſſit baptizando, viam quoque præparans judici ac redemtori. Convocavit peccatores ad pænitentiam; & populum Salvatori adquirens, baptizavit in Jordane peccata propria confitentes: non hominis innovandi plenam conferens gratiam, ſed piiſſimi Salvatoris admonens expectare præſentiam: non remittens ipſe peccata ad ſe venientibus, ſed remiſſionem peccatorum ad futurum pollicens eſſe credentibus: ut deſcendentibus in aquam pænitentiæ, ab illo ſperarent remedium indulgentiæ, quem venturum audiebant plenum dono veritatis & gratiæ, Dominum noſtrum Jeſum. Quem laudant Angeli.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, dico enim Chriſtum Jeſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones Patrum. Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Propter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe ejus. Et iterum: Laudate omnes gentes Deum, & magnificate eum omnes populi. Et rurſus Iſaïas ait: Erit radix Jeſſe, & qui exſurgit regere gentes, in eum gentes ſperabunt. Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, ut abundetis ſpe in virtute Spiritus-ſancti.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

IN diebus illis, interrogatus a diſcipolis ſuis Dominus Jeſus, quando venerit regnum Dei, dixit eis: Sicut fulgur exit ab Oriente, & pa-

a Forte legendum, *ut jubeat ſuſcipi qui juſſit offerri.*

ret uſque in Occidente; ita erit adventus filii hominis. Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Statim autem poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum: & ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur. Et tunc parebit ſignum filii hominis in cælo: & tunc plangent omnes tribus terræ. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majeſtate. Et mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus a quattuor ventis a ſummis cælorum uſque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici diſcite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, & folia nata, ſcitis quia prope eſt *a* æſtas. Ita & vos cum videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in januis. Amen dico vobis, quia non præteribit hæc generatio, donec omnia fiant. Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt. De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cælorum, niſi Pater ſolus. Sicut autem in diebus Noë, ita erit & adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes, uſque ad eum diem, quo intravit in Arca Noë, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus filii hominis. Tunc duo erunt in agro, unus adſumitur, & unus relinquitur. Duæ molentes ad molam, una adſumitur, & altera relinquetur. Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt.

b III. Item Missa in Adventum Domini.

[*Collectio poſt Prophetiam*]

Concede quæſumus Domine hanc gratiam plebi tuæ, adventum Unigeniti tui cum ſumma vigilantia expectare: ut ſicut ipſe [eſt] auctor noſtræ ſalutis, velut fulgentes lampadas in ejus occurſo noſtras animas præparemus. Præcinge quæſumus Domine Deus noſter lumbos mentis noſtræ divina tua virtute potenter, ut veniente Domino noſtro Jeſu-Chriſto filio tuo, digni inveniamur æternæ vitæ convivio, & vota cæleſtium dignitatum ab ipſo percipere mereamur.

Collectio ſequitur.

Feſtina quæſumus Domine, ne tardaveris, & præſidium nobis tuæ pietatis inpende: ut oportunis conſolationibus ſubleventur, qui in tua miſeratione confidunt.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omni tempore tuis deditos vis eſſe mandatis: concede propicius, ut ad adventum Domini poſſimus eſſe devoti, quibus illud eſt myſterium celebrandum, cui ſervit omnis excuſatio mandatorum.

Poſt nomina.

Concede nobis Domine quæſumus, ut magnæ feſtivitatis ventura ſollemnitas proſpero celebretur effectu, pariterque reddamur & intenti cæleſtibus diſciplinis, & peccatorum indulgentiam conſequamur.

a Neſcio an operæ pretium ſit adnotare in exemplari legi, *ſtas*. Sic infra, *ſtote* pro *eſtote*. Sic ſupra *ſtimator* pro *æſtimator*.

b In codice nota numerica deeſt ac deinceps: itemque titulus anſulis incluſus, quem ex ſuperiori Miſſa ſupplevimus.

Ad Pacem

Devotionis noſtræ tibi Domine quæſumus hoſtia jugiter immoletur, quæ & ſacri peragat inſtituta myſterii, & ſalutare tuum nobis mirabiliter operetur *a*

Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende, quod & nos a vitiis noſtræ conditionis emundet, & tuo nomini reddat acceptos.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, cui proprium eſt veniam delictis inpendere, quam pœnaliter *b* inminere. Qui fabricam tui operis per eumdem rurſus Lapidem es dignatus erigere: ne imago, quæ ad ſimilitudinem tui facta fuerat vivens, diſſimilis haberetur ex morte, munus venialis indulgentiæ præſtitiſti: ut unde mortem peccatum contraxerat, inde vitam pietas repararet inmenſa. Hæc poſtquam prophetica ſæpius vox prædixit, & Gabrihel angelus Mariæ jam præſentia nunciat, mox puella credente in utero fidelis Verbi manſit aſpirata conceptio per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli.

Item c *Conteſtatio de Adventu.*

Vere dignum & juſtum eſt. Tu clementiſſime Deus veræ credulitatis in ſenſibus noſtris incrementa multiplica, & imaginis ac ſimilitudinis tuæ formam in nobis [magis] magiſque reſtaura: ut te, quem dudum veniſſe credimus pro remedio captivorum, in ſecundo adventu tuo te cum majeſtate venturum ſuſtinentes videre mereamur cum indulgentia peccatorum.

Præſta *d* unita & indiviſa Trinitas Deus, quem cælorum multiplex & ineffabilis numerus, quem omnium Angelorum & Archangelorum milia, cum Senioribus & Virtutibus, cum Thronis & Dominationibus laudare non ceſſant dicentes, Sanctus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Philippenſes.

e FRatres, gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete: modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt. Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ ſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

SInt lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes: *f* & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum, quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Beati ſunt ſervi illi, quos, cum venerit dominus, inve-

a Collectio hæc legitur non ſolum in Romano, ſed etiam in Ambroſiano Dominica quarta Adventus.

b Sic *inminere* pro *inſtare*. Et hæc Conteſtatio habetur in Ordine Ambroſiano Dominica quarta Adventus uſque ad hæc verba, *Hæc poſtquam* &c.

c Conteſtatio hæc pro alia Miſſa de Adventu: de quo nonniſi tres Miſſæ integræ hoc in Ordine aſſignantur: forte quod, ſi Dominicæ ſex tum numerabantur, hæ Miſſæ repeti poſſent.

d Sic *unita* in exemplari, pro *una*. Veteres *unionem* pro *unitate* dicebant. Adi Valeſium in Evagrii lib. v cap. iv.

e Lectio hæc in Ordine Gregoriano habetur Dominica tertia Adventus, quæ hic pro Vigilia Natalis Domini.

f Addit Vulgata, *in manibus veſtris*, quæ verba deſunt in codice noſtro, textuque græco, & apud Auguſtinum, non tamen apud Gregorium M.

nerit

nerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcingit ſe, & facit illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.

Missa in vigilia Natalis Domini.

a MIſericors ac piiſſime Deus, cujus voluntate ac munere Dominus noſter Jeſus-Chriſtus ad hoc ſe humiliavit, ut totum genus exaltaret humanum, & ideo ad ima deſcenderit, ut humilia ſublimaret: ac propterea Deus homo naſcitur per Virginem, ut in homine perditam cæleſtem reformaret imaginem: da ut plebs hæc tibi adhæreat, ut quam redemiſti tuo munere, tibi ſemper devota placeat ſervitute.

Collectio.

Emmanuhel, Nobiſcum Deus, Chriſte filius Dei, qui cum ex Virgine te naſciturum pronuncias, quia Mariam matrem creaſti, ut Dominus, de qua natus es filius: da nobis, ut qui cum illa a te vel per te creati ſumus ex nihilo, ſimili ut ea credulitatis remuneremur ex præmio.

Poſt nomina.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui naſciturum ex utero virginali Jeſum-Chriſtum filium tuum agnoſci ab omnibus ſancto Archangelo nunciante voluiſti: da ut cujus nativitatem accepimus, ejus præſentia gaudeamus.

Ad Pacem.

Deus cujus nativitate filii tui Domini noſtri glorioſa feſtivitas & Mariæ partum & *b* Eogeniæ triumphum... Hodie quippe Maria Chriſtum genuit; hodie Eogenia ad Chriſtum vadit: hodie illa generat, ad quem iſta feſtinat: hodie Chriſtus in mundo venit, hodie virginem in cælo Chriſtus ſuſcipit: hodie naſcendo virginem matrem fecit, qui hodie perficiendo martyrem coronavit.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui a ſummo cælo throniſque regalibus ad ima deſcendens, Patris imperio ſacræ Mariæ utero inviolate ſuſceptus eſt, ut *c* miſcetor Deus elementi, ſuſcepit membra mortalia, ſumſit carnis injuria liberandi hominis vota. Jacebat in pannis, fulgebat in ſtellis. Caro eſt quod involvitur; divinitas, cui ab Angelis miniſtratur. Erat poſitus in præſepio, ſed virtus ejus operabatur in cælis. In cunabulis jacebat, & regnum cæleſte donabat. Natus eſt nobis Chriſtus, inluminatus eſt mundus. Innupta peperit, ſed virgo concepit: de viro pura, de filio glorioſa. Accepit nomen matris, ſed non habuit thorum uxoris. Per cujus nativitatem indulgentia criminum conceditur, & reſurrectio non negatur. Per ipſum quem laudant Angeli.

Lectio Iſaïæ Prophetæ, legenda in Natale Domini.

PArvulus enim natus eſt nobis, filius natus eſt nobis: & factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & regni

a Miſſa hæc differt ab ea quæ aſſignatur in Miſſali Gothico-Gallicano. ſi quando convenient, adnotabimus.

b Nota hic de ſancta Eugenia virgine & martyre Romana, quæ paſſa eſt die XXV Decembris, fieri mentionem, non de ſancta Anaſtaſia, de qua Romanus Ordo hac die commemorationem habet. Ejuſdem Eugeniæ memoria in Canone Miſſæ ſupra.

c Pro *miſtor*, ut quidem veri ſimile eſt.

ejus non erit finis. Super ſolium David & ſuper regnum ejus [ſedebit,] ut confirmet illud & conroboret in judicio & juſtitia. Amodo & uſque in ſempiternum zelus Domini exercituum faciet hoc.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Hebræos.

FRatres multifarie multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; noviſſime autem diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio ſuo, quem conſtituit heredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula. qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedit ad dexteram majeſtatis in excelſis, tanto melior Angelis effectus, quantum differentior præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

LIber generationis Jeſu-Chriſti filii David, filii Abraham. Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. *a* Et alius Judas genuit Joſep virum Mariæ, de qua natus eſt Chriſtus Chriſti autem generatio ſic erat. Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu-ſancto. Joſeph autem vir ejus, cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in ſomnis apparuit ei, dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. quod enim in ea natum eſt, de Spiritu-ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuhel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus. Exſurgens autem Joſeph a ſomno fecit ſicut præceperat ei Angelus Domini; & accepit Mariam conjugem ſuam, & non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, & vocavit nomen ejus JESUM.

b *Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.*

CUm natus eſſet Dominus Jeſus in Betthelem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieruſolyma, dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? vidimus enim ſtellam ejus in Oriente; & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Hieruſolyma cum illo. & congregans omnes principes ſacerdotum & ſcribas populi, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt: In Betthelem Judæ ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: Et tu Betthelem terra Juda.... ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.

c MISSA IN NATALE DOMINI.

NAtivitatis Dominicæ ſplendidum diem, in quo ſalutis noſ-

a Sic Evangelium de genealogia Domini breviatur in veteri codice, & in aliis nonnullis antiquis Miſſalibus.

b Notanda hæc ſecunda lectio Evangelii pro vigilia Natalis Domini, forſan ad libitum varianda.

c Unica hæc Miſſa pro die ipſo Nativitatis Domini.

træ inſtitutor & redemtor mortis legem calcavit, humani generis membra ſuſcepit, debita fratres dilectiſſimi ſollemnitate veneremur, rogantes, ut qui ad redemtionem noſtrorum criminum natus eſt, ipſe ſit cuſtos perpetuus ad ſalutem.

Collectio.

Spes unica vitæ noſtræ & fidei remunerator, æterne Deus, Pater omnipotens, qui per unicum Filium tuum ſalvare dignatus es mundum: naturæ carnis adſumtione miſcetur, ut qui Deus erat ex Deo Patre, homo quoque eſſet ex matre, ex te ſine tempore, ex illa ſine ſemine: reſpice nos, & adeſto precibus noſtris, & præſta, ut qui adventum Filii tui humilem cum gaudio colimus, in gloria venientem cum lætitia mereamur aſpicere.

Poſt nomina.

Chriſte Domine, qui te exinaniſti, ut nos adimpleres; qui humiliaſti te, ut nos exaltares: ut qui eras ante Virginem eſſes ex Virgine; ex Deo Patre natus Deus ante ſæcula, hodie homo naſcereris ob ſæcula: te oramus, & petimus, ut preces noſtras placatus exaudias.

Ad Pacem.

Deus antiqua exſpectatio gentium, qui oracola Prophetarum in luce Evangelii poſuiſti, qui languores noſtros curaturus cæleſtis medicus adveniſti. Nam quis te poſſit agnoſcere, niſi ipſe voluiſſes agnoſci? tribue quæſumus, ut communicatio præſentis oſculi perpetuæ proficiat caritati.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus Incarnationis natalem hodie celebramus, per quem annua feſtivitate lucem gentium genuiſſe teſtaris: quem Prophetæ cecinerunt naſciturum Emmanuhel, Nobiſcum Deus: quem Angelus nunciavit creatorem carnis in carnem venturum: quem natum pro ſalute univerſorum multitudo cæleſtis exercitus divinis laudibus honoravit: quem credentium pia fides agnovit & tenuit. Te ergo quæſumus Domine Deus noſter exaudi, tuere, ſanctifica plebem tuam, quam ad celebrandam præſentis ſollemnitatis beatitudinem congregaſti, univerſiſque notitiæ tuæ [gratiam] participatione ſancti Spiritus propiciatus infunde, per illam exſpectatam ſanctis tuis adventus tui gloriam, per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

---

a LEGENDA IN SANCTI STEFANI MISSA.

Lectio Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRattres, Nolo vos ignorare, quia ſæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum uſque adhuc, ut aliquem fructum habeam in vobis, ſicut in ceteris gentibus. Græcis ac barbaris, ſapientibus & inſenſatis debitor ſum, & in vobis evangelizare. Non enim erubeſco ſuper Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Judæo primum, & Græco. Juſtitia enim Dei in eo revelabitur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Juſtus autem ex fide vivit in Chriſto Jeſu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

CUm veniſſet Dominus Jeſus Capharnaum, acceſſerunt qui dracma accipiebant, & dixerunt Pe-

a Hic titulus ſecunda manu, ſed antiqua adjectus eſt, at neceſſarius.

tro : Magiſter veſter non ſolvit didracma ? Ait : Etiam. Et cum intraſſet domum, prævenit eum Jeſus dicens : Quid tibi videtur, Simon ? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel cenſum ? a filiis ſuis, an ab alienis? Ab alienis. Dixit illi Jeſus : Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare ; & mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcenderit tolle, & aperto ore ejus inveniens ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te.

MISSA SANCTI STEFANI.

DEus omnipotens, qui Eccleſiæ tuæ ſanctum Stefanum martyrem primum meſſis tuæ manipulum dediſti, & primitivam oblationem novellæ confeſſionis oſtendiſti præconem, quod fructus matureſcentes exhibuit ; præſta univerſo cœtui interceſſione Martyris meriti, ut Eccleſiam tuam juvet ſuffragio, quam ornavit miniſterio.

Collectio.

Domine qui ambulante de virtute in virtutem ſancto Stefano martyri tuo aperuiſti cælos ad gloriam contemplationis, quos ei aperueras ad meritum ſanctitatis, ut confeſſionis ſuæ fructum caperet : oſtende nobis ſuffragio ejus miſericordiam tuam.

Poſt nomina.

Domine Jeſu, a quo ſuum ſpiriritum ſuſcipi martyr Stefanus poſtulavit : tu præſentis hujus ſollemnitatis placatus oblatione, & viventibus veniam, & quieſcentibus concede requiem ſempiternam.

Collectio ad Pacem.

Deus pacis conditor, Deus indulgentiæ remunerator, qui ſancto martyri tuo Stefano in paſſione largitus es, ut imbrem lapidum clementer exciperet, & pro lapidantibus ſe ſupplicaret : pietatem tuam Domine ſupplices deprecamur, ut peccatorum veniam conſequamur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui ita militi ſuo fidei [a] armata aſtutia, ut pro illo certare non differat. Hic eſt beatus ille Stefanus, corona nominis & divinæ gratiæ conſecratus. Hic eſt præſens paſſionis Domini & Salvatoris noſtri conſors, apoſtolicæ dignitatis [culmen] attigit, mox prædicationis Dominicæ & teſtis veritatis eſſe non diſtulit. Dum ab impiis Judæis ſæviſſimis ictibus cæderetur, ille precem pro eis fundebat ad Dominum. Rogo, inquit, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Dum terrena tamen terris membra commendat, cæleſtem ſpiritum angelicis manibus evexit ad cælum. Per quem maj.

Lectio Apocalypſis ſancti Johannis legenda in [b] *Miſſa Infantum.*

EGo Johannes vidi in ſpiritu quæ oportet fieri cito. Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant ; & clamabant voce magna dicentes : Uſquequo Domine ſanctus & verus, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? Et datæ ſunt ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis ut requieſcerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conſervi eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.

[a] Forte *arma dedit contra aſtutiam.*
[b] Eadem lectio pro Miſſa hujus feſti in Lectionario Luxovienſi.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis apparuit Angelus Domini in ſomnis Joſeph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui conſurgens accepit puerum & matrem ejus nocte, & receſſit in Ægyptum; & erat ibi uſque ad obitum Herodis. ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filium meum, quoniam Nazaræus vocabitur

MISSA IN SANCTORUM INFANTUM.

a DEus cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, & gaudia æterna nobis largiri concede.

Collectio.

Deus lactentium fides, ſpes infantium, caritas puerorum, qui per innocentium laudem cunctos provocas ad ſalutem; infunde in nobis puritatem lactentis infantiæ, concede doctrinam.

Poſt nomina.

Deum omnipotentem oremus, qui Bethlemiticæ plebi ac Dominicæ civitati pro temporalibus ærumnis gaudia æterna tribuit, ut Rachel ſancta plorans, quæ proferebat ex dolore gemitum, nollet ex conſolatione ſolatium: quæ licet videretur de præſente infantum amiſſione conterrita, erat tamen de martyrii beata perpetuitate ſecura.

Ad pacem.

Deus, qui martyrio & innocentia parvulorum triumphalem hunc diem eſſe feciſti; exempla ad augendam fidem eccleſiarum tuarum proficientibus exaudire digneris.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui rutilante fonte in Betthelem civitate Infantes, qui ætate loqui non poterant, laudem Domini cum gaudio reſonabant: occiſi prædicabant quod vivi nequiverant loquentes: Infans Chriſtus tranſmittit ad cælos nova exſenia Patri, primitias exhibet genitori, per Chriſtum Dominum noſtrum.

[b LECTIONES IN FESTO APOSTOLORUM JACOBI ET JOHANNIS.]

Lectio actuum Apoſtolorum.

IN diebus illis miſit Herodes Rex ut affligeret quoſdam de eccleſia. Occidit autem Jacobum fratrem Johannis gladio: videns autem quia placeret Judæis, adpoſuit adprehendere & Petrum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis accedens ad Dominum Jeſum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Dominus Jeſus dixit ei: Neſcitis quid petatis. Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibe-

a Collectio hæc partim eadem in Ordine Gregoriano.

b Hunc titulum, qui in codice deeſt, idem ſupplevimus. Epiſtola non videtur integre deſcripta, ut aliquoties infra. Evangelium in lectionario Luxovienſi, ſed ex Marco,

tis; ſedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.

a MISSA JACOBI ET JOHANNIS.

ELectionis Dominicæ præclarum teſtimonium, atque apoſtolicæ congregationis mirabile ornamentum, & evangelicæ veritatis cæleſte præconium ſanctos Dei apoſtolos & martyres Jacobum & Johannem, Dominum deprecemur: ut qui illis apoſtolatus gratiam vel martyrii dedit coronam, nobis quoque concedat veniam peccatorum.

Collectio.

Deus qui beatiſſimis apoſtolis tuis Jacobo & Johanni gloriam martyrii, bibitionis tui calicis prædixiſti, ut & confirmares reſponſionem, quam fides pura protulerat: proſit patrociniis, ut digneris exaudire ſuffragiis.

Poſt nomina.

Domine, quem vocantem ſancti apoſtoli Jacobus & Johannes fide integra ſunt ſecuti, & quem ſequentes caritate integra ſunt electi, ut mundi piſcatores fierent, qui profundi retia reliquiſſent: auribus percipe quæſumus orationem noſtram, ut dum adſequi eorum facta non poſſumus, implere ſaltim monita pertendamus.

Collectio ad pacem.

Domine æterne, cui ita in ſanctis apoſtolis tuis Jacobo & Johanne placuit arcanum diſpenſationis implere, ut glorioſo paſſionis exemplo Apoſtolorum, quorum ille præcederet, iſte præmitteret.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, ut apoſtolos tuos Jacobum & Johannem meritis ſuffragantibus preces noſtras propitius exaudias, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui eſt ſanctorum omnium virtus & gloria, victoria martyrum & corona, Paſtor ovium, & hoſtia ſacerdotum; redemtio gentium & propiciatio peccatorum, ipſe Dominus ac redemtor noſter, ante cujus ſacratiſſimam ſedem ſtant Angeli, ad...

[LECTIONES *b* IN CIRCUMCISIONE DOMINI]

Epiſtola Pauli Apoſtoli ad Philippenſes.

FRatres, videte circumciſionem. Nos enim ſumus circumciſio, qui *b* ſpiritu Dei ſervimus & gloriamur in Chriſto Jeſu, & non in carne fiduciam habentes. quamquam ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis; circumciſus octava die, ex genere Iſraël, de Tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, ſecundum æmulationem perſequens Eccleſiam Dei.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

DIebus illis poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur, vocatum eſt nomen

a Ordine præpoſtero poſt Miſſam Innocentum ponitur hæc Miſſa, quæ eadem eſt atque hic uſque ad Conteſtationem in Miſſali Gothico, ſed prolixior, inſcripta, *Miſſa in natale apoſtolorum Iacobi & Iohannis.*

b Et hic titulus deeſt in veteri exemplari, ſed neceſſario ſupplendus. Idem obſerva de aliis titulis, quos anſulis incluſos habes.

c Legebat Auguſtinus *Spiritui* in Sermone CLIX ad populum num. I. ubi ſubdit: *Scio pleroſque codices habere*, QUI SPIRITU DEO SERVIMUS.

ejus Jesus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur. Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, ut ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.

MISSA DIE CIRCUMCISIONIS DOMINI.

DOminum noſtrum Jeſum-Chriſtum, fratres cariſſimi, humiliter deprecemur, qui infinita ejus miſericordia in ſalutare ſuo nos viſitavit, in paſſione redemit, vitiaque noſtra a nobis circumciſit, & omnia idola deſtruxit, malaque diſcuſſit.

Collectio.

Exaudi nos Domine, ſempiterna Trinitas Deus, qui propter hominum peccata carnem adſumere dignatus eſt. Dies enim octava eſt à tua nativitate, quo circumciſionem Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum filium tuum poſuiſti pro nobis, & regnum idolatriæ deſtruxiſti, viam veritatis docuiſti, legem impleſti, Joſep & Mariam in herimo ſatiaſti: te obſecramus Domine, ut à peccatis hujus ſæculi nos liberare digneris.

Poſt nomina.

Sanctorum omnium Deum Patrem omnipotentem deprecemur, ut oblationes famulorum ac famularum ſuarum placido ac ſereno vultu reſpicere digneris.

Ad pacem.

Chriſtum Dominum deprecemur, quem adorant Magi, prophetarum vaticinia conplentur, veniunt ex oriente legati, fides gentium declaratur: circumciditur octava die circumciſionis inventor: ad templum ducitur offerendus qui eſt adorandus in templo.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, propterea exultemus uberius, quia ſcimus in hodiernum diem ſalutaris fieri natalis octavum legitimum Domini ſecundum carnem geniti circumciſione ſignatum: quia ſicut mortalitatem noſtram adſumſit ut mortem conſumeret, ita & jugum legis in ſua carne ſuſcepit ut noſtra cervice diſcuteret, quia pro univerſitate humani generis Salvator advenerat. quem laud.

[LECTIONES IN EPIPHANIA]

Epiſtola Pauli Apoſtoli ad Titum.

FRatres, apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, exſpectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Domini & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

a DIebus illis venit Dominus Jeſus in Jordanem ad Johannem, ut baptizaretur ab eo. Johannes autem prohibebat eum dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondens autem Dominus Jeſus dixit ei: Sine modo. ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc dimiſit eum. Baptizatus autem confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam

a Eodem modo Evangelium hoc die in Lectionario Luxovienſi contextum eſt ex tribus Evangeliſtis Matthæo, Luca, & Johanne.

venientem ſuper ſe, & vox de cælis dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. * Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum xxx. ut putabatur filius Joſep. * Et die tertio nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ, & erat mater Jeſu ibi. Vocatus eſt autem Dominus Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino dicit mater Jeſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Dominus Jeſus: Quid mihi & tibi eſt, mulier? nondum venit hora mea. Dicit mater ejus miniſtris: Quodcumque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ ſecundum purificationem Judæorum, capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis Dominus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factum, & non ſciebat unde eſſet; miniſtri autem ſciebant qui hauriebant aquam; vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Dominus Jeſus in Cana Galileæ, & manifeſtavit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli ejus.

* *Luc. 3. v. 23.*

* *Iohannis cap. 2. v. 1.*

Missa in *a* Ephyfania.

DEum qui ſanctam huic Ephyfaniæ feſtivitatem nomen de mirabilibus dedit, fratres cariſſimi, per miſericordiam Domini Dei noſtri Jeſu-Chriſti ſuppliciter deprecemur, ut ſicut hodierna ſollemnitas & Apparitio, & Inluminatio, & Declaratio, ex miraculo aquæ in vinum verſæ, ita in populo ſuo eſt, ut claritas majeſtatis ſuæ ſine ceſſatione fulgeat, & ſanctitatis lumen ſemper appareat, ut plebs iſta ſuo nomine conſecrata permaneat.

Collectio.

Deum qui ſanctificavit Jordanis fluenta, benedixit conjugia nuptialia, fratres cariſſimi deprecemur, ut cujus miracula annuis recolimus vicibus, ſola ejus gratia mereamur indulgentiam peccatorum.

Poſt nomina.

Deus qui dives es in omnibus miſericordia, Pater gloriæ, qui poſuiſti Filium tuum, lumen in nationibus, prædicare captivis redemptionem, cæcis viſum, remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem, qui es in Chriſto largus miſerator, indulges.

Ad Pacem.

Deus, qui per unigenitum Jeſum-Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum hodie ſanctificationem ſalutis æternæ aquis regenerantibus præſtitiſti, & veniente ſuper caput illius ſpiritali columba, per Spiritum-ſanctum ipſe veniſti: dona quæſumus, ut veniat ſuper hanc omnem eccleſiam tuam illa benedictio, quæ cunctos jugiter protegat.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, quia notam feciſti in populis miſericordiam tuam, & ſalutare tuum cunctis gentibus declaraſti, hodiernum declarans diem, in quo adoranda veri Regis infantia excitatos de remotis partibus viros clarior ceteris ſideribus ſtella perduceret, & cæli ac terræ Dominum corporaliter natum, radio ſuæ lucis oſtenderet. Propterea profuſis gaudiis totus

a *Ephiphania* etiam ſcribitur tum in Lectionario Luxovienſi, tum in Miſſali Gothico.

totus per orbem terrarum mundus exultat. Sed & ſupernæ concinunt poteſtates, hymnum gloriæ tuæ ſine ceſſatione dicentes. Sanctus.

[*a* LECTIONES IN CATHEDRA SANCTI PETRI.]

Epiſtola Petri apoſtoli ad Gentes.

FRatres, benedictus Deus & pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regeneravit nos in ſpem vitæ, per reſurrectionem Jeſu-Chriſti ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem & incontaminatam, & inmarceſſibilem, conſervatam in cælis.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

b TEmpore illo venit Dominus Jeſus in partes Cæſareæ Philippi, & interrogavit diſcipulos ſuos, dicens: Quem me dicunt homines eſſe filium hominis? Qui dixerunt: Alii Johannem Baptiſtam, alii Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Dixit autem illis Dominus Jeſus: Vos vero quem me eſſe dicitis? Reſpondens Simon Petrus dixit ei: Tu es Chriſtus filius Dei vivi. Reſpondens autem Dominus Jeſus dixit ei: Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi; ſed Pater meus qui in cælis eſt. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum: & quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.

MISSA IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

BEatiſſimi Petri apoſtoli ſollemniſſimum diem, in quo omne jus Gentium Judæorumque ſortitus eſt, quem diem ipſa divinitas conſecravit delegando cælorum claves, vel pontificalis cathedræ contulit dignitatem, fratres cariſſimi, exultantes in Domino [celebremus,] deprecantes ejus miſericordiam: ut ſicut beato Petro principalia munera contulit; ita & nobis peccatorum commiſſa concedat.

Collectio.

c Deus qui hodierna die beatum Petrum poſt te dediſti caput Eccleſiæ, cum te ille vere confeſſus ſit, & ipſe à te digne prælatus ſit, te ſupplices exoramus: ut qui dediſti Paſtorem, ne quid de ovibus perderes, ut grex effugiat errores; ejus interceſſione quem *d* feciſti ſalvifices.

Poſt nomina.

Deum qui beato Petro tantam poteſtatem diſcipulo contulit, ut ſi ipſe ligaverit, non ſit alter qui ſolverit; & quæ in terra ſolverit, item cælo ſoluta ſint, precibus imploremus: ut eductis à tartaro defunctorum ſpiritibus, non prævaleant ſepultis inferni portæ per crimina, quas

a Nihil hic de ſancta Genovefa, ſic vero in Lectionario Luxovienſi. Illud obſervatione dignum, quod Cathedra ſancti Petri hoc loco præcedit feſtum Aſſumtionis beatiſſimæ Virginis, quod die XVIII Januarii olim celebrari mos erat. Ergo etiam Cathedra in Januario, ut validis argumentis probatum in notis ad Lectionarium Luxovienſe, quod vel ex ſolo hoc loco conficitur.

b Idem Evangelium hac die in Lectionario Luxovienſi, ſed aliqua ibi addita ex Johanne, quæ hic non adduntur.

c Quæ ſequuntur ex hoc officio Cathedræ ſancti Petri, eadem ſunt in Miſſali Gothico.

d In Miſſali mox dicto legitur, *præfeciſti.*

per Apoſtoli fidem vinci credit Eccleſia.

Ad Pacem.

Clementiſſime conditor, qui tanta caritate ſuccendiſti diſcipulum, ut ſe de nave jactatum ad te celere feſtinaret pede nudo per pelagus; & videns hanc dilectionem, claves ei dares ſiderum, voces inſpice ſuggerentum. *a*

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, qui dives infinitæ clementiæ copioſo munere plaſmam tuæ creaturæ in tantum dignaris erigere, ut vernaculo limi compatiens, homini de terrena compage claves cæli committeres, & ad judicandas tribus ſolium excelſæ ſedis in ſublimi conponeres. Teſtis eſt dies hodierna beati Petri cathedra Epiſcopatus expoſita, in qua fidei merito revelationis myſterium *b* fidei, Filium Dei confitendo, prælatus Apoſtolus ordinatur, in cujus confeſſione eſt fundamentum Eccleſiæ: nec adverſus hanc Petram portæ inferi prævalent, [nec ſerpens veſtigium exprimit, nec triumphum mors obtinet.] Quid vero beato Petro diverſo ſub tempore acceſſit laudis & gloriæ, [quæ vox, quæ lingua, quis explicet?] Hinc eſt quod mare tremulum fixo calcat veſtigio, & inter undas liquidas pendula planta perambulat. Hic ad portam Specioſam contracti tendit veſtigia, & tactus Petri digito claudus non indiget baculo. Hic carceratus dum dormitat, Chriſtus pro ipſo pervigilat, & retruſus ergaſtulo, foras procedit per Angelum. Hic paralyticum erexit decubantem in lecto: hic Tabitam mulierem revocavit de funere, & virtutem imperante, *c* morti prædari non licuit, per Chriſtum Dominum.

---

d In Missa sanctæ mariæ.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Epheſios.

FIlii, obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim eſt juſtum. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram. Et parentes, nolite ad iracundiam provocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. Servi obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placeatis: ſed ut ſervi Chriſti faciatis voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſervientes, ſicut Domino & hominibus, ſcientes, quoniam unuſquiſque quodcumque fecerit bonum, hoc percipiet à Domino, ſive ſervus, ſive liber. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quia illorum & veſter Dominus eſt in cælis.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

TEmpore illo ibant parentes Jeſu per omnes annos in Hieruſalem in die ſollemni Paſchæ. Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſ-

a Poſt hæc additur ibidem, *ut quicumque ex præcepto junguntur ad oſculum, livore pectoris excluſo illuc per gratiam ducantur, quo cæli Petrus eſt janitor. Præſta Salvator mundi &c.*

b Deeſt *fidei* repetitio in Miſſali Gothico. Anſulis incluſa indidem ſupplentur.

c In Gothico, *virtute imperante prædari non licuit.* Poſt quæ nonnulla ibidem adduntur.

d Hic titulus alia manu adjectus eſt, ſed antiqua. Fuerint proinde hæ lectiones pro vigilia Aſſumtionis, quæ *ſancta Mariæ ſollemnitas* appelletur infra: aut certe pro quovis alio ejus feſto præter Aſſumtionem, quæ ſequitur.

cendentibus illis in Hieruſolyma ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatiſque diebus, cum redirent, remanſit puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non invenientes regreſſi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum invenerunt illum in templo, ſedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem. Stupebant autem omnes qui eum audiebant ſuper prudentia & reſponſis ejus. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Neſciebatis, quia in his quæ patris mei ſunt oportet me eſſe?

MISSA IN SANCTÆ MARIÆ SOLLEMNITATE.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui terrenis corporibus Verbi tui veritatem per venerabilem Maram conjungi voluiſti; petimus inmenſam clementiam tuam, ut quod in ejus veneratione depoſcimus, te propiciante mereamur conſequi.

Collectio.

Exaudi nos Domine, ſancte Pater, omnipotens Deus, qui beatæ Mariæ uteri obumbratione cunctum mundum inluminare dignatus es: majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut quod noſtris meritis non valemus, ejus adipiſci præſidiis mereamur. Te quæſumus Domine famulantes, ut beatæ Mariæ nos gaudia comitentur, cujus meritis noſtra deleantur chirographa peccatorum.

Poſt nomina.

Offerimus Domine preces & munera in honore ſanctæ Mariæ gaudentes: præſta quæſumus, ut & convenienter hæc agere, & remedium ſempiternum valeamus adquirere.

Ad pacem.

Altario tuo Domine propoſita munera Spiritus-ſanctus benignus adſumat, qui beatæ Mariæ viſcera ſplendoris ſui veritate replevit.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus. Qui nos mirabile myſterium & inenarrabile ſacramentum per venerabilem Mariam ſervare docuiſti, in qua manet intacta caſtitas, pudor integer, firma conſcientia. Nam in hoc matrem Domini ſui Jeſu ſe eſſe cognovit, quia plus gaudii contulit, quam pudoris. Lætatur ergo quod virgo concepit, quod cæli Dominum clauſis portavit viſceribus, quod virgo edidit partum. O magna clementia Deitatis! quæ virum non novit & mater eſt, & poſt filium virgo eſt. Duobus enim gaviſa eſt muneribus: miratur quod virgo peperit; lætatur quod edidit Redemtorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Per quem. Sanctus.

Lectio Apocalypſis ſancti Iohannis.

ET vidi, & ecce agnus ſtabat ſuper montem Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor milia habentes nomen ejus, & nomen patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis. Et audivi vocem de cælo, tamquam vocem aquarum multarum, & tamquam vocem tonitrui magni; & vocem quam audivi, ſicut cytharoedorum cytharizantium in cytharis ſuis. Et cantabant quaſi canticum novum ante ſedem, & ante quattuor

animalia, & ſeniores : & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quattuor milia qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt : hi qui ſequuntur Agnum quocumque abierit. Hi empti enim ſunt ex hominibus, primiciæ Deo & Agno, & in ore ipſorum non eſt inventum mendacium : ſine macula ſunt. Vidi Angelum volantem per medium cælum, habentem Evangelium æternum, ut evangelizet ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem & tribum, & linguam, & populum, dicens magna voce : Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus : & adorate eum qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Lucam.

a FActum eſt autem dum iret Dominus Jeſus, intravit in quoddam caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domo ſua. Et huic erat ſoror, nomine Maria, quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius. Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Quæ ſtetit & ait : Domine non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et reſpondens dixit illi Jeſus : Martha, Martha ſollicita es & turbaris circa plurima. Porro unum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

MISSA IN ADSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

b GEneroſæ diei dominicæ Genetricis inexplicabile ſacramentum, tanto magis præconabile ſacramentum, quantum inter homines adſumptione Virginis ſingulare, apud quam vitæ integritas obtinuit filium, & mors non invenit par exemplum; nec minus ingerens ſtuporem de tranſitu, quam exultationem ferens unico beata de partu; non ſolum mirabilis pignore quod fide concepit, fratres cariſſimi, deprecemur : ut ejus adjuti muniamur ſuffragio, quæ beata Maria de partu clara, de merito felix prædicatur poſt tranſitum.

Secreta.

Deus univerſalis, qui in ſanctis ſpiritaliter, in Matre vero virgine etiam corporaliter habitaſti; caritate decens, pace gaudens, pietate præcellens; ab Angelo gratia plena, ab Helizabet benedicta, ab gentibus prædicatur beata : cujus nobis fides myſterium, partus gaudium, pacem quam in adſumtione matris tunc præbuiſti diſcipulis, nobis miſerere ſupplicibus.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Quo fidelis Iſraël egreſſa eſt de Ægypto; quo virgo Dei genetrix Maria de mundo migravit ad Chriſtum, *c* germine glo-

a Hoc Evangelium modo etiam legitur in Aſſumtione Deiparæ: aliud in Lectionario Luxovienſi ex Lucæ cap 1. *Exſurgens Maria &c.* In vetuſtiſſimo Kalendario S. Cyriaci ad Thermas notatur XV. *Kal. Febr. Depoſitio ſancta Mariæ Virginis, matris D. N. J. C.*

b Eædem orationes in Lectionario Luxovienſi, ſed illic prolixiores, & aliæ plures. Conteſtatio fere eadem. Omiſſa hic *Collectio poſt nomina.*

c. Addit Miſſale Gothicum, *Quæ nec de corruptione ſuſcepit contagium, nec reſolutionem pertulit in ſepulcro : pollutione libera, germine* &c.

rioſa, adſumtione ſecura, paradiſi dote prælata, damna de coetu, ſumens vota de fructu; non ſubdita labori per partum, non dolori per tranſitum; ſpecioſus thalamus, de quo decorus procedit ſponſus, lux gentium, ſpes fidelium, prædo dæmonum, confuſio Judæorum, vaſculum gloriæ, templum cæleſte: [cujus juvenculæ melius prædicantur] merita, cum veteris Evæ conferentur exempla. Si quidem iſta mundo vitam protulit; illa legem mortis invexit: illa prævaricando nos perdidit; iſta generando ſervavit: illa nos pomo arboris in ipſa radice percuſſit; ex hujus virga flos exiit, qui nos odore refecerit, & fruge curarit: illa maledictione in dolore generat; iſta benedictione in ſalute: illa perfidia ſerpenti conſenſit, conjugem decepit, prolem damnavit. *a* niſi etiam tali matri adornaſſet egreſſum. Recte ab ipſo ſuſcepta es in adſumtione feliciter, quem pie ſuſcepiſti conceptura per fidem: ut qui terræ non eras conſcia, te non teneret rupis incluſa. Vere diverſis infolis anima redimita, cui Apoſtoli ſacrum reddunt obſequium, Angeli cantum, Chriſtus amplexum, nubis veicolum, adſumptio paradiſum, in choris virginum gloria tenens principatum, per quem laudant Angeli.

LECTIO LIBRI REGUM QUÆ LEGITUR *initio* b *Quadraginſimæ*.

TEmpore illo venit Elias in Berſabee Juda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſerto viam unius diei. Cumque veniſſet, & ſediſſet ſubter unam juniperum, petivit animæ ſuæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam. Neque enim melior ſum quam patres mei. Projecitque ſe, & obdormivit in umbra juniperi. Et ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit; & rurſum obdormivit. Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexit, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius XL diebus, & XL noctibus uſque ad montem Dei Oreb. Cumque veniſſet in ſpelunca, & ecce ſermo Domini ad eum, dixitque ei: Quid hic agis Helia? At ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt filii Iſraël pactum tuum, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus; & quærunt animam meam ut auferant eam. Et ait ei: Egredere, & ſta in monte coram Domino. Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum. Non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritum commotio: non in commotione Dominus. Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus. Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis: ibi Dominus. Quod cum audiſſet Helias, operuit

a Hic multa ſupplenda ſunt ex Miſſali Gothico.

b Hic *Quadraginſimæ* vocabulum: & ita ſcribendum more illius temporis, patet ex ſequentibus, & ex Lectionario Luxovienſi ac Miſſali Gothico. Nihil hic de Septuageſima, Sexageſima, & Quinquageſima. Lege adnotata ad Lectionarium Luxovienſe pag. 123. In Gothico pariter legitur *Ordo Miſſæ in initium Quadraginſimæ*, id eſt pro Dominica prima, aut die ſequenti, ut conjicimus. Necdum enim Quadrageſima tunc incipiebat à Feria IV Cinerum.

vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Helia? Et ille reſpondit: Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Iſraël. Altaria tua deſtruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio; & derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam ut auferant eam. Et ait Dominus ad eum: Vade, revertere viam tuam per deſertum in Damaſco.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios.

In [a] *Quadraginſima.*

FRatres, ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed exhibeamus in omnibus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu-ſancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma juſtitiæ à dextris & ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut ſeductores & veraces; ſicut qui ignoti, & cogniti; quaſi morientes, & ecce vivimus; ut caſtigati, & non mortificati; quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes; ſicut egentes, multos autem locupletantes; tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: Adtendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Cum ergo facis eleëmoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt in ſynagogis & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, ut ſit eleëmoſyna tua in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio tuo, ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui ſicut hynici, putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo adſimilari eis. Scit enim Pater veſter quibus opus ſit vobis, antequam petatis eum.

MISSA QUADRAGINSIMALIS.

OMnipotens æterne Deus ut quadraginſimale hoc jejunium & competentibus inchoemus obſequiis, & tibi placitis effectibus celebremus, humani generis Conditor & Redemtor largire propitius, & continentiam noſtræ ſalutis miſericors exaudias. Per.

[a] Eadem lectio hic in Luxovienſi Lectionario, in quo deficiunt ea quæ pertinent ad ſequentes Quadrageſimæ dies.

Collectio.

a Deus abſtinentiæ, Deus caſtimoniæ, qui libenter jejunantium humilitate placaris, & humiliantium ſe precibus benignus inflecteris: exaudi preces noſtras in hac hodierna die, quo quadraginſimale inchoamus jejunium: & diverſarum turbationum, quibus gradimur, tempeſtate diſcuſſa, continentiam nobis a vitiis tuæ benignitatis infunde.

Poſt nomina.

Unianimes atque concordes Dominum Deum noſtrum, fratres cariſſimi, deprecemur, ut jejunium noſtrum ſit remiſſio peccatorum, & dono gratiæ ſuæ caſtigationem corporum profectus mentium conſequantur. Per.

Ad Pacem.

Jejunia noſtra, quæſumus Domine, ut nos a reatibus noſtrorum criminum ſolvant, & tuam nobis juſtitiam faciant eſſe placabilem, & concordes nos vinculo per complexum oſculi nectant.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui eſt filius tuus unigenitus, manens in gloria tua, in quo jejunantium fides alitur, ſpes provehitur, caritas roboratur. Ipſe eſt enim panis vivus & verus, qui de cælo deſcendit, & habitat ſemper in cælo, qui eſt ſubſtantia æternitatis, & eſca virtutis. Verbum enim tuum, per quod facta ſunt omnia, non ſolum humanarum mentium, ſed & ipſorum quoque panis eſt Angelorum. Hujus panis alimento Moyſes famulus tuus quadraginta diebus & noctibus legem accipiens jejunavit, & a carnalibus cibis, ut tuæ ſuavitatis capacior eſſet, abſtenuit, de verbo tuo vivens: cujus dulcedine vivebat in ſpiritu, & lucem accipiebat in vultu. Unde nec famem corporis ſenſit, & terrenarum eſt oblitus eſcarum: quia illum gloriæ tuæ clarificabat aſpectus, & influente ſpiritu Dei ſermo paſcebat Hunc panem, Domine, nobis miniſtrare non deſinas, quem ut *b* ſitiamus indeſinenter hortaris: CUJUS CARNE A TE IPSO SANCTIFICATA DUM PASCIMUR, roboramur; ET SANGUINE DUM POTAMUR, abluimur, per Chriſtum Dominum noſtrum.

---

c *Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios, legenda in Jejunio.*

FRatres, libenter ſuffertis, ſecundum ignobilitatem dico, quaſi nos infirmi fuerimus, in quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego: Iſraheliæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego: miniſtri Chriſti ſunt, ut minus ſapiens dico, plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquenis quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis

a Eadem Collectio in Miſſali Gothico, eademque ut infra Conteſtatio ibidem pag. 229.

b Forte legendum, *eſuriamus*.

c Epiſtola hæc in Ordine Romano legitur Dominica Sexageſimæ.

frequenter, in frigore & nuditate; ſollicitudo omnium eccleſiarum in Chriſto Jeſu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

a D. Cum jejunatis, nolite fieri, ſicut hypocritæ, triſtes. Exterminant enim facies ſuas, ut pareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, ſed Patri tuo, qui eſt in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

ITEM MISSA JEJUNII.

b OMnipotens ſempiterne Deus, qui nobis in obſervatione jejunii & eleemoſynarum ſemine, poſuiſti noſtrorum remedia peccatorum: concede quæſumus nos opere mentis & corporis ſemper tibi eſſe devotos.

Collectio.

Deus qui ad animarum medellam jejunii devotione caſtigare corpora præcepiſti: concede quæſumus ut corda noſtra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, quatenus ab omnibus ſemper poſſimus abſtenere peccatis.

Poſt nomina.

Deus omnium pie jejunantium ſpes, ſalus, gloria, præſta, ut impoſita altaribus tuis munera, quæ pro noſtris noſtrorumque peccatis ſtudio piæ devotionis offerimus, propicius & benignus aſpicias, benedicendo benedicas, & nobis ſanctificata cuſtodias.

Ad Pacem.

Deus qui ad hoc nobis dignatus es donare jejunium, ut abſtinentia & caſtigatione carnali in fide inveniamur ſtabiles, in operibus efficaces; jejunia noſtra ſuſcipiens da nobis, ut ſine diſceptationis *c* impuritate in dilectione ſinceri, manus noſtras ad te puras levare poſſimus.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, tibi ſanctificare jejunium, quod nobis ab initio ſæculi ſervare docuiſti. Magnam enim in hoc munere corporibus gratiam contuliſti: quod ſi illa humani generis mater interdictam ſibi arborem cuſtodiſſet, immortalitatem retinuiſſet & patriam. Sed peccatum matris antiquæ, quod inlicita ligni vetiti uſurpatione conmiſit, & noſtris oramus abſolve jejuniis: ut qui de paradiſo non abſtinendo cecidimus, eodem nunc jejunando redeamus, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectit omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unuſquiſque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus: ſed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel ſcandalum. Scio & confido in Domino Jeſu. Si enim propter cibum frater tuus contriſtatur, jam non ſecundum caritatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo

a Id eſt, *Dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis.*

b Hæc item Collectio in Gothico pro ſecunda *Miſſa Jejunii:* ubi non aliter quam hic Miſſæ inſcribuntur, non, ut ſolet, pro Dominica prima, ſecunda, tertia &c. ſed, *item alia Miſſa Jejunii.* In eodem Gothico habentur tantum ſex Miſſæ ante Miſſam *in Symboli traditione*, quæ fiebat in Dominica Palmarum: neque hic plures.

c Legebatur in exemplari, *diſceptatione puritate.* ſed manifeſtum mendum hoc modo indubie ſanandum.

Chriſtus

Chriſtus mortuus eſt Non enim blaſphemetur bonum noſtrum. Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu-ſancto. Qui enim ſervit Deo, probatus eſt hominibus.

Lectio ſancti a *Evangelii ſecundum Matthæum.*

Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro otioſos, & illis dixit: Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum exiit circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa undecimam vero exiit, & invenit alios ſtantes, & dicit illis : Quid hic ſtatis tota die otioſi ? Dicunt ei, quia nemo nos conduxit. Dicit illis : Ite & vos in vineam. Cum ſero autem factum eſſet, dicit dominus vineæ procuratori ſuo : Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos. Cum veniſſent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi : acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant adverſus patremfamilias, dicentes : Hii noviſſimi una hora fecerunt, & pares nobis illos feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus. At ille reſpondens uni eorum dixit : Amice, non facio tibi injuriam. Nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

ITEM MISSA JEJUNII.

Memores cæleſtium præceptorum, fratres cariſſimi, peccata noſtra coram Domino defleamus, ferentes in lacrymis, quod metamus in gaudiis. Simus in oratione adſidui, in jejuniis prompti, in eleemoſynis hilares : ut promiſſæ retributionis gloriam devota fide & futura operatione mereamur.

Collectio.

Tempus hoc ſacratiſſimum, fratres dilectiſſimi, vehementi devotione ac ſollicitudine celebremus, in quo Dominus noſter quadraginta dierum vel noctium curſum abſque ullo eſus juvamine ſub indumento corporis jejunavit. Nam ſicut reliquo anni tempore jejunare præmium eſt : ita in his diebus non jejunare *b* peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt jejunia ; iſta neceſſaria : illa de arbitrio ; iſta veniunt de mandato: ad illa denique invitamur ; ad iſta compellimur. Precemur ergo Dominum, ut nobis tribuat remiſſionem peccaminum. Per.

a Hoc Evangelium in Ordine Romano legitur Dominica Septuageſimæ. Idem ipſum in Africana eccleſia lectum eſt tempore vindemiæ, vivente Auguſtino, ex ſermone ad populum LXXXVII. itemque ipſo die Natalis Domini, ex ſermone XLIX. Sed hæ lectiones non erant ſolemnes pro ſacris myſteriis, ſed tantum ad ſermonis materiam : ad quam continua librorum ſacrorum lectio fiebat, ut patet ex ſermonibus CLII, CLIV, CLV, CLIX & CLXXXIII.

b Notandus hic locus de præcepto jejunii Quadrageſimalis.

Poſt nomina.

Efficiatur hæc hoſtia, Domine quæſumus, ſollemnibus grata jejuniis; & ut tibi fiat acceptior, purificatis mentibus immoletur.

Ad Pacem.

a Accepta tibi ſint, Domine quæſumus, noſtri dona jejunii, quæ expiando nos tuæ gratiæ dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus ſuppliciter exorare, ut cum abſtinentia corporali mens quoque noſtra ſenſus declinet inlicitos: & quæ terrenæ felicitatis carnalibus epulis abnegamus, humanæ voluntatis pravis intentionibus amputemus, ut ad *b* Sancta ſanctorum [pie] fideliterque capienda conpetenti jejunio [pervenire] valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, odientes mala, adhærentes bono, caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes, ſollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes, memoriis Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite, & nolite maledicere: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus; id ipſum invicem ſentientes, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes in Chriſto.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

DIebus illis, dicebat Dominus Jeſus parabolam ad diſcipulos ſuos, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, dicens. Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de adverſario meo; & nolebat per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Et ſi Deum non timeo, nec hominem revereor; tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in noviſſimo veniens, ſugillet me. Ait autem Dominus: Audite quid judex iniquitatis dicit. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? Dixit autem ad quoſdam dominus Jeſus qui in ſe confidebant, tamquam juſti, & aſpernabantur ceteros parabolam iſtam. Duo homines aſcenderunt in templum ut orarent, unus Phariſæus, & alter Publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe dicebat: Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et Publicanus à longe ſtans nolebat nec oculos ad cælum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propicius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.

ITEM MISSA JEJUNII.

DEus, cui omnis creatura pro ſuo ordine ſerviens famulatur

a Eadem fere Collectio in Romano feria tertia hebdomadæ Paſſionis.

b. Id eſt Euchariſtiam ſeu Communionem paſchalem.

ſubjecta : in hac jejunii humiliatione preces noſtras exaudi propicius.

Collectio.

Jejunii incurvatione pro noſtris reatibus & delictis miſerere quæſumus Domine, & à continuis vitiis occupatos, ad virtutes propiciatus reſpicere dignare.

Poſt nomina.

Præſta nobis miſericors Deus, ut munera noſtra pro jejunii ſanctificatione oblata Spiritus-ſanctus adſumat; & ad te toto corde clamantes propiciationis tuæ indulgentiam conſequamur. *Ad Pacem.*

Omnipotens & miſericors Deus, exaudi preces jejunantium Chriſtianorum, & miſericordiæ tuæ munus, omni ceſſante fraudulentia, propicius impende: ut per conjunctionem pacis omnes à te comprehenſam, ſecuris tibi mentibus ſerviamus.

Conteſtatio.

a Vere dignum & juſtum eſt te auctorem & ſanctificatorem jejunii conlaudare, per quod liberas à noſtrorum debitis peccatorum. Ergo ſuſcipe libens jejunantium preces, adque nos à malis omnibus propitiatus eripias; iniquitates noſtras, quibus juſte adfligimur, rogamus abſolve per Chriſtum dominum. &c.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad XII *Tribus.*

FRatres, Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe. *b*

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Iohannem.

DIebus illis dixit dominus Jeſus diſcipulis ſuis : Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet : ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert. Qui amat animam ſuam, perdit eam: qui [autem] odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtraverit, me ſequatur : & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cælis.

ITEM MISSA JEJUNII.

DOminum Deum noſtrum, fratres cariſſimi, in hac noſtri humiliatione jejunii ſupplices deprecemur : ut obſervantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam valeamus exercere ſinceris; & caſtigatio noſtrorum corporum profectui militet animarum.

Secreta.

Unianimes adque concordes dominum Deum noſtrum deprecemur: ut jejunium noſtrum ſit propiciatio noſtra, & dono gratiæ ſuæ, caſtigationem corporum profectus mentium conſequantur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt. Qui fideles tuos non ſolum cibis corporalibus paſcis, ſed etiam ſpiritalibus epulis miſericors reficis, ac præſtas, ut qui de paradiſo in primo parente per inobedientiam non abſtinendo cecidimus, per Chriſti domini noſtri obedientiam jejunando redeamus; & quibus per cibum ligni inlata mors fuerat, per crucis lignum ſalus perdita redderetur. Quem merito venerantur Sedes, mirantur Throni, cunctuſque ſenatus cæleſtium Poteſta-

a Eadem in Miſſali Gothico pag. 233.

b Hæc Epiſtola non videtur deſcripta fuiſſe integra, qualis ad Miſſam tunc recitabatur. quod etiam de quibuſdam aliis, quæ hic breviores ſunt, conjicimus.

tum cum beata Seraphim proclamant, Sanctus.

Conteſtatio de a *Joſep.*

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum dominum noſtrum. Cujus typum Joſeph portans, inmenſo amore à patre diligitur, in occulto odio à fratribus reportatur. Illum denique oderant fratres ſui propter myſteria ſomniorum: & Chriſtum dominum perſequebantur Judæi propter manifeſtationem virtutum. Ille ad viſitandum populum à Deo Patre piiſſimo deſtinatur: ille errabat per heremum, ut inveniret fratres, qui noſcebantur paſtores. Hic Chriſtus dominus prædicabat in populo, ut ab errore converteret peccatores. Illum in Dotahim vendiderunt fratres, & occidere tractaverunt: hunc Chriſtum Dominum Bethania Lazarum ſuſcitantem doluerunt Judæi, & crucifigere ſtatuerunt. Ille in ciſterna ſervandus reputatur: hic cuſtodiæ militum deputatur. Ille à fratribus; hic Chriſtus Dominus à Judæis traditur. Ille Iſmaëlitis triginta argenteis venditur in deſerto: hic Chriſtus Dominus triginta argenteis à Judæis. Illum fratres vendiderunt in Ægypto: hunc milites exſpoliaverunt. Ille addicitur ſervituti: hic Chriſtus Dominus adfigitur cruci. Ille in Ægypto deſcendit: hic Chriſtus Dominus in ligno pependit. Cum illo duo damnati ſervantur in carcere: cum Chriſto Domino duo latrones adjunguntur in cruce. Joſep damnatis ſomnia exponit: Chriſtus Dominus latroni præmia promittit æterna. Joſep de ergaſtulo egreſſus componitur: Chriſtus Dominus infernum exſpoliaturus aggreditur. Ille poſt tribulationem pervenit ad honorem: Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem triumphans aſcendit ad Patrem. Ille frumenta diſtribuit in Ægypto: hic Euchariſtiam conſecravit in mundo. Ille à fratribus eſt adoratus in terris: hic Chriſtus Dominus ab Angelis jugiter adoratur in cælis. Cui.

Conteſtatio quando de manna b *legitur.*

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus: cujus juſſu manna de cælo deſcendit, ſimilique modo de virga percuſſo ſilice aqua parturiens, & obduriſſimum ſaxum in ſtagnum manantibus rivis ſpumantibus unda ſulcabat. Nam totus iſte mundus, qui manifeſtiſſime fuit heremus, venit ad petram, id eſt Chriſtus. Crucis virga percuſſum lancea latus ejus aperuit, aquas vivas evomuit, unde ſimul bibit omnis credulitas Gentium, qui numquam ſitiet in æternum. Cui merito.

Item Conteſtatio in medio Quadraginſimæ.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus. Quem nullus potentiam Majeſtatis tuæ offenſus effugere poteſt, nec ante faciem nominis tui eriperetur læſus; qui aras ædificat in conſecratione adverſarii, ut maledicat cui tu benedicis. Quænam Balaac inſidiator petit populo maledici; ſed juſſo tuo prophetatus Balaam benedixit, laudans tabernacula Jacob, & benedicens tentoria tua Iſraël. Unde te Domine Deus omnipotens deprecamur, quia cælos tenes, & abyſſos regis, ut virga quæ egreſſa eſt de Jacob, & conſurgit

a Nempe quando Joſeph Patriarchæ hiſtoria legebatur infra.

b Id intelligendum videtur de Evangelio, quod pro tertia Dominica Quadrageſimæ aſſignatur infra.

de Iſraël, dominetur cunctis Gentibus; benedicat hereditatem, quam ſuo ſanguine acquiſivit Dominus noſter Jeſus-Chriſtus filius tuus. Cui merito.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum, quæ legitur a *initio Quadraginſimæ.*

TEmpore illo ductus eſt Dominus Jeſus in deſertum à Spiritu ut temtaretur à diabolo. Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit. Et accedens temtator dixit illi: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt, non in pane ſolo vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tunc adſumpſit eum diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim, quod angelis ſuis mandavit de te, ut in manibus tollant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi iterum Jeſus: Rurſus ſcriptum eſt, Non temtabis Dominum Deum tuum. Iterum adſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit illi: Hæc tibi omnia dabo, ſi procidens adoraveris me. Tunc dicit ei Jeſus: Vade retro ſatanas. ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Tunc reliquit eum diabolus; & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam, quando hiſtoria de b *Joſep legitur.*

HOmo quidam habuit duos filios, & dixit adoleſcentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Et diviſit illis ſubſtantiam. Et non poſt multos dies, congregatis omnibus adoleſcentior filius peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſe. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit uni civium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam ut paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Ipſe autem reverſus dixit: Quanti mercenarii patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo! Surgam, & ibo ad Deum meum, & dicam illi: Pater peccavi in cælum & coram te, & jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt: & adcurrens cecidit ſupra collum ejus, & oſcolatus eſt illum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum & coram te, & jam non ſum dignus

a Non ergo ex ordine lectiones accurate hic diſpoſitæ. Idem Evangelium hodie quoque in Romano Dominica prima Quadrageſimæ, quæ *initio Quadrageſimæ* hoc loco deſignari videtur, olim caput Quadrageſimæ etiam in eccleſia Romana, ex Notis Menardi noſtri in Sacramentarium pag. 52.

b Hæc hiſtoria nunc in Romano legitur ad Matutinas Dominica tertia Quadrageſimæ: ut Evangelium de filio prodigo Sabbato præcedente: quo die pro epiſtola Miſſæ eſt eadem Joſephi hiſtoria. Videtur autem hic aſſignari pro Dominica ſecunda Quadrageſimæ. nam præcedens eſt pro prima, ſubſequens pro tertia.

vocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſervos ſuos: Cito proferte ſtolam primam, & induite illum; & date anolum in manu ejus, & calceamenta in pedes; & adducite vitulum ſaginatum, & occidite; & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus eſt.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem, quæ legitur tertia Dominica.

DIebus illis loquentes turbæ ad Dominum Jeſum, dixerunt: Quid faciemus ut operemur opera Dei? Reſpondit Jeſus & dixit eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum quem miſit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres noſtri manna manducaverunt in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis Jeſus: Amen amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei eſt qui deſcendit de cælo, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum; Domine, ſemper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jeſus: Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet umquam. Sed dixi vobis, quia & vidiſtis me, & non creditis. Omne quod dat mihi Pater, ad me venit; & eum qui venit ad me, non ejiciam foras. quia deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me Patris: ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illum in noviſſimo die. Hæc eſt enim voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixiſſet, Ego ſum panis qui de cælo deſcendi; & dicebant: Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus nos novimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cælo deſcendi? Reſpondit ergo Jeſus & dixit eis: Nolite murmurare in invicem. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audit a Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt a Deo, hic vidit Patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt in deſerto manna, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cælo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo poteſt hic carnem ſuam nobis dare ad manducandum? Dicit ergo eis Jeſus: Amen amen dico vobis, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

---

a *In Symbolum ad aurium apertionem. ad Electos.*

APerturi vobis, cariſſimi, Evangelia, id eſt, gaudia divina; prius ordine inſinuare debemus, quid Evangelium ſit, & unde deſ-

a Hæc aurium apertio præmittebatur traditioni Symboli: quæ traditio fiebat Dominica Palmarum, ex Notis ad Lectionarium Luxovienſe.

cendat ; & cujus in eo verba ponantur ; & quare quattuor ſint qui hæc geſta ſcripſerunt ; vel qui ſunt ipſi ii quattuor , qui divino Spiritu , adnuntiante Propheta, ante ſignati ſunt : ne forte ſine hac ordinis ratione vel cauſa ſtuporem relinquamus , ut qui ad hoc veniſtis ut aures vobis aperiantur , ne incipiat ſenſus veſter obtundi. Evangelium dicitur proprie , bona adnuntiatio. Quæ utique adnuntiatio eſt Jeſu-Chriſti Domini noſtri. Deſcendit autem Evangelium ab eo quod adnuntiet & oſtendat , quod is qui per Prophetas ſuos loquebatur , venit in carne, ſicut ſcriptum eſt : Qui loquebar ecce adſum. Explicantes ergo breviter quid ſit Evangelium, vel qui ſunt ii quattuor qui per Prophetam ante monſtrati ſunt, nunc figuras atque nomina ſingula adſignemus indiciis. Ait enim Propheta Ezechihel : Et ſimilitudo vultus eorum ut facies hominis , ut facies leonis a dextris illius ; & facies vituli , & facies aquilæ a ſiniſtris illius. Hos quattuor has figuras habentes Evangeliſtas eſſe non dubium eſt. Sed nomina eorum qui Evangelia ſcripſerunt , hæc ſunt : Matthæus , Marcus , Lucas , Johannes.

Poſt hæc legit Diaconus.

Liber generationis Jeſu - Chriſti filii David , filii Abraham. Abraham genuit Iſaac , Iſaac autem genuit Jacob , Jacob autem genuit Judam & fratres ejus. Chriſti autem generatio ſic erat.

Poſt hæc a *tractat Presbyter.*

Filii cariſſimi exponamus vobis , ut quam figuram unuſquiſque in ſe contineat : & quare Matthæus figuram hominis habeat. Quia initio ſuo nihil aliud agit , niſi nativitatem Salvatoris , pleni ordinis generationes enarrat.

Incipit ſecundum Marcum.

Legit Diaconus.

INitium Evangelii Jeſu-Chriſti filii Dei. Sicut ſcriptum eſt in Eſaia propheta : Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam , qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto : Parate viam Domini , rectas facite ſemitas ejus.

Exponit Presbyter.

Marcus Evangeliſta leonis gerens figuram , a ſolitudine incipit dicere : Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini. Sive quia regnat invictus. Hujus leonis multifarie invenimus exempla , ut non vacet dictum illud : Juda filius meus , catulus leonis , de germine mihi recubans , dormiſti ut leo & ſicut catulus leonis , quis excitabit eum ?

Incipit ſecundum Lucam.

Legit Diaconus.

FUit in diebus Herodis regis Judææ ſacerdos quidam , nomine Zacharias , de vice Abia , & uxor illius de filiabus Aaron , & nomen ejus Elizabet,

Exponit Presbyter.

Lucas Evangeliſta ſpeciem vituli geſtat : ad cujus inſtar Salvator noſter eſt immolatus. Et ideo Lucas vitulo conparatur , quia duo cornua, duo teſtamenta ; & quattuor pedum ungulas quattuor Evangelia continebant.

[*Incipit ſecundum Iohannem.*

Legit Diaconus.]

IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.

a Id eſt *exponit*. Hinc *tractatus Patrum* appellati eorum ſermones de Scriptura.

Exponit Presbyter.

Johannes habet ſimilitudinem aquilæ, quod nimis alta petierit. Ait enim David ex perſona Chriſti : Renovabitur ſicut aquilæ juventus tua, id eſt Jeſu-Chriſti Domini noſtri, qui reſurgens a mortuis aſcendit in cælos. Unde jam vobis conceptis regnans gloriatur Eccleſia, nova tendere Chriſtianæ legis exordia.

Incipit Expoſitio a *Symboli.*

Sacramenta divina, fratres cariſſimi, non tam diſcutienda ſunt, quam credenda; & nec credenda tantummodo, ſed & timenda : nec poteſt tenere fidei diſciplinam, qui non habuerit fundamentum timoris Domini, ſicut ait Salomon : Initium ſapientiæ timor Domini. Qui enim timet Dominum in omnibus, quæ dicuntur a Deo, & ſapiens eſt, & fidelis. Symbolum igitur hodie audituri eſtis, ſine quo nec Chriſtus adnuntiari poteſt, nec Fides teneri, nec baptiſmi gratia celebrari. Symbolum eſt ſignaculum Fidei catholicæ, ſacramentum religionis æternæ. Vos ergo, Conpetentes, cum omni reverentia præparate ſenſus veſtros; audite Symbolum, quod vobis hodie materno ore ſancta catholica tradit Eccleſia.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Credo in Ieſum-Chriſtum filium ejus unigenitum ſempiternum. Conceptum de Spiritu-ſancto, natum ex Maria virgine; Paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, & ſepultum. Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cælos, ſedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum-ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam, amen.

Repetendus vobis eſt, dilectiſſimi, ſermo Symboli hujus, qualiter ea, quæ dicimus, veſtris ſenſibus melius inſerantur. *Credo in Deum.* Tertia igitur vice ut ad reliqua capienda fideliore curſu pervenire poſſimus, ordo Symboli recenſendus eſt. *Credo in Deum.* Ecce addidiſti *omnipotentem,* & veraciter addidiſti. Nihil de promiſſione diffidas, ſed ſecurus expecta, ſi credis quia omnipotens eſt qui promittit. *Et in Ieſum-Chriſtum filium ejus unicum, dominum noſtrum.* Hoc eſt illud ſacramentum Fidei. Niſi enim Filium Dei tota mente credideris, Patrem non potes confiteri. Crede ergo Filium Dei unigenitum ab ingenito, viventem a vivente, verum de vero. *Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine.* Spiritum-ſanctum audis auctorem : ne dubites virginem potuiſſe concipere. Hoc eſt quod ait Angelus Gabrihel ad Mariam dicens : Spiritus-ſanctus veniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. Cur non credis eum in utero virginis hominem figuraſſe, quem credis hominem feciſſe de terra? Nec Mariam dubites virginem manſiſſe poſt partum, quod ante multa tempora propheta Eſaias cecinit, dicens : Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium. Hoc divini eloquii auctoritate credendum eſt. *Paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum, mortuum, & ſepultum.* Nulla te trepidatio de Domini tui paſſione confundat; nihil de cruce, nihil de ſepultura verearis. Non fuit in illo qui te redemit fragilitatis infirmitas, ſed pietatis

a Confer homiliam ſancti Maximi epiſcopi Taurinenſis de expoſitione Symboli.

officium

officium. Crux illius tuum regnum eſt: mors illius tua eſt vita. *Deſcendit ad inferna, tertia die reſurexit a mortuis: aſcendit in cælos, ſedit ad dexteram Patris omnipotentis.* Si te tri huana Domini tui ſepultura conturbat, reſurrectio magis æterna confirmet. Quidquid infirmitatis audis in Chriſto, myſterium eſt. Illud tamen oportet mirari, quod ei, cui cælum merito debebatur, crucem pro te contempſit ſuſtinere. Si credis ea quæ tibi videntur; crede & illa quæ negare non poteſt in gloria. *Inde venturus judicare vivos & mortuos.* Ecce ille qui ab iniquis eſt judicatus in terris, de ſede cæleſti judicaturus advenit. Si judicatum deſpicis, judicem pertimeſce. *Credo in Spiritum-ſanctum.* Si credidiſti Deum Patrem omnipotentem, & in Filium ejus unigenitum per fidem, & Spiritum-ſanctum Deum te neceſſe eſt confiteri. Hic eſt enim Spiritus-ſanctus, qui egreditur *a* a Patre, de quo ait Salvator beatis Apoſtolis ſuis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti. Non poteſt videri ſeparabilis virtute, qui non poteſt in nomine ſeparari. *Sanctam Eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam.* Niſi credideris Eccleſiam Dei ſanctam, non potes in Eccleſia Dei dona percipere. Propter hoc una cum Patre & Filio, & Spiritum-ſanctum profeſſus es Deum: ut per gratiam baptiſmi peccatorum tibi remiſſio concedatur, & carnis tuæ reſurrectio reparetur in æternum. Niſi enim credideris dimiſſa tibi peccata tua, abſolutus eſſe non poteris. Niſi credideris carnis reſurrectione reparandum te eſſe poſt mortem, ad fructum vitæ perpetuæ venire non poteris.

b Repletum est.

Lectio Iſaiæ Prophetæ legenda in traditione Symboli.

HÆc dicit Dominus: Ecce juſtus perit, & nemo eſt qui recogitet in corde ſuo; & viri miſericordes excolliguntur, quia non eſt qui intellegat. A facie enim malitiæ collectus eſt juſtus. Veniat pax, & requieſcat in cubile ſuo. Vos autem accedite huc, filii auguriatricis, ſemen adulteri & fornicarii. Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam? Nam qui fiduciam habet mei, hereditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum, ait Dominus Deus.

Epiſtola Petri apoſtoli ad Gentes.

FRatres, in hoc vocati eſtis, quia Chriſtus paſſus eſt pro vobis, relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem ſe judicanti *c* injuſte. Qui peccata noſtra portavit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ viveremus. Cujus livore ſanati ſumus. Eratis enim ſicut oves errantes: ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & viſitatorem animarum veſtrarum.

Lectio ſancti d *Evangelii ſecundum Iohannem*

IN illo tempore, ante ſex dies Paſchæ venit Dominus Jeſus Betha-

a Nulla hic mentio de proceſſione ex Filio: nulla item infra in quadam Miſſa Dominicali.

b Forte *Expletum eſt*. quod minio deſcriptum in codice.

c Sic in veteri exemplari, ut in Vulgata, non *juſte*, ut ex græco.

d Idem Evangelium in Gothico pro Miſſa in Symboli traditione.

niam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus. Fecerunt autem ei cænam ibi, & Martha miniſtrabat: Lazarus vero unus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici precioſi, unxit pedes Domini Jeſu, & exterſit capillis ſuis pedes ejus, & domus impleta eſt ex odore unguenti. Dixit ergo unus ex diſcipulis ejus Judas Scariothis, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non vendidit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Dixit ergo Dominus Jeſus: Sine illam, ut in die ſepulturæ meæ ſervet illud. Pauperes enim ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis. In craſtinum autem turba multa quæ venerant ad diem feſtum, cum audiſſent quia venit Dominus Jeſus Hieroſolymam, acceperunt ramos palmarum, & proceſſerunt obviam ei, & clamabant: Oſanna, benedictus qui venit Rex Iſraël. Et invenit Dominus Jeſus aſellum, & ſedit ſuper eum, ſicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit ſedens ſuper pullum aſinæ. Hæc non cognoverunt diſcipuli ejus primum: ſed quando glorificatus eſt Dominus Jeſus, tunc recordati ſunt quia hæc erant ſcripta de eo, & crediderunt ei.

Missa in Symboli traditione.

a IN geminas partes diem hunc excolendum complectitur, Domine, noſtræ ſervitutis famulario; vel de jejunii cultu ſacrato, vel de inſignibus tuis, quæ hodie fulſerunt, mirabilibus, quo Lazarum reduxiſti poſt tartara: cum ad vocem tuam, Domine, tonantem exilivit, & quatriduani jam fœtentis funus vivificans animaſti: vel etiam cauſa miraculi obſtupefacta plaudens turba Bethaniæ occurrit cum palmis tibi obviam Regi. [Exaudi nos in hoc geminato ſervitutis noſtræ obſequio,] & præſta Domine quæſumus: ut animæ noſtræ quæ tumulo ſunt peccatorum concluſæ, tabe corruptæ reviviſcant ex tua interius viſitatione, ſicut Lazari viſcera à tua voce fuerunt animata, Salvator mundi.

Collectio.

Bone Redemtor noſter Domine, qui manſueti animalis aſelli terga inſedens, ad paſſionem redemtionis noſtræ ſpontaneus adpropinquans, cum tibi ramis arborum certatim ſternitur via, & triumphatricibus palmis cum voce laudes occurrunt: præſta, quæſumus majeſtatem tuam, ut ſicut illi in tua fuerunt obviam cum arboreis virgulis egreſſi, ita nos te redeunte in ſecundo adventu cum palmis victoriæ mereamur occurrere læti.

Poſt nomina.

Ecce Domine de te Caïphæ pontificis vaticinium, ignarum ſibi ipſi, in populis eſt prolatum, ut unus occumberes pro gente, ne cuncti pariter interirent. Et tu ſingulare granum in terra moreris, ut ſeges plurima naſceretur: ſupplices tibi ipſi qui pro mundi ſalute es hoſtia cæſus deprecamur, ut nobis de ipſo veniam dones. *b*

Ad Pacem.

Univerſorum ipſe Dominator qui

a Eadem Miſſa legitur in Miſſali Gothico pag. 235.

b Prolixior hæc collectio in Miſſali Gothico pag. 235.

conditor, creaturæ tuæ præſtabilis amator, cujus Maria pedes abluit, cum quo redivivus Lazarus accubuit; miniſtra in nos illas lacrimas, quas Maria de multa dilectione protulit. Fragrare facito noſtram orationem, ſicut unguentum piſticum ſacris plantis infuſum Mariæ fragravit: ut eam pacem conſequamur in pectore, quam aſſecuta eſt Maria ſui oſculans Redemptoris veſtigia.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, ab omni ſexu, ætate, & ſenſu dicere laudem in hac die jejunii & laudis tuæ triumphali præconio, quo ab Hieroſolymis & Bethania occurrerunt tibi plurimæ populorum catervæ, una voce perſtrepentes: Oſanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini. Tibi enim cum lingua coma ſervivit arborea, cum arenoſa itinera ramis viruerunt conpoſita. Plebis quoque indumentum tuis plantis proſternitur, nudatiſque viris via veſtitur: Victori novo populus præſtat triumphum. Surgit totus clamor in laude, voces clamantium penetrant templum, dicentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. Ecce, Hieruſalem, qualiter tibi Rex tuus ſedens ſuper aſinum manſuetus advenit. Adveni ergo, rogamus, & in medio noſtri adſiſte, & qui nos tunc reparaſti per crucem, per iſtum IMMOLATUM *a* PANEM ET SANGUINEM iterum lapſos repara: ut te advenire in noſtris cordibus ſentientes, exeamus obviam tibi, & cum ſupernis illis virtutibus clamemus dicentes, SANCTUS.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios in Cæna Domini legenda.

FRatres, convenientibus vobis in unum, jam non eſt Dominicam Cænam manducare, unuſquiſque enim ſuam cænam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Numquid domus non habetis ad manducandum & bibendum? Aut eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Hoc eſt corpus meum pro vobis *: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cænavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotienſcumque bibetis in meam commemorationem. Quotienſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini adnunciabitis donec veniat, in Chriſto.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

VEſpere autem facto diſcumbebat Dominus Jeſus cum XII diſcipulis, & edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrum me traditurus eſt. Et contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere: Numquid ego ſum, Domine? At ipſe reſpondens ait: Qui intinguit mecum manum in parapſide, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: væ autem homini illi, per quem filius hominis

a Obſerva hic *panem* ſumi pro corpore Chriſti Domini, cum infra legas *ſanguinem*.

traditur. Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Judas qui tradidit eum, dixit: Numquid ego ſum Rabbi? Ait illi dominus Jeſus: Tu dixiſti. † Cænantibus autem eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit; dedit diſcipulis ſuis & ait: Accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex eo omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Patris mei. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti. † Tunc dicit illis Dominus Jeſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim, Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæa. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego numquam ſcandalizabor. Ait illi Dominus Jeſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.

Missa in Cæna Domini.

OMnipotens ſempiterne Deus, da quæſumus univerſis famulis tuis, plenius atque perfectius omnia feſti Paſchalis introire myſteria: ut incunctanter pia corda cognoſcant, quantum debeant de confirmata in Chriſto renaſcentium glorificatione gaudere.

Collectio.

Concede credentibus, miſericors Deus, ſalvum nobis de Chriſti Paſſione remedium: ut humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos æternæ ſuffragium plebis abſolvat.

Poſt nomina.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humani generis pro nobis Filio tuo moriente ſalvaſti, præſta quæſumus: ut in hac populi tui devotione fructus proveniat gaudiorum.

Collectio ad Pacem.

Virtutum cæleſtium Deus, de cujus gratiæ rore deſcendit, ut ad myſteria tua purgatis ſenſibus accedamus, præſta quæſumus: ut in eorum traditione ſollemniter honorum, tibi placitum deferamus obſequium, & pacis æternæ pactum tibi reddamus.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus paſſione cuncta commota ſunt, & eventum dominici vulneris elementa tremuerunt. Expavit dies non ſolida nocte, & ſuas tenebras mundus invenit. Stetit ſub incerto lumine dies, inclauſis etiam lux ipſa viſa eſt mori cum Chriſto. Ad hoc enim omnis claritas migravit in noctem, ne ſacrilegium cernere videretur. Clauſerat enim ſuos oculos cælum, ne in cruce aſpiceret Redemtorem: & mundus ipſe teſtis eſſe non potuit, ut ſolus aſpiceret qui percuſſit: cujus dolore plaga noſtra curata eſt, & lapſus noſtros aliena ruina ſuſcepit. Tremuerunt elementa mundi ſub uno percuſſo, cujus vulnere captivitas reſoluta eſt. Dum enim occiditur Chriſtus, cuncta renata ſunt; & dum moritur, omnia ſurrexerunt per ipſius majeſtatem, quem laudant Angeli.

Item Conteſtatio eodem die

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Quod pro noſtris peccatis talis ac tantus traditus eſt, qui cum ſine peccato eſſet, à te pro peccatoribus traditus eſt, juſtus pro injuſtis, pius pro impiis: & cum omnia ſciret, Deum neſcientibus ſic ſe ſubdidit, ut nos ignaros ad agnitionem veritatis de fece ultima, in qua jacebamus, erigeret. O infelicitas Judæ! cupidus ſuper parvo munere tradidit omnium hominum remuneratorem: dum ſalutat, vendidit: dum obſequitur, tradit. O falſa labia! qui ſic conflat incendia;& pacem non dubitavit facere bella, ſalutando tradens Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum, complet oſculo homicidium. In honore Paſchæ reus mortis dimittitur, & Dominus cælorum interimitur. Barrabas latro donatur, & innocens Chriſtus crucifigitur. Cui merito omnes Angeli.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem, quæ legitur in Paraſceve ad a *Tertia.*

Milites Præſidis ſuſceperunt Dominum Jeſum bajulantem ſibi crucem. Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum hebraice, græce & latine: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli ſcribere Rex Judæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Judæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Dominum Jeſum in prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei; & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus: & genu flexo ante eum, inludebant ei, dicentes: Have Rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus. Et poſtquam inluſerunt ei, exuerunt eum clamydem, & induerunt eum veſtimentis ſuis, & duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Symonem. Hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Converſus autem ad illas Jeſus, dixit: Filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete & ſuper filios veſtros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos; & collibus, Operite nos. quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Cum veniſſet autem ad locum, qui dicitur Golgotta, quod eſt Calvariæ locus, dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum; & cum guſtaſſet, noluit bibere.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem, quæ legitur ad Sexta in Paraſceve.

b Poſtquam crucifixerunt Dominum Jeſum, di-

a In Lectionario Luxovienſi habentur etiam ad primam, ſecundam, uti & ad tertiam horam: parique modo ſcribitur, *ad Tertia, ad Sexta &c.*

b Eadem item lectio *ad Sexta* (ita ſcribebant) in Luxovienſi.

xit Jeſus voce magna: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. Tunc diviſerunt veſtimenta ejus, ſortem mittentes. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit. Ut ſcriptura impleatur dicens: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et ſedentes ſervabant eam. Et inpoſuerunt ſuper caput ejus cauſam ipſius ſcriptam; Hic eſt Jeſus rex Judæorum. Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à ſiniſtris. Et adimpleta eſt ſcriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. Prætereuntes autem blaſphemabant eum, moventes capita ſua, & dicentes: Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas; ſalva temetipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & principes ſacerdotum inludentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant: Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere. Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. Confidit in Domino; liberet nunc eum ſi vult. Dixit enim quia filius Dei ſum. Idipſum autem & unus de his qui pendebant latronibus blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temetipſum & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Miſer, neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es! Et nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit. Et dicebat ad Jeſum: Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jeſus: Amen, amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradyſo.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem, qua legitur ad [a] *Nona.*

A Sexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſa terra uſque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jeſus voce magna dicens: Heli, Heli, limaſabactani. Hoc eſt, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes dicebant: Heliam vocat iſte. Continuo currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & poſuit [in] arundine, & dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Helias liberans eum. Jeſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum. Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum; & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Dei filius erat iſte. Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus à longe. Erant enim ibi & mulieres multæ, quæ ſecutæ erant Jeſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Joſeph mater, & mater filiorum Zebedæi. Judæi ergo, quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati, rogaverunt Pilatum, ut frangerentur

[a] Hæc lectio deerat in codice mutilo Luxovienſi.

eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Jeſum autem cum veniſſent, & vidiſſent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt ejus teſtimonium. Et ille ſcit quia vera dicit, ut & vos credatis. Facta ſunt enim hæc ut ſcriptura impleatur: Os ejus non comminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Cum ſero autem factum eſſet, venit quidam homo dives ab Arimatia, nomine Joſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Jeſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Jeſu. Tunc Pilatus juſſit reddi corpus ejus. Venit autem & Nicodamus, qui venerat ad Jeſum nocte primum, ferens mixturam murræ & aloës, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt eum linteis cum aromatibus, & poſuerunt illud in monumento novo, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Et adpoſuerunt ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abierunt. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, ſedentes contra ſepulcrum.

Die Sabbato.

Mane.

Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceven, convenerunt principes Sacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam. Jube ergo cuſtodiri ſepulcrum uſque in diem tertium: ne forte veniant diſcipuli ejus, & furentur eum nobis dormientibus, & dicant plebi: Surrexit a mortuis; & erit noviſſimus error pejor priori. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

Incipit Precis de eodem die.

Inſidiati ſunt mihi adverſarii mei magis gratis. Tu Pater ſancte miſerere, & libera me. Portatus ſum, ut agnus innocens, ad victimam; captus ab inimicis, ut avis in muſcipola. *a* Mag.

Aperuerunt omnes ora ſua contra me: dentibus fremuerunt, quærentes deglutire me. Sibilantes clamabant, & movebant capita, tractantes de me proferre falſum teſtimonium. Mag.

Suſpenſum cruce damnant, fixum clavis ferreis, venditum a Judæis propter XXX argenteos. In latere *b* confuſus gladio honorifico, illic confluit aqua cum ſanguine innoxio. Mag.

Omnes inundaverunt ſicut aqua ſuper me dimerſum in ſepulcrum, adpoſuerunt lapidem. Mag.

Intende, pie Pater, & ſuccurre miſeris, pro quibus tam *c* acerbis adfligor ſuppliciis. Magis gratis tu Pater ſancte m. l.

Item alia de eadem die.

Vide Domine humilitatem meam quia erectus eſt inimicus. Miſerere Pater juſte, & omnibus indulgentiam dona.

A Patre miſſus veni perditos requirere, & hoſte captivatos ſanguine

a Repetitio eſt verſiculi primi, *Magis gratis, tu Pater ſancte &c.* quæ repetitio pluries fit in conſequentibus.

b Legendum *confoſſus gladio horrifico.*

c Scribitur in exemplari, *acervis*, & ſupra, *ſivilantes*, & alia ſimilia.

redimere. Plebs dira abjecit me. Miſerere Pater juſte.

Præ lictus à Prophetis natus ſum ex Virgine: adſumpſi formam ſervi diſperſos colligere; venantes ceperunt me.

Mihi pro bonis mala reddita ſunt plurima: adverſus me iniqua dederunt conſilia, venditus pecunia.

Spineam coronam poſuerunt capiti, ſputis ſordidatum inluſerunt impie; adflictum crudeliter.

Cum noxiis latronibus ſuſpenſus patibulo, amaro cibo paſtus & acerbo poculo, tra litus ſuppliciis.

Quos veni liberare accuſaverunt me, flagellis verberatum cruci adfixerunt me: lancea percuſſerunt me.

Dimitte illis noxam, Pater clementiſſime: cuncta dele peccata, & relaxa crimina, ignorant quid faciunt.

INCIPIUNT *a* ORATIONES IN VIGILIIS PASCHÆ.

I.

INter prima celebrandæ Paſchæ ſoliemnia, votorum conſecratio ex gratiarum actione ſumat exordium: ut paſſum & immolatum pro nobis Chriſtum credentes, & ſacri miniſterii principem confitentes, conſono ore proſequamur.

II. *Oratio pro his qui cuſtodiarum vinculis & captivitate detenti, Paſcha intereſſe non poſſunt.*

Dei Patris omnipotentis clementiam, cariſſimi, deprecemur, ut eos quos invidus diabolus captivitatis ſervitio premit, Dei noſtri miſericordia in ſtatum priſtinum libertatemque conſtituat.

III. *Pro Sacerdotibus ac miniſtris Eccleſiæ.*

Deum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum pro Sacerdotibus ac miniſtris Eccleſiæ ſuæ, fratres cariſſimi, ſupplices deprecemur: ut ingreſſi Sancta ſanctorum, totiuſque participes altaris, ſpiritalium gratiarum donis abundantiaque multimoda repleamur.

IV. *Pro Virginibus.*

Deum Patrem omnipotentem, fratres cariſſimi, ſupplices oremus: ut in fratribus ac ſororibus noſtris, qui ſanctam & maxime acceptabilem Deo virginitatem dicarunt, bonæ conceptum mentis propoſitum tenentes, inmaculati jugiter perſeverent.

V. *Pro his qui eleemoſynas faciunt.*

Deum Patrem miſericordiæ ſuppliciter oremus: ut in ſanctos & hujus ſæculi pauperes effuſa largitio in cæleſtium divitiarum opes refluat, & carnalium participatio ſocietatem poſſit munerum ſpiritualium promereri.

VI. *Oremus pro Peregrinantibus.*

Cæleſtium & terreſtrium Deum Patrem ſupplices deprecemur: ut omnes fratres noſtros, qui peregrinationum neceſſitatibus ſubjacent, potentia auxilii ſui protegat atque defendat.

VII. *Pro Ægrotis.*

Univerſæ ſalutis Dominum deprecemur pro fratribus & ſororibus noſtris, qui ſecundum carnis infirmitatem diverſis ægritudinum vexantur incommodis: ut is qui ſolus poteſt, pro ſua pietate omnibus adeſſe dignetur.

VIII. *Pro Pænitentibus.*

Deum ſpei noſtræ, fratres cariſſimi, deprecemur: ut temeratæ præceptionis reos, reverſos in viam rectam, ab aſpectu ſerenitatis ſuæ non rejiciat, neque in adventu ſuo a

regni

a Hujuſmodi orationes totidem hac die in Gothico itidem habentur, ſed paullo diverſæ ab his, quæ hoc loco referuntur.

regni cæleſtis janua condemnandos excludat.

IX. *Pro unitate Eccleſiæ.*

Bonorum omnium fontem, auctorem humanæ ſalutis Dominum deprecemur: ut unitatem Eccleſiæ inviolatam cuſtodire dignetur, ut in præſenti protectionem, & in futuro perennis vitæ ſtipendia conſequi mereamur.

X. *Pro pace populi & Regum.*

Deum ac Regem univerſæ conditionis Dominum ſuppliciter oremus: ut Regibus ac Poteſtatibus hujus mundi, eorumque miniſtris, ſupplicem inter ſe amorem & concordiam largiatur

XI. *Pro ſpiritibus pauſantium.*

Deum Patrem omnipotentem, fratres cariſſimi, pro commemoratione defunctorum ſupplices oremus: ut eiſdem Dominus, adtenuatis quæ merito aſpera ſunt culpæ piaculis, clementiſſime remiſſionis ſuæ refrigeria largiatur.

XII. *Pro Competentibus.*

Dei Patris miſericordiam pro Competentibus, fratres cariſſimi, ſupplices deprecemur, ut eos Dominus omnipotens ad fontem ſuæ regenerationis euntes omni cæleſtis miſericordiæ auxilio proſequatur.

Collectio.

Auctor univerſitatis ac Domine te deprecamur & quæſumus, ut mortificatos terrenis vitiis in novum hominem tibi ſervire patiaris per reſurgentem a mortuis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

---

a BENEDICTIO CEREI

Sancti Auguſtini epiſcopi, cum adhuc Diaconus eſſet cecinit, dicens.

EXultet jam angelica turba cælorum: exultent divina myſteria, & pro tanti Regis victoria tuba intonet ſalvatoris. Gaudeat ſe tantis illius inradiata fulgoribus, æterni Regis ſplendore luſtrata, totius orbis ſe ſentiat amiſiſſe caliginem. Lætetur mater Eccleſia tanti luminis ornata fulgore, & magnis populorum vocibus hæc aula reſultet. Qua adſtantibus vobis, fratres cariſſimi, ad tam miram ſancti hujus luminis claritatem una mecum quæſo Dei omnipotentis miſericordiam invocate: ut qui nos dignatus eſt adgregare, luminis ſui gratiam infundente, cerei hujus laudem implere percipiat. Surſum corda. Dignum & juſtum eſt inviſibilem Dominum, omnipotentem Patrem. Filiumque unigenitum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, toto cordis ac mentis affectu & vocis miniſterio perſonare. Qui pro nobis æterno Patri Adæ debitum ſolvit; & veteris piaculi cautionem pio cruore deterſit. Hæc ſunt enim feſta Paſchalia, in quibus verus ille Agnus occiditur, ejuſque ſanguis poſtibus conſecratur, in qua primum ſcire tempus & horam, in qua Chriſtus ab inferis reſurrexit. Hæc nox eſt, de qua ſcriptum eſt: Et nox ut dies inluminabitur, & nox inluminatio mea in deliciis meis. Hujus igitur ſanctificatio noctis fugat ſcelera, culpas lavat, & reddit innocentiam lapſis, mæſtis lætitiam: fugat odia, concordiam parat, & curvat imperia. In hujus igitur noctis gratiam ſuſcipe ſancte Pater, incenſi hujus ſacrificium veſpertinum, quod in hac cerei oblatione ſollemni per miniſtrorum manus de operibus apum ſacroſancta reddit Eccleſia. Sed jam columnæ hujus præconia novimus, quam in honore Dei rutilans ignis accendit. qui licet diviſus in partes, mutuati lu-

a Idem titulus in Gothico. Multa hic mendoſa, ſed cuivis facile emendanda.

minis detrimenta non novit. Alitur liquantibus ceris, quas in ſubſtantia precioſæ hujus lampadis apis mater eduxit. Apis ceteris quæ ſubjecta ſunt homini animantibus antecellit, cum ſit minima corporis parvitate, ingentes animas anguſto verſat in pectore, viribus inbecillis, ſed fortis ingenio. Hæc explorata temporum vice, cum canitiem pruinoſa hiberna poſuerunt, & glaciale ſenium verni temporis moderata deterſerit, ſtatim prodeundi ad laborem cura ſuccendit: diſperſæque per agros libratim paululum pinnibus, cruribus ſuſpenſis inſidunt, parte ore legere floſculos, oneratis victualibus ad caſtra remeant; ibique aliæ inæſtimabili arte, cellulas tenaci glutino inſtruunt. Aliæ liquantia mella ſtipant, aliæ verrunt flores in ceram, aliæ ore natos fingunt, aliæ collectis e foliis nectar includunt. O vere beata & mirabilis apis, cujus nec ſexum maſculi violant, nec filii deſtruunt caſtitatem: ſicut ſancta concepit Maria, Virgo peperit, & virgo permanſit. O vere beata nox, quæ expoliavit Ægyptios, ditavit Hebræos. Nox, in qua terrenis cæleſtia junguntur. Oramus te Domine ut cereus iſte in honorem nominis tui conſecratus, ad noctis hujus caligines deſtruendas indeficiens in odorem ſuavitatis acceptus ſupernis luminaribus miſceatur, flammaſque ejus Lucifer matutinus inveniat. Ille inquam Lucifer, qui neſcit occaſum. Ille qui regreſſus ab inferis, humano generi ſerenus inluxit. Precamur ergo Domine, ut nos famulos tuos, omnem clerum, & devotiſſimum populum, quiete temporum conceſſa, in his paſchalibus conſervare digneris.

---

a *Ad Chriſtianum faciendum.*

DEus caritatis totius confirmator & conditor, qui maculas mundi mortem fugandam feciſti, te oramus & quæſumus, ut cuſtodias animam famuli tui ill. ut calcato diabolo conrobores eum: ut primi parentis deterſis tenebris, chriſtianum nomen fide percipiat.

Item alia.

Deus qui perdita reparas, & reparata conſervas; Deus qui opprobrium gentilitatis ſignare ſub titulum nominis tui præcepiſti, ut ad fontem Baptiſmi pervenire mereantur.

Item alia.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt; reſpicere digneris ad preces humilitatis meæ pro famulo tuo ill. per invocationem nominis tui confirmes eum, inlumines vultum claritatis tuæ ſuper eum. Benedicere & ſanctificare digneris, ſicut benedixiſti domum Abraham, Iſaac, & Jacob. Adſigna ei angelum pacis, angelum miſericordiæ, qui eum perducat ad vitam æternam, adjuvante Spiritu-ſancto, & de faucibus inimici liberes eum, & per ſignum Jeſu Chriſti tempus vitæ ſuæ religioſe conſiſtat. Per.

Deus qui es, & qui eras, & permanes uſque in finem ſæculi, cujus origo neſcitur, nec finis comprehendere poteſt; te oramus & quæſumus, ut cuſtodias animam famuli tui ill. quem liberaſti de ore gentilium, & a converſatione peſſima. Dignare exaudire eum, qui tibi cervices ſuas humiliat & perveniat ad baptiſmum fontis regeneratione ex aqua & Spiritu-ſancto,

a Idem titulus etiam in Gothico, ſed orationes diverſæ.

qui cum Patre & Filio vivit & regnat.

Facis ſignum † in eum & dices ſymbolum.

Accipe ſignum crucis tam in fronte, quam in corde. Semper eſto fidelis. Templum Dei ingredere, idola derelinque. Cole deum Patrem omnipotentem, & Jeſum-Chriſtum filium ejus, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem, cum Spiritu-ſancto in ſæcula ſæculorum.

Poſt hæc inſufflabis in os ejus ter, & dices : Accipe Spiritum-ſanctum, & in corde teneas.

INCIPIT ORDO BAPTISMI.

a EXorcidio te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti filii ejus, & Spiritus-ſancti, ut omnis virtus adverſarii, omnes exercitus diaboli, omnes incurſus, omne fantaſma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, ut ſit omnibus, qui in eam deſcenſuri ſunt, fons aquæ ſalutaris in vitam æternam : ut cum baptizatus in ea quiſquis fuerit, fiat templum Dei vivi in remiſſione peccatorum in nomine Dei Patris omnipotentis, & Chriſti Jeſu filii ejus & Spiritus-ſancti, qui judicaturus eſt ſæculum per ignem, per hoc ſignaculum quod permanet in ſæcula ſæculorum.

Oratio.

b Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto ſacramentis, & creandis novis populis, quos tibi fons baptiſmatis parturit, ſpiritum adoptionis emitte : ut quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis compleatur effectu. Deus qui inviſibili potentia ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licet nos tantis myſteriis exſequendis ſimus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deſerens, etiam ad noſtras preces aures tuæ pietatis inclina. Deus cujus ſpiritus ſuper aquas inter ipſa primordia ferebatur, ut etiam tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura conciperet.

Collectio ſequitur.

Deus qui nocentis mundi crimina per aquam abluens, regenerationis ſpeciem in ipſa diluvii effuſione ſignaſti; libera ab omni impugnatoris incurſu, & totius nequitiæ purgatæ diſceſſu. Sit vivis aqua regenerans, unda purificans : ut homines hoc lavacro ſalutem in eis Spiritu ſancto purificati, perfectæ purificationis indulgentiam conſequantur. Unde benedico te creatura aquæ per Deum † verum, per Deum † ſanctum, qui te in principio verbo ſeparavit ab arida, & in quattuor fluminis terræ rigare præcepit : qui te in deſerto amarum ſuavitate indita fecit eſſe potabilem, & ſitiente populo de petra produxit : † benedico te per Jeſum-Chriſtum, filium ejus unicum dominum noſtrum qui te in Chana Galileæ, ſignum † admirabile, ſua potentia convertit in vinum : qui pedibus ſuper te ambulavit, & ab Johanne in Jordane baptizatus eſt : qui te una cum ſanguine de latere ſuo produxit, & diſcipulis ſuis juſſit, ut credentes ..... baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, qui vivit & regnat.

Surſum corda. Dignum & juſtum eſt omnipotens Deus : qui aperuiſti nobis fontem vitæ æternæ, & regenerans nos per Spiritum tuum ſan-

a Ita etiam legitur in veteri Miſſali Gallicano paſſim a pag 362.

b Ita in Gallicano Miſſali pag. 362.

ctum, quem ducem eſſe hujus ſancti lavacri in remiſſione peccatorum, & fieri lavacrum aquæ in Spiritu-ſancto: per quem omnem maculam tollens à nobis, exuis nos mortem, & induis nos vitam: tibi adſiſtentis in gloria laudamus Patrem ſemper in cælis, & recipientis ex initio virtutem per dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum. Per quem te Deum Patrem omnipotentem deprecamur, ut hic Spiritum-ſanctum in aquam hanc ſupermittere digneris, ut quoſcumque baptizaverimus in nomine tuo & filii tui Dei ac domini noſtri Jeſu-Chriſti & Spiritus-ſancti, purificans ac regenerans accipias eos in numero Sanctorum tuorum, & conſummes in Spiritu tuo ſancto in vitam æternam in ſæcula ſæculorum.

Deinde in Fonte chriſma decurrente, ſignum † facis & dicis.

INfuſio chriſmæ ſalutaris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ut fiat fons aquæ vivæ ſalientis cunctis venientibus in vitam æternam.

Poſt hæc dices.

Admitte quæſumus, omnipotens Deus, familiam tuam ad fontem ſalutis æternæ: ut quos de tenebris ad lucem redire juſſiſti, nullus decipiatur fraudibus inimici.

Incipit exorciſmus hominis, antequam baptizetur.

Exorcidio te ſpiritus inmunde, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt: ut omnis virtus adverſarii, omnes exercitus diaboli, omnes incurſus, omne fantaſma eradicetur ac fugetur ab hoc plaſmate, ut fiat templum Dei ſanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis & Jeſu-Chriſti filii ejus, qui judicaturus eſt ſæculum per ignem in Spiritu-ſancto in ſæcula ſæculorum.

Tangis nares, deinde dicis.

Effeta, effecta eſt hoſtia in odorem ſuavitatis.

Ungis eum de oleo ſanctificato, dicens.

Ungo te de oleo ſanctificato, ſicut unxit Samuhel David in regem & prophetam.

Tangis nares, & aures, & pectus.

Operare creatura olei, operare, ut non lateat hic inmundus ſpiritus nec in membris, nec in medullis, nec in uno conpagine membrorum: ſed operetur in te virtus Chriſti filii Dei altiſſimi & Spiritus-ſancti per omnia ſæcula.

Interrogas nomen ejus dicens;

Quis dicitur? Ill. Abrenuncias ſatanæ, pompis ejus, luxuriis ſuis, ſæculo huic?

Reſp. Abrenunciat. *hoc ter dices.*

Interrogas nomen ejus, Quis dicitur? Ill.

Credit in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ? *Reſp.* Credat.

Credit & in Ieſum-Chriſtum filium ejus unicum, dominum noſtrum, conceptum de Spiritu-ſancto, natum ex Maria virgine, paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum & ſepultum. Deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit a mortuis: aſcendit in cælos, ſedit ad dexteram Dei Patris omnipotentis inde venturus judicare vivos ac mortuos? *Reſp.* Credat.

Credit in Spiritum-ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam habere poſt mortem, in gloriam Chriſti reſurgere? *Reſp.* Credat.

Baptizas eum, & dicis, Baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, unam habentem ſubſtantiam,

ut habeas vitam æternam, partem cum Sanctis.

Suffundis chriſma in fronte ejus, dicens. Deus Pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui te regeneravit per aquam & Spiritum-ſanctum, quicquid tibi dedit, remiſſionem peccatorum per lavacrum regenerationis & ſanguinem, † ipſe te liniat chriſmate ſuo ſancto in vitam æternam.

Superindues eum dicens, Accipe veſtem candidam, quam inmaculatam perferas ante tribunal Chriſti.

Collectio ad a *pedes lavandos.*

Ego tibi labo pedes, ſicut dominus noſter Jeſus-Chriſtus fecit diſcipulis ſuis, ita tu facias hoſpitibus & peregrinis.

Dominus noſter Jeſus-Chriſtus de *b* linteo quo erat præcinctus, terſit pedes diſcipulorum ſuorum; & ego facio tibi: tu facies peregrinis, hoſpitibus, & pauperibus.

Poſt Baptiſmum.

Laudes & gratias Domino referamus, fratres dilectiſſimi, quod augere dignatus eſt Eccleſiæ ſuæ congregationem per caros noſtros, qui modo baptizati ſunt. Petamus ergo de Domini miſericordia, ut baptiſmum ſanctum quod acceperunt, inlibatum, inviolatum, & inmaculatum perferant ante tribunal Chriſti.

Item alia.

Domine Deus omnipotens, famulos tuos, quos juſſiſti renaſci ex aqua & Spiritu-ſancto, conſerva in eis baptiſmum ſanctum quod acceperunt, & in nominis tui ſanctificationem perficere dignare: ut proficiat in illos gratia tua ſemper, & quod te ante donante ſuſceperunt, vitæ ſuæ integritate cuſtodiant.

---

c *Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios.*

FRatres, bona gloriatio veſtra in Chriſto Jeſu. Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſparſio, ſicut eſtis azymi. Etenim paſcha noſtrum inmolatus eſt Chriſtus. Itaque ſollemnitatem celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis in Chriſto Jeſu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

VEſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulcrum. Ecce terræ motus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo, & accedens revolvit lapidem, & ſedebat ſuper eum. Erat autem aſpectus ejus ſicut fulgur, & veſtimentum ejus ſicut nix. Præ timore autem ejus exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos, ſcio enim quod qui Jeſum crucifixus eſt quæritis. Non eſt hic, ſurrexit ſicut

a Hujus item lotionis, ſed poſt albæ veſtis impoſitionem, mentio eſt in Miſſali Gothico & in Gallicano; nec non in duobus Cæſarii epiſcopi Arelatenſis ſermonibus, qui in Appendice tomi V Auguſtiniani habentur ordine CLXVIII. & CCLVII. atque in ſermone ad Neophytos, relato in Appendicem tomi VI. col. 291. Hæc lotio apud Hiſpanos abrogata fuit in Concilio Eliberitano; nec fiebat in eccleſia Romana, ut patet ex libro tertio de Sacramentis, quod opus Ambroſio tribuitur: in Africana vero fiebat die Cœnæ, ex Auguſtini epiſtolis LIV & LV. Eccleſia Gallicana hoc in ritu conveniebat cum Mediolanenſi, de qua vide Ambroſium in lib. de Myſteriis cap. VI.

b In exemplari conſtanter ſcriptum *lenteo*.

c Hæ lectiones ſunt pro Miſſa ſequente de vigilia Paſchæ.

dixit: venite & videte locum ubi poſitus erat Dominus: & cito euntes dicite diſcipulis ejus, quia ſurrexit & præcedit vos in Galilæa; ibi eum videbitis. Ecce dixi vobis. Et exierunt cito de monumento cum timore & magno gaudio, currentes nunciare diſcipulis ejus. Et ecce Dominus Jeſus occurrit illis dicens: Avete. Illæ autem acceſſerunt & tenueruut pedes ejus, & adoraverunt. Tunc ait illis Dominus Jeſus: Nolite timere, ite nunciate fratribus meis ut eant in Galilæa: ibi me videbunt. Quæ cum abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem, & nunciaverunt principibus Sacerdotum omnia quæcumque facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia diſcipuli ejus nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. & ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti: & devulgatum eſt verbum iſtud apud Judæos uſque in hodiernum diem. Undecim autem diſcipuli abierunt in Galilæam, in monte ubi conſtituerat illis Dominus Jeſus. Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt. Et accedens Dominus Jeſus locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritusſancti, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

Missa in vigiliis Paschæ.

OMnipotens ſempiterne Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem per univerſa mundi ſpatia glorioſæ Dominicæ reſurrectionis inluſtras, conſerva in nova familiæ tuæ progenie ſanctificationis ſpiritum quem dediſti, ut corpore & mente renovati, puram tibi animam & purum pectus ſemper exhibeant.

Collectio.

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem glorioſæ dominicæ reſurrectionis inluſtras, conſerva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritum quem dediſti, ut corpore & mente puram tibi exhibeant ſervitutem.

Poſt nomina.

Deus, cujus munere adoranda baptiſmatis ſunt adimpleta myſteria, concede populo tuo originalis delicti errore mundato, poſt ſacratiſſimum fontem, terram tuæ promiſſionis intrare: ut dulcia ſacramentorum tuorum alimenta percipiant.

Ad Pacem.

Suſcipe Domine preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum ut Paſchalibus initiata myſteriis, ad æternitatis nobis medillam te operante proficiant.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, te quidem omni tempore ſed in hac potiſſimum nocte glorioſius prædicare, cum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Ipſe enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit. Propter ea profuſis paſchalibus gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernæ virtutes atque angelicæ concinunt poteſtates, hymnum gloriæ ſine ceſſatione dicentes,

a *Lectio Apocalypſis ſancti Johannis Apoſtoli.*

REvelatio Jeſu-Chriſti quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri cito, & ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Jeſu-Chriſti quæcumque vidit. Beatus qui legit, & qui audit verba prophetiæ, & ſervat ea quæ in ea ſcripta ſunt. Tempus enim prope eſt. Johannes VII eccleſiis quæ ſunt in Aſia: gratia vobis & pax à Deo qui eſt, & qui erat & qui venturus eſt, & a ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt, & ab Jeſu-Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit noſtrum regnum ſacerdotes Deo & Patri ſuo: ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Ecce veniet in nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt: & plangent ſuper eum omnes tribus terræ, etiam amen. Ego ſum Alfa & Ω, principium & finis, dicit Dominus qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt omnipotens. Ego Johannes frater veſter & particeps in tribulatione & regno & patientia Jeſu; fui in inſula quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei & teſtimonium Jeſu: fui in ſpiritu in Dominico die, & audivi poſt me vocem Agni tamquam tubæ dicentis: Quod vides ſcribe, & mitte ſeptem eccleſiis, id eſt Epheſum, Zmirnam, & Pergamum, & Tiathiriæ, & Sardis, & Fiadelfiæ, & Laudiciæ. Et converti me ut viderem vocem quæ mecum loquebatur. Converſus vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem Filio hominis, veſtitum tunicam talarem, & præcinctus erat ad ubera zonam auream. Caput autem ejus & capilli albi tamquam nix, & oculi ejus ut flamma ignis: pedes ejus ſicut uricalco turino, projecto de camino ignis. Vox ejus ſicut vox aquarum multarum, & habebat in dextera manu ſtillas VII, & de ore ejus gladius ex utraque parte acutus procedens; & facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſua. Et ut vidi illum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus, & poſuit ſuper me manum ſuam dexteram dicens: Noli timere, ego ſum primus & noviſſimus, ego ſum qui vivo ſemper, qui fui mortuus, & ecce vivens ſum in ſæcula ſæculorum, amen.

Lectio b *Actuum Apoſtolorum.*

PRimum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theofile, quæ cœpit Jeſus facere & docere uſque in diem, qua præcipiens apoſtolis per Spiritum-ſanctum, quos elegit, adſumptus eſt. Quibus præbuit ſeipſum vivum poſt paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies XL apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conveſcens præcepit eis ab Hieruſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſſionem Patris, quam audiſtis per os meum: quia Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu-ſancto non poſt multos hos dies. Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, ſi in tempore hoc

a Hæ lectiones item pro Miſſa ſequente. nam lectiones ex Apocalypſi & ex actis Apoſtolorum a die Paſchæ incipiebant.

b Auguſtinus in ſermone quarto de Paſchate: *Modo incipit liber iſte legi: hodie cœpit liber, qui vocatur* ACTUS APOSTOLORUM.

reſtitues regnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate; ſed accipietis virtutem ſupervenientem in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

a TEmpore illo, una ſabbati, valde diluculo, venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata: & invenerunt lapidem revolutum a monumento; & ingreſſæ non invenerunt corpus Domini Jeſu. Et factum eſt dum mente conſternatæ eſſent de iſto, ecce duo viri ſteterunt juxta illas in veſte fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent vultum in terra, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini qualiter locutus eſt vobis, cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens, quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertia die reſurgere. Et recordatæ ſunt verborum ejus, & egreſſæ ſunt a monumento, nunciaverunt hæc omnia illis undecim & ceteris omnibus. ERAT AUTEM Maria Magdalene, & Johanna, & Maria Jacobi, & ceteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apoſtolos hæc: & viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta; & non credebant illis. Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina poſita, & abiit, ſecum mirans quod factum fuerat.

MISSA PRIMA DIE PASCHÆ.

DEum ac Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, fratres cariſſimi, ſuppliciter exoremus, qui tertia die dum reſurrexit a mortuis, multorum ſanctorum corpora ſuſcitavit de ſepulcro: quem cum Maria plorans quæreret ad monumentum, dicitur ei ab Angelis, quod jam ſurrexiſſet a mortuis. Fundebat Maria pro affectu flumina lacrimarum, eo quod non inveniſſet in monumento Dominum. Plangebat in horto dominicæ reſurrectionis; invenit ſepulcrum patentem, & expavit. Illic enim excubiæ Angelorum ſuper lapidem revolutum cantabant de reſurrectione dominica hymnum novum, præclara legio Angelorum: illa fundebat [lacrimas] ante ſepulcrum. Dicitur ei ab Angelis, quod jam reſurrexiſſet a mortuis. Dum iſta audit, efficitur quem quærebat corpus Domini Salvatoris. Clamabat jam gaudens: Tu es Dominus meus, qui in ligno pependiſti, & in ſepulcro pro toto mundo jacuiſti. Noli mihi indignari: etſi hortulanum putavi, tamen Dei filium non negavi. Plorans ploravi ad te ante ſepulcrum, & ibi vidi ſudarium vultus tui [in] ſalutem. Sepultura enim non tuis meritis, ſed noſtris peccatis [debebatur,] unde Maria tergeret oculos luctus. Sub illud enim ſudarium, id eſt in ſepulcro, reliquerat, ut teſtimonium perhiberet de reſurrectione.

Collectio.

Deus qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti: da nobis quæſumus, ut qui [nos] reſurrectionis dominicæ annua

ſollemnitat

a Idem Evangelium ad Miſſam Paſchæ in Lectionario Luxovienſi, ita incipiens: *Diebus illis una Sabbati &c.*

ſollemnitate lætificas, concede propitius, ut per temporalia quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur.

Poſt nomina.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui reſurgens a mortuis, paſſione caſſata, potentiorem te tuis diſcipulis reddidiſti: concede propicius, ut nos quoque apud majeſtatem tuam in hoc paſchali ſacrificio in bonis operibus efficiat promptiores, & gratiæ tuæ pietatis adquirat.

Ad Pacem.

Deus omnipotens, qui & vitæ noſtræ auctor es & ſalutis, exaudi ſupplicum voces, atque eos quos ſanguinis tui effuſione redemiſti, præſta, & per te vivere, & perpepetua facias ſenſuum incolomitate gaudere.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, te quidem in omni tempore, ſed præcipue die, quo tua reſurrectio celebratur, omni feſtivitate laudare, benedicere & prædicare, quo Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per quem poteſtas tartarea cecidit, inferni ſunt vincola reſoluta, cyrographum eſt antiquæ prævaricationis extinctum; aculeus mortis obtritus; nos quoque de ſervitutis jugo damnationis ægyptiæ per ſpiritales aquas educens, triumphans reſurrexit in gloriam, & libertatem nobis miſericordiæ ſuæ munere redonavit Jeſus-Chriſtus dominus noſter. Per quem.

Item Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus ſanguine fuſo pax in cælo terraque firmata eſt. O vere precioſa eſt conventio pacis, quæ facta eſt oblatio ſancti cruoris! non auro, neque argento; non gemmis, aut margaritis; ſed cruore effuſo latere Salvatoris. Sanguis effuſus cælum lætificavit, terram mundavit, inferos conturbavit. Viderunt Angeli, acceperunt lætitiam: viderunt homines, & luce gaviſi ſunt magna. Per q. m. l.

Lectio Apocalypſis ſancti Iohannis Apoſtoli.

EGo Johannes vidi oſtium apertum in cælo, & vox prima, quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc. Statim fui in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis hiaſpidis; & ſardinis, & hiris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ; & in circuitu ſedis ſedilia XXIIII. & ſuper thronos XXIIII ſeniores ſedentes, circum amicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronas aureas. Et de throno procedunt fulgora, & voces, & tonitrua; & ſeptem lampades ardentes ante thronum quæ ſunt ſpiritus Dei: & in conſpectu ſedis tamquam mare vitreum, ſimile cryſtallo: & in medio ſedis & in circuitu ſedis quattuor animalia, plena oculis ante & retro. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis; & quartum animal ſimile aquilæ volanti. Et quattuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas; & in circuitu & intus plena ſunt oculis. Et requiem non habent die & nocte dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiæ.

a *Lectio actuum Apoſtolorum.*

DIebus illis reverſi ſunt apoſtoli in Hieruſolyma, a monte qui vocatur Oliveti, qui eſt juxta Hieruſalem, ſabbati habens iter. Et cum introiſſent in cænacolum, aſcenderunt ubi manebant Petrus & Johannes, Jacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Jacobus Alfei & Simon Zelotes, & Judas Jacobi. Hii omnes erant perſeverantes unianimiter in oratione, cum mulieribus & Maria matre Jeſu, & fratribus ejus.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

VNa ſabbatorum Maria Magdalene & Maria Jacobi valde diluculo venerunt ad monumentum, orto jam ſole. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem ſedentem a dextris, coopertum ſtolam candidam, & obſtipuerunt. Qui dicit illis: Nolite expaveſcere. Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum. Surrexit, non eſt hic. Ecce locus ubi poſuerunt eum. Sed ite, & dicite diſcipulis ejus & Petro, quia præcedit vos in Galilæa. Ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis

ITEM MISSA PASCHALIS

DEus qui unigenitum Filium tuum de cælis pro nobis miſiſti, ut intoleranda ſuſtinuit, crucifixus pendi voluit, ut nos a perpetuis cruciatibus liberaret: tumulo ſuo, ut credimus, peccata noſtra ſepelivit, avaras inferni fauces interiora penetravit: nobis quoque famulis ſuis jubeat in prima reſurrectione eſſe participes

Collectio.

Deus qui paſchalium [gaudiorum] nobis remedia contuliſti; populum tuum cæleſti dono proſequere: ut inde poſt in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exultat.

Poſt nomina.

Suſcipe Domine propicius munera & vota famulorum: ut confeſſione tuí nominis & baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur.

Ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, cui reſurgenti a mortuis ſacrificia paſchalibus gaudiis immolamus, quibus Eccleſia tua mirabiliter & renaſcitur, & nutritur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, te quidem omni tempore laudare, benedicere, & prædicare, quo Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Per quem [in] æternam vitam filii lucis oriuntur, fidelibus regni cæleſtis atria reſerantur, & beati lege commercii divinis humana mutantur. Quia noſtrorum omnium mors cruce Chriſti redempta eſt, & in reſurrectione ejus omnium vita ſurrexit. Quem in ſuſceptione mortalitatis Deum majeſtatis agnoſcimus, & in divinitatis gloriam Deum & hominem confitemur. Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reſtituit Jeſus-Chriſtus Dominus noſter. Quem laudant.

Lectio Apocalypſis ſancti Iohannis.

EGo Johannes vidi nubem candidam, & ſupra nubem ſedentem ſi-

a Hæ lectiones pro ſequentibus diebus paſchalibus diverſæ ab eis quæ aſſignantur in Luxovienſi Lectionario, ubi tamen deſumuntur etiam ex Apocalypſi & ex Actis.

mile n Filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream,& in manu ſua falcem acutam. Et alter Angelus exivit de templo,clamans voce magna ad ſedentem ſuper nubem : Mitte falcem tuam, & mete:quia venit hora ut metatur, quoniam matura eſt meſſis terræ. Et miſit qui ſedebat ſupra nubem falcem ſuam in terram, & meſſa eſt terra. Et alius Angelus exivit de templo, quod eſt in cælo, habens & ipſe falcem acutam. Et alius Angelus de altari, qui habet poteſtatem ſupra ignem, & clamavit voce magna, qui habet falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros terræ, quoniam maturæ ſunt uvæ ejus. Et miſit Angelus falcem ſuam in terram, & vindemiavit vineam terræ: & miſit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus eſt lacus extra civitatem, & exivit ſanguis de lacu uſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

Lectio Actuum Apoſtolorum.

TEmpore illo Saulus adhuc ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas : ut quos inveniſſet hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem. Et cum iter faceret, contigit ut adpropinquaret Damaſco:& ſubito circumfulſit eum lux de cælo, & cadens in terram, audivit vocem dicentem ſibi : Saule, Saule, quid me perſequeris ? Et dixit : Quis es Domine? Et ille:Ego ſum Jeſus quem tu perſequeris. Sed ſurge, & ingredere in civitatem, & dicetur tibi quæ te oporteat facere. Viri autem qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surgens autem Saulus de terra, apertiſque oculis nihil videbat. Ad manum autem illum trahentes, introierunt Damaſcum : & erat tribus diebus Saulus, & non manducavit, neque bibit.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

DIebus illis poſt reſurrectionem, cum fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli propter metum Judæorum, venit Dominus Jeſus, & ſtetit in medio eorum,& dicit eis : Pax vobis. Et hoc cum dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gaviſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis iterum : Pax vobiſcum. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet, inſufflavit, & dicit eis : Accipite Spiritum-ſanctum; quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Dominus Jeſus. Dixerunt ergo ei alii diſcipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et poſt dies *a* octo iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis : Venit Dominus Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit : Pax vobis. Deinde dixit Thomæ : Infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli eſſe incredulus

a Hoc Evangelium bene convenit octavo diei poſt Paſcha, quo die in Ordine Romano aſſignatur. Vocatur Dominica *in albis* ſeu *ad albas deponendas*. In codice Vallicellano affertur ad hanc diem ad albas deponendas *Oratio quam debet Sacerdos dicere ſuper infantes, quando eis ſcucuſare* vult, id eſt albas exſuere.

ſed fidelis. Reſpondit Thomas & dixit ei : Dominus meus, & Deus meus. Dixit ei Jeſus : Quia vidiſti me, & credidiſti : beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Dominus Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

Item Missa paschalis.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui populum tuum Unigeniti tui ſanguine redemiſti, ſolve vincula peccatorum noſtrorum : ut qui æternam vitam in confeſſione tui nominis ſunt adepti, nihil debeant mortis auctori.

Collectio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut hujus paſchalis feſtivitatis mirabile ſacramentum & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam tribuat ſempiternam.

Poſt nomina.

Reſpice quæſumus Domine, & peccatorum noſtrorum tenebras averte : ut quos exercet devotio ſollemnitatis paſchalis, inluſtrent gaudia piæ cognitionis ; & nomina quæ recitata ſunt, in cæleſti pagina conſcribi præcipias.

Ad pacem.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut feſta Paſchalia, quæ devotione colimus, moribus exſequamur ; & pacem quam per omnia cuſtodire juſſiſti, non tantum oſculis, ſed animis conſervare nos jubeas : ut ſpiritalibus donis inſtituti, apoſtolica præcepta ſervemus.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum Dominum. Cujus mors humanæ vitæ facta eſt reparatio, deſtructio mortis, ablatio peccati, venia offenſis, redemtio hominum, reconciliatio mundi, & tuæ Pater pietatis mira placatio. De morte enim Chriſti reſurrectio noſtra venit in mundum, qui ſicut ovis ad occiſionem pro nobis ductus eſt ; & ut agnus coram tondente ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Hic enim eſt agnus Dei unigenitus Filius tuus, qui tollit peccata mundi : qui ſe pro nobis offerendo non deſinit, noſque apud te perpetua advocatione defendit : quia numquam moritur immolatus, ſed ſemper vivit occiſus. Quem laudant &c.

Item conteſtatio Paſchalis.

VEre dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, cujus a mundi origine inæſtimabilis erga hominum genus dilectio perſeverat ; dum juſtos per viam rectam gradientes cæleſtem ducit ad patriam, & peccatores ab iniquitate converſos paternam reportat ad gratiam. Hinc ergo eſt omnipotens Deus, quod Dominus noſter Jeſus-Chriſtus ſicut paſſione ſua exſpoliat inferos, ita etiam reſurrectione ſua manubiis, quibus tartarea vincla nudaverat, veſtivit potentialiter cælos. Per quem majeſtatem tuam.

---

a *Epiſtola Pauli apoſtoli ad Philippenſes.*

FRatres, hoc ſentite in vobis quod in Chriſto Jeſu, qui, cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu

a Sequentes duæ lectiones ſubſequenti feſto inventæ Crucis conveniunt.

inventus ut homo. Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus-Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

SImile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendidit univerſa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una precioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum ſimile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti: quam cum impleta eſſet, educentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium.

MISSA IN *a* INVENTIONE SANCTÆ †.

VEnerabilem toto mundo de inventione ſanctæ Crucis ſacratiſſimum diem ſollemniter celebrantes, gratias agamus divinæ potentiæ, qui tantæ ſalutis vexillum, quod Judaica nobis abſcondebat malitia, cæleſtis hodie revelavit clementia. Nam etſi gens perfida Dominum noſtrum in ſepulcro retinere non potuit, vel ipſa Crucis indicia voluit ſub foſſa celare. Quid enim illa mens perfida poterat excogitare de cruce, quæ jam ſacrilegium commiſerat in auctorem? Itaque ſicut in Chriſti reſurrectione calliditas Judæorum damnata eſt, ita eſt in crucis manifeſtatione virtutis confuſa.

Secreta.

Deum creatorem & redemtorem noſtrum, qui in carne, quam ſumpſit de Virgine, pro totius mundi ſalute admirabilis hoſtia immolatus eſt in crucis altari; & propter expellendum venenum, quod in Adam fuerat ſuaſione ſerpentis infuſum, precioſi ſanguinis porrexit antidotum, ut criminis antiqui peccatum tam novo ſacrificio purgaretur; & mors, quæ proceſſit guſtando de ſcientiæ ligno, moreretur per lignum; ſupplices deprecamur: ut nos, quos eripuit de inferno per hujus ſigni patibulum, ejuſdem protectione perducat ad regnum.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus: qui genus humanum prævaricatione ſua in ipſius originis radice damnatum, per florem virginalis uteri reddere dignatus es abſolutum; & hominem recreari, ut diabolus, qui Adam in fragili carne devicerat, conſervata juſtitia a Deo carne redderetur adſumpta, cum perfectum Dominum Jeſum Chriſtum in utraque ſubſtantia hoſtis temtaret humilem, ſed agnoſceret præpotentem. Nam adverſarius noſter nec a ſolo Deo certari poterat, nec a ſolo homine debellari. Sed cujus provocatus viſibili corpore, victus eſt inviſibili poteſtate. Dic igitur hoſtis antique, quo tua fraus, quo argumenta, quo ſerpentina conſilia

a Habetur item Miſſa de ea in Gothico, ſed diverſa. Obſerva hic nullas aſſignari Miſſas pro Dominicis poſt Paſcha: quia Paſchales repetebantur.

ſunt vorata? Ecce deceptor deceptus es, & qui triumphaveras conculcaris. Nam caro, quæ tibi fuit in Adam cibus, factus eſt in Chriſto interitus: & unde prius eſca, inde ſucceſſit penuria. Sed videamus ubi contigit pœna, de qua tenemus victoriam: & adoremus Crucis ſignaculum, per quod ſalutis ſumſimus ſacramentum. Ecce crux venerabilis evacuatio vulneris, reſtitutio ſanitatis, fidei oraculum, ſpei ſuffragium, victoriæ firmamentum. In hac Dominus noſter manus ſacras pugnaturus inſeruit: in hac ut nobis palmam tribueret, ſuas palmas Redemtor aptavit; & quaſi in ſtatera ſe ipſum pro precio noſtro penſavit, ut viti venditâ fieret mors captiva. In hac ne mundus gravem lapſum gemeret, ſanctos pedes Chriſtus adfixit, & contra fortem fortior totum corpus triumphaturus extendit. Hoc tamen plus eſt mirabile, quia quod toto mundo profecerit, in uno ſtans ſtipite curſum victor implevit. O crux admirabili virtute præcellens, muneris precioſi largitrix, quæ reddis cives de peregrinis, felices de naufragis, liberos de ſubditis, vivaces efficis de peremtis! Ad cælos ducis de tartaris, amicos revocas ex offenſis, adoptivos facis de perditis, heredes inſtituis de damnatis. Vere ſummis digna præconiis, quæ viduato inferno dotaſti paradiſum, & virtus quæ illum ſubdidit, hunc erexit. Tu noſtri capitis galea, lateris palma, pectoris es lorica; & quicquid tota membra popoſcerint, ſola ſufficis præmunire. Ecce factum eſt nobis ſignum Crucis in bonum per Chriſtum Dominum noſtrum.

IN LETANIAS *a* LEGENDA.

Lectio Iohel Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & in planctu: ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; & convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt. Canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium, vocate coetum, congregate populum, ſanctificate eccleſiam, vocate ſenes & ſugentes ad ubera. Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent: Parce Domine, populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium. Et reſpondit Dominus, & dixit populo ſuo: Ecce ego mittam vobis frumentum, vinum & oleum, & replebimini eo, & non dabo vos ultra in opprobrium in gentibus, quia dedi vobis Doctorem juſtitiæ, & deſcendere faciam ad vos imbrem matutinum & ſerotinum, ait Dominus Deus.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: ut ſitis filii Patris veſtri qui in cælis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim diligatis eos qui vos

a Diverſæ & prolixiores lectiones aſſignantur in Luxovienſi Lectionario: ſed hæ pro Miſſa, aliæ extra Miſſam. Porro Litaniæ Rogationum Romæ non receptæ ſunt ante pontificatum Leonis tertii, qui Pontifex *conſtituit, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Letaniæ celebrentur*, teſtante Anaſtaſio.

diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid amplius facietis? nonne ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.

Item alia. Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

IN illo tempore convocatis Dominus Jeſus diſcipulis ſuis, dixit: Miſereor turbæ, quia tri luo jam perſeverant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. Et dicunt ei diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam? Et ait illis Jeſus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos. Et præcepit turbæ ut diſcumberet ſuper terra: & accipiens ſeptem panes & piſces, gratias agens, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, & diſcipuli dederunt populo: & comederunt omnes, & ſaturati ſunt. Et quod ſuperfuit de *a* fragmentis tulerunt ſeptem ſportas plenas. Erant autem qui manducaverunt quattuor milia hominum, extra parvulos & mulieres.

Item alia.

Veſpere autem facto, acceſſerunt ad Jeſum diſcipuli ejus dicentes: Deſertus eſt locus, & hora jam præterit; dimitte turbas, ut euntes in caſtella, emant ſibi eſcas. Jeſus autem dixit eis: Non habent neceſſe ire, date illis vos manducare. Reſponderunt ei: Non habemus hic niſi quinque panes, & duos piſces. Qui ait eis: Adferte illos mihi huc. Et cum juſſiſſet turbam diſcumbere ſupra fœnum, acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum, benedixit, & fregit, & dedit diſcipulis ſuis panes, diſcipuli autem turbis. Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt, & tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque milia virorum, exceptis mulieribus & parvulis.

MISSA IN LETANIAS DICENDA.

MIſericors Domine, cujus miſerationes ſunt ſuper omnia opera ejus, fratres cariſſimi, ſupplicemus, ut reliquiis populi ſui, quem ruina mundi labentis ac prætereuntis oppreſſit, in variis adflictionum ejus ſuccurrat anguſtiis, quo ſingulis adque univerſis tribulationum ſuarum pondus non ira delendi ſint, ſed eruditio * convertendi.

Secreta.

Deus noſtrum refugium in laboribus, virtus in infirmitatibus, adjutorium in tribulationibus, ſolamen in fletibus; parce Domine, parce populo tuo, ne tradas beſtiis animas confitentes tibi.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus Expectantes ergo miſericordias tuas, ante oculos tuos extenſum humilitatis noſtræ ſine infuſione tuæ benedictionis expetimus. Parce Domine miſeris, & ante tuum conſpectum parce proſtratis; nec afferant nobis noſtra delicta reatum, ſed tribuat tua dulcedo conſolationis remedium. Verumtamen, omnipotens & miſericors Deus, te obſecramus, ut voluntariam nobis conferas pluviam, & ne ſecundum peccata noſtra tribuas nobis, nec ea qua meremur auſteritate nos judices, quia tu reples omnem animam benedictione per Chriſtum dominum noſtrum.

a In exemplari *fraumentis*; & in ſubſequente alia lectione *fraumentorum*.

Lectio Apocalypſis a *ſancti Johannis.*

VIdi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum in conſpecto Agni, amicti ſtolas albas, & palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna, dicentes: Salus Deo noſtro, qui ſedit ſuper thronum, & Agno. Et omnes Angeli ſtabant in circuito throni, & ſeniorum, & quattuor animalium: & ceciderunt in conſpecto throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, amen.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

DIebus illis ſtetit dominus Jeſus in medio diſcipolorum ſuorum, & dicit eis: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Conturbati vero & conterriti, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ipſe ego ſum. Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi optulerunt ei partem piſcis aſſi, & favum mellis. Et cum manducaſſet coram eis, ſumens reliquias dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc [eſſem] vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, & dixit eis, quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine ejus pæniteutiam & remiſſionem peccatorum in omnibus gentibus, incipientibus ab Hieruſolyma. Vos autem eſtis teſtes horum: & ego mitto promiſſum Patris in vos. Vos autem ſedete in civitate, quoaduſque induamini virtutem ex alto. EDUXIT AUTEM EOS FORAS in Bethanea, & elevatis manibus ſuis in cælum, benedixit eis. Et factum eſt dum benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in cælum. Et ipſi adorantes regreſſi ſunt in Hieruſalem cum gaudio magno. Et erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Dominum.

MISSA IN ASCENSIONE DOMINI.

MIrabilis in excelſis Dominus Deus noſter, qui aſcendiſti ſuper cælos cælorum ad orientem, inter Angelorum miniſteria carnis trophæa ſuſtollens, cum ad occurſum tuum cæli poteſtates occurrunt; pone quæſumus aſcenſiones in cordibus noſtris: ut etiam nos te ſequentes, illuc tendamus fide, ubi ſcimus ad Dei Patris dexteram te regnare.

Secreta.

Aſcenſionis Domini ſacramentum, quo advocatus Dominus noſter Jeſus-Chriſtus ad Patrem nobis miſſurus aſcendit,

a Sequentes lectiones feſto Aſſcenſionis conveniunt. Auguſtinus in ſermone tertio de Aſſcenſione ait lectum fuiſſe ex Apocalypſi, *Vicit Leo de tribu Iuda.* In ſermone quinto mentionem facit lectionis ex libro Actuum Apoſtolorum: quæ prima eſt lectio ex tribus in Lectionario noſtro Gallicano.

aſcendit, fidei noſtræ gaudia multiplicata concelebret: ut promiſſionis ſuæ memorata interpellet pro nobis, ut in ſecundo ejus adventu mereamur occurrere læti.

Conteſtatio. a

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum dominum noſtrum. Qui mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Qui ſolutis inferni nexibus æreas portas ac ferrea clauſtra confregit: deindè reſurgens à mortuis, quadraginſimo die, videntibus cunctis diſcipolis, ad cælos aſcendit: quia ipſe eſt expectatio noſtra, quem expectamus venire de cælis, ut conformet corpus humilitatis noſtræ corpori gloriæ ſuæ. Quem laud.

---

b *Lectio Apocalypſin ſancti Johannis Apoſtoli.*

VEni, oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei. Lumen ejus ſimile lapidi precioſo, tamquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum. Et habebat murum magnum & altum, habens portas XII. & in portis Angelos XII. & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina XII. tribuum filiorum Iſraël. Ab Oriente portæ tres: & ab aquilone portæ tres: & ab auſtro portæ tres; & ab occaſu portæ tres. Et murus civitatis habens fundamenta XII. & in ipſis XII. nomina Apoſtolorum Agni. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram, harundinem auream, ut me tiretur civitatem, & portas ejus, & murum. Et civitas in quadrato poſita eſt, & longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo. Et menſus eſt civitatem in harundine per ſtadia XII. Longitudo & altitudo æqualia ſunt. Et menſus eſt murus ejus CXLIIII cobitorum menſura hominis, quæ eſt Angeli. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa vero civitas auro mundo, ſimile vitro mundo. Fundamenta muri civitatis omni lapide precioſo ornata. Fundamentum primum jaſpis: ſecundus ſapphirus: tercius calcidonius: quartus zmaragdus: quintus ſardonix: ſextus ſardinus: ſeptimus chryſolitus, octavus beryllus, nonus topaſius, decimus chryſopraſſus, undecimus hyacinthus, duodecimus amethyſtus: & duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas. Qui habet aurem audiat quæ ſpiritus dicat.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

DIebus illis dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet, quia ego ad Patrem vado: & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea ſervate: & ego rogabo Patrem, & alium *c* Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum: vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad

a Eadem conteſtatio in Gothico uſque ad hæc verba, *Qui ſolutis inferni* &c.

b Lectiones pro feſto Pentecoſtes, quod abſolute *Quinquageſimum* infra non ſemel appellatur.

c Sic *Paraclitus*, non *Paracletus*, in vetuſtiſſimo exemplari.

vos. Adhuc modicum, & mundus me jam [non] videt: vos autem videbitis me, quia ego vivo & vos vivetis. In illo die vos cognoſcetis quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.

Missa in Quinquaginsimo.

TE datorem Spiritus-ſancti, Domine Chriſte, in hac die celeberrima, quo tuos Apoſtolos chariſmatum donis Spiritus-ſancti igni ditaſti, provoluta ac ſubmiſſa prece rogamus: quo adveniente Trinitas coruſcavit, quinquaginſima dies emicuit; in quo Paſcha adimpleta eſt, myſterii tui ſollemnitatem concludimus obſecrantes: ut corda noſtra purifices, a quo diſcipulorum corda quaſi ferrum ad capiendum igniſti.

Collectio.

Spiritus-ſanctus tuus Paraclitus, quæſumus Domine, a peccatis noſtris emundans continuam nobis tribuat claritatem; quique quaſi ignis ſuper Apoſtolos advenit, diſpergens dona; ſuper nos quoque infirmos te concedente vel aliqua portione ſuæ dignationis adveniens, & peccata deleat, & pietatis dona largiatur.

Poſt nomina.

Virtute ſancti Spiritus, Domine munera noſtra continge: ut quod ſollemnitate quinquaginſimæ ſuo nomini dedicavit, & intelligibile nobis faciat & æternum.

Collectio ad Pacem.

Munera noſtra, quæſumus Domine, ſancti Spiritus tui dignatione ſacrentur, per quæ & a peccatis omnibus abſolvantur, & adoptionis tuæ filii renaſcantur.

Conteſtatio.

a Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens, Deus te laudare in hoc præcipue die, quo ſacratiſſimum Paſcha quinquaginta dierum myſteriis tegitur, & per ſua veſtigia recurſantium dierum ſpatiis colligitur; & diſperſio linguarum, quæ in confuſione facta fuerat, per Spiritum-ſanctum adunatur. Hodie namque de cælis repente ſonum audientes Apoſtoli, unius fidei Symbolum exceperunt, & linguis variis Evangelii tui gloriam Gentibus tradiderunt per Chriſtum Dominum noſtrum.

IN DEI NOMINE INCIPIUNT LECTIONES cottidianas.

Lectio de Hieremia Propheta.

HÆc dicit Dominus: Quærite pacem civitatis, & orate pro ea ad Dominum, quia in pace illius erit pax vobis. Hæc dicit Dominus: Non vos ſeducant prophetæ veſtri, qui ſunt in medio veſtri, & divini veſtri; & ne attendatis ad ſomnia veſtra, quæ vos ſomniatis: quia falſum vobis ipſi prophetant in nomine meo,

a Eadem in Gothico eſt Conteſtatio pag. 169.

& non miſi eos, dicit Dominus. Viſitabo vos, & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum. Ego enim ſcio cogitationes, quas cogito ſuper vos, cogitationes pacis, & non adflictionis: ut dem vobis finem & pænitentiam. Invocabitis me, & vivetis; orabitis me, & exaudiam vos; quæretis me & invenietis. Cum quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar a vobis, ait Dominus: & reducam captivitatem veſtram, & congregabo vos de univerſis gentibus, & de cunctis locis, ad quæ expuli vos, ait Dominus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Philippenſes in ſancti Iohannis a Miſſa.

FRatres, gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus enim prope eſt. Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione & obſecratione cum gratiarum actione petitiónes veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras in Chriſto Jeſu. De cetero, fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; ſi qua virtus, ſi qua laus; hæc cogitate; quia & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me. Hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

FUit in diebus Herodis Regis Judææ Sacerdos quidam, nomine Zaccharias, de vice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron, & nomen ejus Elizabeth. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querella; & non erat illis filius, eo quod eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem cum ſacerdotio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum ſecundum conſuetudinem ſacerdotii, ſorte exiit ut incenſum poneret ingreſſus in templum Domini, & omnis multitudo erat populi orans foris hora incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans a dextris altaris incenſi, & Zaccharias turbatus eſt videns, & timor inruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zaccharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Johannem, & erit gaudium tibi, & exultatio; & multi in nativitate ejus gaudebunt, & erit magnus coram Domino & vinum & ſiceram non bibet, & Spiritu-ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ, & multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ, ut convertat corda patrum in filios, & incredibiles ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zaccharias ad Angelum: Unde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis. Et reſpondens Angelus dixit ei: Ego ſum Gabriël, qui adſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare, & ecce eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs exſpectans

a Id eſt feſto, uti colligitur ex Miſſa ſequente *poſt ſancti Iohannis Miſſam*. Quo nomine feſtum apud veteres ſignificari, notius eſt quam ut probari ſit neceſſarium.

Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipſe in templo. Egreſſus autem non poterat loqui ad illos : & cognoverunt quod viſionem vidiſſet ipſe in templo. Et ipſe erat innuens illis, & permanſit mutus. Et factum eſt ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam. Poſt hos autem dies, concepit Elizabeth uxor ejus, & occultabat ſe menſibus quinque dicens: Quia ſic mihi fecit Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum eſt in die octavo venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ejus Zaccharia. Et reſpondens mater ejus dixit : Nequaquam, ſed vocabitur Johannes. Et dixerunt ad illam : Quia nemo eſt in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus quem vellet vocari eum. Et poſtulans pugillarem, ſcripſit dicens : Johannes eſt nomen ejus. Et mirati ſunt univerſi. Apertum eſt autem ilico os ejus, & lingua ejus, & loquebatur benedicens Deum. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum, & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo dicentes : Quid putas puer iſte erit ? etenim manus Domini erat cum illo. Et Zaccharias pater ejus impletus eſt Spiritu-ſancto, & prophetavit dicens : Benedictus Dominus Deus Iſraël. Puer autem creſcebat & confortabatur ſpiritu, & erat in deſerto uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum, quæ legitur poſt ſancti Johannis Miſſam.

Diebus illis, cum veniſſet Dominus Jeſus in templum, acceſſerunt ad eum docentem principes Sacerdotum, & ſeniores populi, dicentes : In qua poteſtate hæc facis, & quis dedit tibi hanc poteſtatem ? Reſpondens Jeſus dixit illis : Interrogabo vos & ego unum ſermonem, quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua poteſtate hæc facio. Baptiſmum Johannis unde erat ? e cælo, an ex hominibus ? At illi cogitabant inter ſe, dicentes : Si dixerimus, E cælo ; dicet nobis : Quare ergo non credidiſtis illo ? ſi autem dixerimus, Ex hominibus ; timemus turbam. Omnes enim habebant Johannem ſicut prophetam. Et reſpondentes Jeſu, dixerunt : Neſcimus. Ait illis & ipſe : Nec ego vobis dico in qua poteſtate hæc facio. Quid autem vobis videtur ? Homo habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operari in vinea mea. Ille autem reſpondens ait: Nolo. Poſtea autem pænitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter. At ille reſpondens ait : Eo domine, & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei, Noviſſimus. Dicit illis Jeſus : Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regno Dei. Venit enim ad vos Johannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei: publicani autem & meretrices crediderunt ei, vos autem videntes nec pænitentiam habuiſtis poſtea ut crederetis ei.

Poſt Prophetiam.

Aperi Domine clauſtra oris noſtri, non ſolum linguam, ſed & men-

tem, ſecundum ſervi tui Zachariæ prophetæ, ut omnibus diebus vitæ noſtræ te laudare poſſimus, & remiſſionem peccatorum conſequi mereamur in via pacis æternæ. Per.

---

a MISSA SANCTI JOHANNIS BAPTISTÆ.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui hunc nobis honorabilem diem in beati Johannis Baptiſtæ nativitate feciſti inſignem, quæſumus ut tuus Præcurſor, qui inter natos mulierum omnibus major ſurrexit, noſtram fragilitatem tuæ pietati commendet.

Collectio.

Deus qui hunc diem nativitatis beati Johannis Baptiſtæ incomparabilem hominibus conſecraſti: præſta nobis de ejus meritis, illius nos calceamenti ſequi veſtigium [qui ſe ad ſolvendam Salvatoris] corrigiam prædicavit indignum.

Poſt nomina.

Tua Domine muneribus b ſalutaria cumulamus, beati Johannis Baptiſtæ nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi cecinit ad ſalutem.

Ad pacem.

Præſta quæſumus Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum, beati Johannis Baptiſtæ natalitiis inbuatur, quem præmiſiſti Filio tuo plebem parare perfectam.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, in die feſtivitatis hodiernæ, quo beatus ille Johannes exortus eſt, qui vocem Matris Domini nondum editus ſenſit, & adhuc clauſus utero adventum ſalutis humanæ prophetica exultatione geſtivit: qui & genetricis ſterilitatem conceptus abſterſit, & patris linguam natus abſolvit, ſoluſque omnium Prophetarum, Redemtorem mundi, quem prænunciavit, oſtendit: & ut ſacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, ſanctificandis Jordanis fluentis ipſum baptiſmatis lavit auctorem Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem.

---

c *Lectio libri Sapientiæ Salomonis De uno juſto.*

BEatus vir qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. Quis probatus eſt in illo, & perfectus inventus eſt, & erit illi gloria. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; & facere mala, & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius, & eleemoſynas illius enarrabit eccleſia Sanctorum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Marcum.

IN illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jeſu, tenuit Johannem, & alligavit eum, & poſuit in carcere propter Herodiadem uxorem fratris ſui. Dicebat enim illi Johannes: Non licet tibi habere eam. Et voluit illum occidere: timuit populum, quia ſicut prophetam eum habebant. Die autem natalis ſaltavit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Unde cum juramento

a Hæc præpoſtere poſita, quæ præcedere debuerant ſuperiora *poſt Miſſam ſanct. Johannis.*

b In Romano, ubi hæc collectio fere eadem refertur, legitur *altaria*.

c Sequentes lectiones aſſignantur pro ſubſequente feſto paſſionis ſancti Johannis Baptiſtæ.

pollicitus eſt ei dare quodcumque poſtulaſſet ab eo. At illa præmonita a matre ſua, Da mihi, inquit, hic in diſco caput Johannis Baptiſtæ. Et contriſtatus eſt Rex. Propter juramentum autem & eos qui pariter recumbebant, juſſit dari. Miſitque, & decollavit Johannem in carcere; & allatum eſt caput ejus in diſco, & datum eſt puellæ, & tulit matri ſuæ. Et accedentes diſcipuli ejus, tulerunt corpus ejus, & ſepelierunt illud.

Missa in sancti Johannis passione.

DEus cui ſancta converſatione directa glorioſi Johannis oranda ſanctitas, celebranda ſollemnitas eſt: qui quondam cum adnunciaret mirabiliter Redemtorem, expectabat, ſpeculum luminis, initium baptiſmatis, teſtimonium veritatis; & in plenitudinem Chriſti ſignorum, poſt ſigna monſtrabat, nuncius ſalutis, æmulus paſſionis: ſerviit Propheta baptiſmo, Baptiſta martyrio, & Jeſum Dei filium mundi redemtione venturum, quem adnunciare ſe prædicatione ſermonis oſtendit, amare ſe effuſione ſanguinis conprobavit.

Collectio ſecreta.

Exaudi nos bonorum omnium diſpenſator, atque in electiſſimi tui Johannis ſollemnitate præſenti delictorum indulgentiam placatus adtribue; cui totum in virtutem ſancti Spiritus ab ore tranſlatum, Chriſtus fuit moriendi cauſa, cui Chriſtus fuerat cauſa naſcendi. Ipſe igitur nativitatis Dominicæ nuncius, ipſe præcurſor probatus eſt paſſionis Per.

Conteſtatio

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui in conſpectu vaticinium, in actu baptiſmum, in obitu martyrium: quo per unam eamdemque diſpenſationem oſtendit generatio quem promiſit, converſatio quem docuit, paſſio quem dilexit: prophetat in utero, prædicat in ſæculo, conſummat in gaudio. A juſtitia elegitur, de juſtitia loquitur, pro juſtitia decollatur. Tantus prophetæ ſplendor in carceris clauſtra detruditur; & precioſus Deo ſanguis meretriciæ ſaltationis mercede taxatur: atque inter gentiliciæ voluptatis fit epulas ſpeculum. Cui merito omnes Angeli. Sanctus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos In natale Apoſtolorum.

FRatres, juſtificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum: per quem acceſſum habemus fide in gratia iſta, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit: quia caritas Dei defuſa eſt in cordibus veſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis. Ut quid enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? Vix enim pro juſto quis moritur: nam pro bono forſitan quis & audeat mori? Commendat autem ſuam caritatem Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multo igitur magis juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

DIebus illis ambulans Dominus Jeſus juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simon, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, erant enim piſcatores, & ait illis: Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. At illi continuo relictis retibus ſuis ſecuti ſunt eum. Poſt hæc dicit Jeſus Petro: Simon Johannes diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Johannes diligis me? At ille ait: Etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Johannes, amas me? Contriſtatus Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? Et dicit ei: Domine, tu noſti omnia, tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce oves meas. Amen, amen dico tibi, cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, ſignificans qua morte eſſet clarificaturus Deum.

MISSA IN NATALE PETRI ET PAULI.

DEus qui hunc [diem] beatorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti; Eccleſiam tuam eorum quæſumus magiſterio gubernare [digneris] per quos ſumpſit inicium.

Collectio.

Apoſtolorum Domine beatorum Petri & Pauli deſiderata ſollemnia recenſemus: præſta quæſumus, ut eorum ſupplicatione muniamur, quorum regimur principatu.

Poſt nomina.

Largiente te Domine natalicio Petri & Pauli lumen effulſit: concede quæſumus, ut hodierna gloria paſſionis ſicut illis magnificentiam tribuit ſempiternam, ita nobis veniam largiatur optatam.

Ad Pacem.

Munera quæ deferimus Domine benignus adſume: ut qui noſtris inpedimur offenſis, Apoſtolorum precibus adjuvemur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens, te glorioſum in ſanctis tuis, te mirabilem in tuis diſcipolis declamare. Te enim verum Deum deprecantes Apoſtoli in omnem terram ſonum præbuerunt, & in fines orbis terræ verbum ſancti certaminis tradiderunt. Ex quibus beatum Petrum in fundamentum Eccleſiæ conlocaſti, cujus fide in omnium diſcipulorum tuorum gaudio confortaſti. Huic gentium Magiſtrum tradidiſti collegam, noviſſimum quidem in curſum, ſed æqualem ad præmium. Plus enim omnibus laborat in prædicatione, qui plus in perſecutione præſumpſerat: & quem Saulum perſequentem *a* nominabat, Eccleſia prædicantem Paulum appellat. Par efficitur Petro in paſſione, ut credatur ejus particeps eſſe in remuneratione Hæc tu omnia Domine operaris, qui a Prophetis demonſtraris, ab Angelis adoraris, & ad omne ſæculum Apoſtolorum lumine declararis. Et ideo cum Angelis & Archangelis conlaud.

a Legendum videtur *nominabas*.

a *Epiſtola Johannis apoſtoli ad Gentes.*

FRatres, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo : quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis circuibat Dominus Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes variis languoribus & tormentis comprehenſos, & curavit eos.

MISSA SANCTI SIGISMUNDI REGIS

OMnipotentem Dominum, qui per Apoſtolos & Martyres ſuos diverſa ſanitatum dona largitur, fratres dilectiſſimi, deprecemur, ut huic ſervo ſuo ill. qui typi quartani vexatione fatigatur, fidelis famuli ſui Sigiſmundi precibus clementer occurrat : & dum nobis illius facit merita, iſti conferat medicinam.

Secreta.

Inclina Domine pias *b* preces ad deſideria ſupplicantium, & quæ devoto corde poſcimus, benignus admitte : ut ſervo tuo ill. qui typi quartani vexatione fatigatur, fidelis famuli tui Sigiſmundi precibus clementer occurras : nobis illius patefacias merita, præſenti ægroto conferas medicinam.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, nomen tuum laudare, cujus majeſtatem tuam tanto magis obnoxii ſumus, quantum illi pro ſuſcepta noſtri corporis humilitate debemus, exemplum nobis relinquens, ut ſequamini veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus. Quis in hoc mundo ita poterit ſequi, ut nec dolus in ore, nec peccatum ejus inveniatur in opere? ſed in patientia, quæ Deus amat, majeſtas divina commendat. Nunc [illegible] dono majeſtatis tuæ agnoſcimus reliquias eſſe homini pacifico. Tu ergo, Domine Deus noſter, qui inter bellorum tumultus, non examinatione perſecutoris, electo tuo Sigiſmundo triumphum martyrii contuliſti, tu diſpenſando pauperibus pulſanti aperire dignatus es, ſecutus gratiam, conſecutus miſericordiam, ut poſt mortem oſtendas in virtute, quem ante mortem firmaſti in fide. Tua enim dona ſunt Domine, ut in nomine electi tui Sigiſmundi per communionem corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu-Chriſti Filii tui a famulo tuo ill. tempeſtatis frigora, febrium ardorem repellas, & ad ſanitatem priſtinam revocare digneris. Præſta, quem in Trinitate laudant omnes Angeli.

a Sequentes lectiones pro Miſſa Sancti Sigiſmundi regis, *quem in conſortium Sanctorum adſcitum, ipſa res quæ geritur manifeſtat*, ait Gregorius Turonenſis in lib. I. de gloria martyrum cap. LXXV. *Nam ſi qui nunc frigoritici in ejus honore Miſſas devote celebrent, ejuſque pro requie Deo offerant oblationem, ſtatim . . . priſtinæ ſanitati reſtituuntur.* Sic in Miſſali Mozarabum Sacrificium offertur *pro Spiritibus pauſantium Hilarii, Athanaſii, Martini &c.* id eſt Confeſſorum.

b Legendum videtur *aures*.

Lectio Apocalypſis ſancti Iohannis in Sanctorum a legenda.

VIdi, & ecce unus de ſenioribus dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolas albas, qui ſunt & unde venerunt? Et dixi illi: Domine mi tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui veniunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus; & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos. Non eſurient neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus: quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrimam ex oculis eorum.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Hebræos.

FRatres, Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

VIdens Dominus Jeſus turbas, aſcendit in montem: & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum docebat eos dicens. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Beati eſtis cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos, mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.

MISSA IN SANCTORUM MARTYRUM.

DEus, qui in Sanctorum tuorum cordibus ſancti caloris tui ignes accendens, uſque ad martyrii eos glorioſa certamina ſuſtuliſti, ut in ſupplicio conſtituti, perſecutores tuos te vincente deſpicerent, pœnas te confortante contemnerent, præmia te remunerante perciperent in gloria: per illorum te Domine triumphum deprecamur, ut nobis remiſſionem tribuas peccatorum.

Secreta.

Omnipotens Deus noſter, tu tribue ut interceſſio beatiſſimorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & Sacerdotum, omniumque Sanctorum, noſtrarum profectus ſit animarum, & cultus, quem illis deferimus ad honorem, nobis proficiat ad ſalutem: ut interceſſione eorum gratiam tuam & pacem in nobis facias permanere.

Immolatio Miſſæ.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus. Tibi enim, Domine, feſta ſollemnitas agitur, tibi dies ſa-

a Hic incipit Commune (ut vocant) ſanctorum. Quæ vero ſequuntur lectiones conveniunt ſanctis Martyribus, de quibus eſt Miſſa ſequens. nam nihil de Communi Apoſtolorum, nequidem in Gothico. Quamquam nomine Martyrum etiam Apoſtolos comprehenſos fuiſſe patet ex Miſſa ſequente, quæ videtur eſſe de omnibus Sanctis.

crata celebratur, quam beatorum tuorum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, Virginum & Sacerdotum, in veritatis tuæ teſtificatione profuſis, magnifico nominis tui honore ſignavit, in quo unicum ſalutis noſtræ præſidium, Pater æterne, poſuiſti. Tuas igitur, Domine, virtutes, tuaſque victorias admiramur, quotiens in Eccleſia tua horum dierum feſta celebramus, quos inſignes ſanctorum tuorum palmæ ad perennem memoriam ſollemnemque lætitiam fidelibus populis ſacraverunt per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui merito.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios. Unius Martyris.

FRatres, Dominus mihi adſtitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & ut audiant omnes gentes, quia liberatus ſum de ore leonis. Liberavit enim me Dominus, & ab omni opere malo ſalvum faciet in regnum ſuum cæleſte, cui gloria in ſæcula ſæculorum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

OMnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cælis. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui eſt in cælis. Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus: & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Qui invenit animam ſuam, perdet illam: & qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Qui recipit vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum qui me miſit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli; amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.

MISSA UNIUS MARTYRIS.

SAncte Domine, cujus tam multa eſt miſeratio, quam copioſa redemtio; propicius ac benignus exaudi preces noſtras, & da interceſſionibus beatiſſimi martyris tui *a* ill. ut quæ pro alteturtrum poſcimus, etiam pro noſtris criminibus impetremus.

Collectio.

Deus qui nos de ſpe miſericordiæ tuæ hac prima ratione voluiſti confiteri, ut Martyrum tuorum, quorum hic reliquias veneramur, & præſentia, & auxilio circumdares; ut haberet & oratio noſtra ſuffragium, & vita patrocinium, illud ſanctorum interceſſione, hoc munere. Cuſtodi igitur quæſumus Domine Eccleſiam tuam, cuſtodi locum iſtum, vel omnes convenientes in eo ſuffragio ſancti Martyris tui ill. fiatque nobis ipſe auxiliator e cælo, qui ad te præſenti migravit e ſæculo; ſitque hæc viciſſim retributio muneris tui, ut mereatur hic locus Martyris gratiam, qui miſit eumdem Martyrem ad coronam.

Poſt nomina

Munera noſtra, quæſumus Domine, dignanter adſume: ut quod in honore ſancti Martyris tui ill. venerabiliter exſecuntur, impetret fidelibus tuis auxilium oratio juſta ſanctorum.

a In noſtro exemplari paſſim ſcriptum eſt *ll.* non *ilt.* Nos tamen vulgarem modum ſubſtituimus adjecta littera *i*.

Ad Pacem.

Oramus te, Pater ſancte, ut nos ſervos tuos beatiſſimi Martyris tui ill. jubeas eſſe conſortes, in confeſſione participes, in fide ſtabiles, in perſecutione firmos, in tribulatione patientes, in conſummatione victores: ut ſi nos dies perſecutionis invenerit, jungat conſummatio virtutum, par præmium, & corona cæleſtis.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, dedicator martyrii, inſpector belli, largitor triumphi. Qui inter ſpiritalium agonum, non effuſione ſanguinis, non morte hominis, ſed præconio veritatis, & pio in te caritatis officio delectaris, adteſtantibus meritis beatiſſimi Martyris tui ill. Cujus hodie glorioſam paſſionis victoriam recolentes, ſperantes per ejus ſuffragia, ut noſtras quoque voces admittere jubeas cum ſanctis Angelis adque Archangelis tuis, qui tibi hymnum perpetim ſupplice confeſſione dicentes, Sanctus.

Lectio a *Hieremiæ Prophetæ.*

HÆc dicit Dominus: Benedictio Domini ſuper caput juſti. Eleemoſyna illius non erit in oblivione: omnia opera ejus ſicut lux in conſpecto Dei fulgebunt. Manus ſuas aperuit pauperibus, fructum autem porrexit inopi. In fortitudinem & decorem indutus eſt, & lætatus eſt in diebus noviſſimis. Os ſuum aperuit in prædicatione, & ordinem poſuit linguæ ſuæ: cibos autem pigros comedit. [Omnia] factus eſt omnibus, ut omnes ſalvos faceret.

Epiſtola a *Pauli apoſtoli ad Titum.*

FRatres, timor Domini cuſtodit animam juſti, & ſpiritum ſapientiæ erudivit illum. Tenens pſalterium & cytharam, lætatus eſt ad vocem organi. Et quia dulcis fuit in ore ejus decantatio laudis; ideoque in die obitus ſui gaviſus eſt, eo quod ſuſcepit illum dextera Dei.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

IN illo tempore dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis: Quis putas eſt fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illi cibum in tempore? Beatus ille ſervus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

MISSA DE UNO CONFESSORE.

PRopiciare nobis Domine ovibus tuis interveniente beatiſſimo Confeſſore tuo ill. & quia tui eſt muneris, ut quæ præcipis impleamus, gratiæ tuæ lumen emitte.

Collectio.

Omnipotens ſempiterne Deus, cui cuncta famolantur elementa, interpellante pro nobis beatiſſimo Confeſſore tuo ill. exaudi propicius orationem noſtram, & tribue nobis miſericordiam tuam: & quæcumque præcipis ut agamus, ipſe adjuva ut implere poſſimus.

Poſt nomina.

Sancti Domine Confeſſoris tui ill.

a Immo centones ex variis Scripturæ locis. Nam *benedictio Domini ſup. caput juſti* ex Prov. 10. 6. *Eleemoſyna illius*, &c. ex Eccli. 3. 15. Alia ex aliis locis, quod etiam in ſequenti lectione obſervandum.

b Nihil in ſequenti lectione ex Pauli apoſtoli epiſtola ad Titum: ſed varia ſunt loca ex Scripturis, neque ad verbum, neque etiam ad ſenſum relata. Hæ lectiones pro uno Confeſſore.

tribue nobis ſupplicationibus foveri: ut cujus depoſitionem colimus, obſequio ejus apud te interceſſionibus, & meritis commendemur. Proficiant hæc quæ offerimus pro incolumitate viventium, & pro requie defunctorum.

Ad Pacem.

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis in præſenti feſtivitate beatiſſimi confeſſoris tui ill. congrua devotione gaudere, ut & potentiam tuam in ejus glorioſo continentiæ cultu laudemus, & divinum obtineamus auxilium.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, te adorare in Sanctis, in quibus glorificatus es Domine vehementer, qui tibi adhærentes calcaverunt ſuperbientem excellentiam mundi virtute Spiritus-ſancti, contemnentes blanditias & inlecebras mundi hujus & frivolas pompas. Ex quibus beatus tuus confeſſor ill. emicuit, mundum contemtui crucis poſtponens. Propterea nunc requieſcit in pace tua, nihil inlecebroſum, nihil jam metuens adverſum. Cui inſpira, NOTA. miſericors Deus, intercedere tibi pro nobis: ut quem feciſti de ſua felicitate ſecurum, facias pro noſtra liberatione ſollicitum, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ in depoſitione a *ſancti Martini Epiſcopi.*

BEnedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit cum venerit æſtus. Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum, nec aliquando deſinet facere fructum. Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes, qui do unicuique juxta viam & juxta fructum adinventionum ſuarum. Solium gloriæ à principio locus ſanctificationis noſtræ, expectatio Iſraël Dominus. Omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me Domine, & ſanabor; ſalvum me fac, & ſalvus ero: quoniam laus mea tu es Domine Deus meus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Timotheum.

FRatres, Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum in juſtitia, ut perfectus ſit omnis homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Teſtificor coram Deo & Chriſto Jeſu, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius & regnum ejus, prædica verbum, inſta oportune, inportune. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Ego enim jam libor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex: non ſolum mihi, ſed & his qui diligunt adventum ejus.

a Ita poſt commune Confeſſorum ſequitur Miſſa de ſancto Martino in Gothico Miſſali: ubi tamen diverſa eſt de eo Miſſa, præter Conteſtationem, quæ utrobique eſt eadem.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

HOmo quidam proficiſcens vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum; unicuique ſecundum propriam virtutem, & profectus eſt ſtatim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, operatus eſt in eis, & lucratus eſt alia quinque. Similiter qui duo acceperat, lucratus eſt alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terra, & abſcondit pecuniam domini ſui. Poſt multum vero temporis, venit dominus ſervorum illorum, & poſuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque dicens: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Ait illi dominus ejus, Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium domini tui.

Missa S. Martini Episcopi.

SAnctum in mirabilibus, mirabilem Deum in Sanctis ſuis & Confeſſore ſuo Martino [fratres cariſſimi, deprecemur:] ut cujus venerabilem diem celebramus, mereamur ejus eſſe participes. Hic vir, quem adnumerandum Apoſtolis, Martyribus adgregandum proxima ita in rem tempora protulerunt. Dubium enim non eſt ut ſit Martyr in cælo, qui fuit Confeſſor in ſæculo: cum ſciamus non Martinum martyrio, ſed martyrium defuiſſe Martino. Oremus qui in tantum Domini potuit æquare virtutes, dignetur in tribulatione defendere, qui potens fuit mortuos ſuſcitare.

Collectio.

Deus, cujus per ſummum antiſtitem & confeſſorem tuum Martinum fulgoris tui lumen effulſit; cujus hodie felicem transmigrationis diem celebrantes, clementiam tuam ſupplices exoramus: ut Eccleſiam tuam converſantem in tribulatione dignetur defendere, cui a te ſatis larga pietate conceſſum eſt etiam mortuos ſuſcitare.

Poſt nomina.

Largam Dei Patris omnipotentis miſericordiam, fratres cariſſimi, deprecemur: ut interceſſione ſancti ac beatiſſimi antiſtitis ſui Martini, cujus hodierna die officium commemorationis impendimus, ejus interventu per miſericordiam Domini indulgentiam conſequi mereamur.

Ad Pacem.

Exaudi Domine preces noſtras, quas in ſancti confeſſoris & ſacerdotis epiſcopi tui Martini commemoratione deferimus, & præſta: ut ſicut ille in conſpectu tuo qui tibi digne meruit famulari clarus ſemper extitit, ita ejus nos ſupplicatio in bonis actibus adjuvet. Per

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, te in Martini tui laudibus honorare, qui ſancti Spiritus tui dono ſuccenſus, ita in ipſo tirocinio fidei perfectus inventus eſt, ut Chriſtum texiſſet in paupere; & veſtem, quam egenus acceperat, mundi Dominus induiſſet. O felix largitas, in qua divinitas operitur! o clamydis glorioſa diviſio, quæ militem texit & Regem! inæſtimabile donum eſt quod veſtire Deum meruit Deitatis. Digne huic confeſſionis tuæ præmium commiſiſti; digne Arrianorum non ſubjacuit feritati; digne tantum amore Martinus perſe-

curoris tormenta non timuit ſecurus: quia tanta eſt glorificatio paſſionis, ut per quantitatem veſtis exiguæ veſtire Chriſtum meruit & videre. O animæ imitanda benignitas! o virtutum veneranda potentia! ſic egit ſuſcepti pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ obſervantiam exegerit diſciplinæ. Sic apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus, alios viſu ſalvarit. Hæc tua eſt Domine veneranda potentia, cui cum lingua non ſuppleat, meritis exorat, per Chriſtum Dominum.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis. Exiſtimo autem hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es uxori? noli quærere uxorem. ſi autem acceperis uxorem, non peccaſti. Et ſi nupſerit virgo, non peccabit: tribulationem carnis habebunt hujuſmodi, ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres, tempus breve eſt. Reliquum eſt, ut qui habent uxores, tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent, tamquam non gaudentes; & qui emunt, tamquam non poſſidentes; & qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

SImile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades ſuas, exierunt obviam ſponſo & ſponſæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non ſumſerunt oleum ſecum: prudentes vero acceperunt oleum in vaſis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitaverunt omnes & dormierunt. Media autem nocte, clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornaverunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes dicentes: Ne forte non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus; & quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt janua. Noviſſime venerunt reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Vigilare itaque, quia neſcitis diem neque horam.

MISSA UNIUS VIRGINIS.

PRopitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & flammam in nobis tuæ caritatis accende: ut ſanctæ tuæ virginis ill. vel martyris, quæ ſexum cum ſæculo vicit, cujus nos feciſti eſſe imitatores, jubeas eſſe conſortes.

Collectio.

Deus qui candidaram tuam ill. virginitate pariter & martyrio in fonte vivi certaminis abluiſti, ut confeſſionis gloriam roſeo ſui ſanguinis decore ornata, ſpe caneret victoriæ,

& mundum in ſuis dormientem peccatis ad confeſſionem tui nominis excitaret; da ejus patrocinio peccatis noſtris indulgentiam, qui dediſti certanti coronam.

Poſt nomina.

Supplicationibus noſtris, Domine, propiciatus intende, quas in ſanctæ tuæ ill. virginis & martyris commemoratione deferimus; & hoc facrificium ſuper inlatum ita dignanter adtende: ut qui fiduciam de propria juſtitia non habemus, ejus quæ tibi placere meruit precibus adjuvemur. Per.

Ad Pacem.

Exaudi Domine preces noſtras in die ſollemnitatis magnifico ſanctæ virginis & martyris, quæ mundum vicit cum fragili ſexu, & dona ejus apud te interventu placatus, ut cuncti qui adſiſtimus, ejus memoriam frequentantes, pacis & caritatis vinculo colligemur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus in virgine decoroſa te palma laudare. Et ideo pro martyre tua ill. vel virgine decoroſa honoris obſequium perſolventes; ſupplices clementiæ tuæ fundimus preces, rogantes ut nos exaudire digneris, & in ſanctæ ill. ſollemnitate lætifices, quo ſancta ill. virgo dum humanas nuptias tempſit, ſponſum ſibi, qui perpetuus immortalitatis præmio eſſet, adjunxit: cui confeſſionis teſtimonio ſe elegit ſanguinis martyrio conſecrate, ut virginalis integritas eo eſſet in ſponſa præclarior, quo ſanguinis roſea diademа micabat. In hujus ergo tale glorioſum certamen votorum tibi hoſtias immolamus, laudes tibi cum Angelis concinunt dicentes, Sanctus.

---

a Collectio poſt Prophetiam in dedicatione Eccleſiæ.

BEnedicte Deus ſancte Iſraël, qui cæleſtem Hieruſalem cottidie multiplice ædificas congregatione ſanctorum, reſpice ſuper domum hanc, cujus natalis eſt hodie, quæ in honore martyrum tuorum ill. condita eſt, & præſta, ut omnes invocantes te in ea inveniant ſalutem, infirmi medicinam, vulnerati remedium, mærentes gaudium, reditum captivi, pænitentes indulgentiam, rei veniam, vincti ſolutionem, orantes præſidium.

Item alia ejuſdem.

Aſcendat oratio noſtra per manus ſancti Angeli tui ad divinum altare tuum, Domine, cum odore ſuavitatis tuæ, commendante advocato Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cum quo tibi eſt imperium, poteſtas, honor, laus, majeſtas, gloria, æternitas, cum Spiritu-ſancto in ſæcula ſæculorum.

Epiſtola Jacobi apoſtoli ad Gentes pro Infirmis.

FRatres, infirmatur aliquis in vobis? inducat preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittetur ei. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini. Multum enim valet deprecatio juſti adſidua. Helias erat homo ſimilis

a Hic deficit Miſſale Gothicum, in quo poſt commune Confeſſorum & Miſſam de ſancto Martino ſequuntur ſex Miſſæ dominicales; tum *Miſſa Romenſis cottidiana*, quæ mutila eſt.

nobis paſſibilis, & oratione oravit ut non plueret ſuper terram:& non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſus oravit, & cælum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

IN tempore illo Dominus noſter Jeſus-Chriſtus introivit in domum Petri: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et rogaverunt illum pro ea. Et ſtans ſuper illam, imperavit febri; & dimiſit illam. Et continuo ſurgens miniſtrabat illis. Cum ſol autem occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille ſingulis manus imponens...

Missa pro Ægrotis.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur: ſuper famulum tuum ill. propicius intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eum priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per.

Collectio.

Virtutum cæleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis: adeſto propitius famulo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus, & viribus reparatis, nomini ſancto tuo inſtaurata protinus ſanitate benedicat.

Poſt nomina.

Adeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus, & hanc oblationem pro incolomitate famuli tui ill. oblatam ſanctificans, tu qui es humanæ fragilitatis ſingulare præſidium, auxilii tui oſtende virtutem: ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, ad omnia ſanitatis reparetur officia.

Ad pacem.

Sacrificia, Domine, tibi cum Eccleſiæ precibus immolanda, quæſumus, corda noſtra purificent, & indulgentiæ tuæ nobis dona concilient, & de adverſis proſpera ſentire perficiant.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, te Dominum totius miſericordiæ in neceſſitatibus invocare, qui dominaris vitæ & morti, qui es medicus animarum. Sanctificans ergo hanc oblationem pro incolomitate famuli tui ill. oblatam, quæſumus ut reſpicias propitius de præparato habitaculo tuo ſuper eum, qui diverſa ægritudine continetur, & viſites eum viſitatione tua cæleſti, ſicut viſitare dignatus es ſocrum Petri, puerum Centurionis, & Sarram ancillam tuam. Alleva eum Domine de ſtrato doloris ſui, ut ſalvus atque incolomis in Eccleſia tibi ore David dicere poſſit: Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Lectio libri Geneſis legenda in Dedicatione eccleſiæ.

a TEmpore illo egreſſus Jacob de Berſabee, pergebat Aram. Cumque veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus, quos ſubponens capiti ſuo dormivit in eodem loco: viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen

a Hæc lectio item aſſignatur in Lectionario Luxovienſi pro dedicatione, de qua ſuperius aſſignatæ ſunt Collectiones.

men ejus tangens cælum, & Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. Terram in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo: eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ. Dilataberis ad occidentem & orientem, ſeptemtrionem & meridiem; & benedicentur in te & ſemine tuo cunctæ tribus terræ, & ero cuſtos tuus quocumque perrexeris. Et reducam te in terram hanc, nec dimittam niſi complevero univerſa quæ dixi. Cumque evigilaſſet Jacob de ſomno, ait: Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. pavenſque, Quam terribilis, inquit, eſt locus iſte! non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cæli. Surgens ergo mane tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper; appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vovit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via qua ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtem ad induendum, reverſuſque fuero proſpere ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; & cunctorum quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios.

Fratres, Dei ſumus adjutores, Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis. Secundum gratiam Dei quæ data eſt mihi, ut ſapiens architectus fundamentum poſui. Alius autem ſuperædificat: unuſquiſque autem videat quomodo ſuper ædificet. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si quis autem ſuperædificat ſupra fundamentum, aurum, argentum, lapides precioſos; ligna, fœnum, ſtipulam; uniuſcujuſque opus manifeſtum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujuſque opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe tamen ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Dominus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

Diebus illis facta ſunt encænia in Hieruſolymis, & hiems erat. Et ambulabat Jeſus in templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit ei Jeſus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſecuntur me, & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapit eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus. Suſtulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum. Reſpondit eis Jeſus: Multa opera bona oſtendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Reſponderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſ-

phemia; & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum. Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi, Dii eſtis. Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſpemas, quia dixi, Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite: ut cognoſcatis & credatis, quia in me eſt Pater, & ego in Patre.

Missa in Dedicatione

Deum qui templorum condidit ornamenta, qui Martyribus ſuis atque Confeſſoribus ſacra dedicavit altaria, fratres dilectiſſimi, affectu piiſſimo veneremur, prona humilitate poſcentes: ut templa, quæ nomini ſuo dedicata ſunt, munere ſpiritali reſperſa noſtris artibus inſerantur: ut dum diem feſtivitatis hujus annuis recurſibus honoramus, ipſi templorum cæleſtium pares effici mereamur. Precemur etiam ut beatiſſimorum Martyrum interceſſione ſalvemur, quorum in hoc loco *a* reliquias pio amore veneramur.

Collectio.

Deus qui ad cultum tuum pro ſalute credentium loci iſtius amplitudinem conſecraſti, ubi cottidiana invocatione nominis tui, cæleſtis conſolatio non deeſſet: quæſumus pietatem tuam, ut memoriæ quæ ſacris inferuntur altaribus, devotis mentibus ad remedium præparentur animarum; & ſupplicem familiam tuam, quæ tibi in templo gloriæ tuæ ſacrificium laudis gratulantes immolant votis, in illa ſancta Hieruſalem inter electa cæleſtis regiæ ornamenta conſtituas.

Poſt nomina.

Gloria tibi Domino Deo noſtro, ſæculorum Regi, hominum conditori, qui in cultum perpetim templi hujus ambitum cum ſanctorum Martyrum patrocinio conſecraſti, ubi cottidiana devotione præſtaris e cælis, quod petebaris in terris. Introeat ergo Domine poſtulatio noſtra coram te hodie, & in conſpectu majeſtatis tuæ oratio contriti cordis aſcendat; ac ſingulorum votis in templo hoc, cujus natalis eſt hodie, pro benignitatis tuæ ſerenitate reſponde, & fidem credentis effectu conceſſo petitionis amplifica. Per.

Ad Pacem.

Deus qui nobis per ſingulos annos ſancti hujus templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper myſteriis repræſentas incolomes; exaudi preces populi tui & præſta, ut ſi quis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, pro annua Dedicatione tabernaculi hujus, gratias honoremque referre, cujus virtus magna, pietas copioſa. Reſpice quæſumus de cælo, & vide, & viſita domum iſtam: ut ſi quis in ea nomini tuo ſupplicaverit, libenter exaudias, & ſatisfacientibus clementer ignoſcas. Hic tibi ſacerdotes tui ſacrificium

a Peculiaris dedicationis ritus erat olim in eccleſia Romana, ſaltem diverſus ab eo, quem Mediolani ſervari mos erat, ut ex Ambroſii epiſtola LII intelligimus. *Cum ego* ait, *baſilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sicut in Romano, ſic baſilicam dedices. Reſpondi: Faciam ſi Martyrum reliquias invenero.* Ita ille ad Marcellinam.

laudis offerant : hic fidelis populus vota perſolvat:hic peccatorum onera deponantur : hic fides lapſa reparetur : hic ipſe inter bonum malumque diſcernens, cum cauſam interpellatus judicaveris quam non ignoras, hinc ſimplicitas abſoluta redeat, hinc impietas emendata diſcedat. Inveniat apud te, Domine, locum veniæ quicumque ad domum iſtam ſatisfactionis confugerit, & conſcio dolore victus, ad altaria tua, rivis ſuarum laverit lacrimarum : ubi ſi quando populus tuus triſtis mæſtuſque convenerit, adquieſce rogari, & rogatus indulge. Cuſtodi etiam ſub gubernatione nominis tui. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Item Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cæleſti dedicatione ſanctifices : ut ſicut Melchiſedech ſacerdotis oblationem dignam, ita novo huic altario munera ſemper accepto ferre digneris : ut populus tuus eccleſiæ domum ſanctam conveniens, ſuper hæc pura libamina cæleſti ſanctificatione animarum quoque ſuarum ſalutem perpetuam conſequatur, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Lectio a Apocalypſis ſancti Johannis.

FActum eſt prœlium in cælo, Michaël & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus : & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in cælo. Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & ſatanas, qui ſeducit univerſum orbem, projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte : & ipſi viceruntillum propter ſanguinem Agni. Qui habet aurem, audiat quid .....

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis, adſumpſit Dominus Jeſus Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum,& transfiguratus eſt ante eos. Et reſplenduit facies ejus ſicut ſol ; veſtimenta autem ejus facta ſunt alba ſicut nix. Et ecce apparuerunt illis Moyſes & Helias cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus, dixit ad Jeſum : Domine bonum eſt nos hic eſſe. Si vis, hic faciamus tria tabernacula, tibi unum, & Moyſi unum, & Heliæ unum. Adhuc eo loquente,ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi conplacuit, ipſum audite. Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde timore magno. Et acceſſit Jeſus, & tetigit eos, dixitque eis : Surgite, & nolite timere. Levantes autem oculos, neminem viderunt,niſi ſolum Jeſum.Et deſcendentibus illis de monte, præcepit Jeſus dicens : Nemini dixeritis viſionem, donec filius hominis a mortuis reſurgat.

a Hæc lectio recte convenit feſto ſancti Michaëlis : ſed quomodo Evangelium eidem aptari poſſit, non facile intelligitur.

MISSA IN HONORE SANCTI MICHAHEL.

ÆTerne, omnipotens Deus. Qui univerſam in principio creaturam, Verbo cooperante, ex nihilo condidiſti, quique angelicam ſubſtantiam ſplendore conſpicuo potentialiter adornaſti, te ſupplices quæſumus & oramus: ut in hac ſollemnitate, quam ſub tui nominis invocatione in honore archangeli Michahelis [celebramus,] noſtras preces exaudire digneris. Per.

Secreta.

Preces populi tui Domine dignanter exaudi, quas in culto templi hujus ob honorem ſancti archangeli tui Michahelis.... & ita tibi pro ejus ſollemnitate oblatio noſtra fiat accepta.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, in die feſtivitatis hodiernæ, quo in honore beati archangeli Michahelis dedicata nomini tuo loca ſacris ſunt inſtituta myſteriis, omnium ſocietate ſanctorum ipſa fides, quæ illos tibi fecit amicos eſſe, pro nobis apud te faciat advocatos. Illorum corona, noſtra ſit venia; imitatio nos eſſe faciat ſine pœna, illorum oratio ſalutem nobis conferat ſempiternam per Chriſtum Dominum.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Epheſios.

FRatres, videte quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt *a* ....

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

IN quamcumque civitatem aut caſtellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus ſit; & ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum ſalutate eam: & ſi quidem fuerit domus digna; veniat pax veſtra ſuper eam: ſi autem non fuerit digna, pax veſtra ad vos revertatur. Et quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die judicii, quam illi. Qui habet aures audiendi, audiat.

MISSA PRO ITER AGENTIBS.

ADeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famoli tui ill. in ſalute & proſperitate dignare dirigere: ut inter omnes vitæ hujus varietates, tuo ſemper auxilio protegatur.

Collectio.

Exaudi Domine quæſumus preces noſtras, & profectioni famuli tui ill. miſericordiam ſemper & ubique prætende: ut in omnibus tua defenſione juſtorum deſideriorum potiatur effectibus, ut de incolomitate ipſius adque victuria tibi Domino ſemper gratias referamus. Per.

Poſt nomina.

Deus qui diligentibus te in nulla es regione longinquus, dirige viam famolorum tuorum ill. in voluntate tua: ut te protectore, te duce per juſtitiæ tuæ ſemitas ſine offenſione gradiantur.

Ad Pacem.

Suſcipe Domine propicius orationem noſtram pro famolo tuo ill. qui in longa terrarum ſpatia detinetur, pro quo majeſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut dirigas ei Angelum pietatis tuæ, qui eum ad domicilium

a Hic lacuna ſeu ſpatium quinque verſuum in exemplari vacuum eſt.

ſuum ſalvum & incolomem repræſentet.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus. Qui properante Jacob ſub felicitatis gratia commoda itenera direxiſti; cuique tu ipſe curſum, curam, ſollicitudinemque gerere dignatus es; necnon & Thobiæ famolo tuo Angelum tuum ducem prævium præſtitiſti. Quapropter omnipotentiam tuam Domine humiliter poſtolamus, ut ita profectionem famolorum tuorum dirigere eos in itenere & cuſtodire digneris: quatinus nullum pericolum [ſentiant] per ſpatia terrarum, aut juga montium, vel coangusta vallium, vadaque fluminum, venena ſerpentium, vel impetum beſtiarum, aut infeſtorum hominum: ſed ſub tui nominis defenſione ad locum deſtinatum perveniant, & oportuni temporis iteracto repetito, ad propria habitacula revertendo ſuffragii tui mereantur adipiſci cuſtodiam per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui merito.

a *Epiſtola Iacobi apoſtoli ad* XII. *Tribus.*

FRatres mei dilecti, ſit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur. Propter quod abicientes omnem inmundiciam & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas noſtras. Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, & non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Religio munda & inmacolata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare popillos & viduas in tribulatione.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

QUis ex vobis homo qui habet centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit eam, ponit in humeros ſuos gaudens; & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam habente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pænitentia.

MISSA QUOMODO SACERDOS *pro ſe orare debet.*

SUppliciter te Deus Pater omnipotens, qui es creator omnium rerum, deprecor, ut dum me famolum tuum coram omnipotentia majeſtatis tuæ graviter deliquiſſe confiteor, munus miſericordiæ tuæ ut mihi porregas: quatinus dum hanc oblationem tuæ pietati offero, quod nequiter admiſi, clementiſſime digneris abſolvere.

Collectio.

Deus miſericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge quæſo & miſerere mei: ſacrificium quoque, quod pietatis tuæ gratia humiliter offero, benigne dignare ſuſcipere; & peccata quæ labentibus viciis contraxi, pius & propicius ac miſeratus in-

a Incertum eſt, an hæ lectiones duæ ad ſuperiorem, an ad ſubſequentem Miſſam pertineant. Sed quia Miſſam ſolent præcedere lectiones, potius ad ſequentem revocamus. Quamquam in Miſſis Dominicalibus lectiones ſecundo loco poſt Miſſam poſitæ ſunt infra.

dulgeas, & locum pænitentiæ ac flumina lacrimarum, conceſſam veniam, à te merear accipere.

Poſt nomina.

Deus qui vivorum es ſalvator omnium, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium; te ſuppliciter deprecor, ut concedas mihi veniam delictorum, ut admiſſa defleam, & in poſtmodum non admittam: & cum mihi extrema dies finiſque vitæ advenerit, emundatis delictis omnibus, me Angelus ſanctitatis ſuſcipiat. Per.

Ad Pacem.

Deus caritatis & pacis, qui pro ſalute generis humani crucis patibolum pertuliſti, & ſanguinem tuum pro redemtione noſtra fudiſti, preces noſtras placatus & benignus ſuſcipe; & hoc ſacrificium, quod tuæ gratiæ offero, ſereno vultu digneris reſpicere, & miſericordiam tuam mihi concedas: ut quando de corpore me exire juſſeris, pars iniqua in me non habeat poteſtatem, ſed Angelus tuus inter ſanctos & electos conlocet: ubi lux permanet, & vita regnat in ſæcula ſæculorum.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui pro amore hominum factus in ſimilitudinem peccati, formam ſervi Dominus adſumpſit & ſpeciem: vulneratus medicus ambolavit, hic nobis dominus & miniſter ſalutis, advocatus, judex, ſacerdos, & ſacrificium. Per hunc te, ſancte Pater, ſuppliciter exoro, ut dum reatum conſcientiæ meæ recognoſco, & in præceptis tuis prævaricator perſtiti, & per delictorum facinus conrui in ruina; tu me Domine erige eliſum, quem lapſus peccati proſtravit: inlumina cæcum, quem tetræ peccatorum caligines obſcuraverunt: ſolve conpeditum, quem vincola peccatorum conſtringunt. Præſta per ſanctum & glorioſum & adorandum dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum filium tuum, quem laudant Angeli atque Archangeli, Cherubin quoque ac Serafin.

Epiſtola [a] *Iacobi apoſtoli ad* XII. *Tribus.*

Fratres, ſi dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus Dominus, qui nobis peccata dimittat, & emundet nos ab omni iniquitate. Sed ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum-Chriſtum: & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Et in hoc ſcimus, quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. Si quis dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit; mendax eſt, in hoc veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, vere in eo caritas Dei perfecta eſt in Chriſto Jeſu.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Diebus illis cum tranſiret Dominus Jeſus vidit [b] hominem ſedentem in teloneo, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Factum eſt cum accumberet Dominus Jeſus in domo illius, multi publicani & peccatores ſimul diſcumbebant cum Jeſu & diſcipulis ejus. Erant enim multi qui & ſequebantur eum. Et Scri-

[a] Immo Johannis apoſtoli prima.

[b] Super hanc vocem legitur *Levin Alfei.*

bæ & Phariſæi videntes quia manducaret cum peccatoribus & publicanis, dicebant diſcipulis ejus: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? Hoc audito Jeſus ait illis: Non neceſſe habent ſani medicum, ſed qui male habent. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.

MISSA OMNIMODA.

OMnipotens æterne Deus, tuæ gloriæ pietatem ſupplici devotione depoſco, ut omnium malorum meorum vincula ſolvas, cunctiſque meis criminibus atque peccatis clementer ignoſcas: ut quia me indignum & peccatorem ad miniſterium tuum vocare dignatus es, ſic me idoneum tibi miniſtrum efficias, ut ſacrificium de manibus meis placite ac benigne ſuſcipias; electorum ſacerdotum me participem facias, & de præceptis tuis in nullo aberrare permittas.

Collectio.

Adtende Domine propicius meæ ſervitutis obſequium, & miſerere fidelibus famulis tuis ill. ut cunctis eorum ſceleribus amputatis, ita ſint tuæ miſerationis defenſione protecti, ut in obſervatione mandatorum tuorum mereantur eſſe perfecti: quatinus & in hac vita univerſa facinora caveant, & ante conſpectum gloriæ tuæ quandoque ſine confuſione perveniant.

Poſt nomina.

Accipe, Deus piiſſime, tuorum ſupplicum vota, & nomina quæ tuo coram altario conſpicis recenſeri, in æterno vitæ libro conſcribe. Concede etiam mihi indigno & omnibus, pro quibus te ſupplex poſtulo: perpetuam requiem tribue famulorum tuorum ill. vel omnium fidelium defunctorum, ut in Abrahæ gremio conlocati, illic pœnas evadant inferorum, & reſurrectionis tempore cœtibus eos ſociari jubeas Angelorum.

Ad Pacem.

Deus, qui caritatis es auctor, & puræ pacis ac dilectionis amator, ſuſcipe offerentium oblationem, & omnium infirmorum Chriſtianorum ſana languores ill. quo te medicante ſalutem recipiant, & tuis ſemper ſani juſſionibus appareant. Id denique obnoxius quæſo, ut omnes metu territos, inopia afflictos, tribulatione vexatos, morbis obrutos, ſuppliciis deditos, debitis obligatos, in captivitate & peregrinatione conſtitutos, cunctos indulgentia tuæ pietatis abſolvat, morum emendatione relevet, & miſeratio quotidiana confoveat.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Verum pontificem & ſolum ſine peccati macula ſacerdotem; per quem te æterne Pater & Domine omnimoda intentione depoſco, ut oblationem hanc, quam pro famulis tuis offerimus ill. benigne ſuſcipias, ægrotantium medellam ſanitatis inpertias, locum lucis & refrigerii animabus defunctorum in pace vocatus tribuas, noſtram omnium humilitatem intendas, crimina relaxes & peccata dimittas; ſimulque orationes exaudias, & ubique nos protegendo cuſtodias: ut eruti adverſitatibus mundi, hîc & in æternum ſanctificati, te inceſſabiliter cum Angelis & Archangelis conlaudemus ita dicentes, Sanctus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, obſecro vos per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum & per caritatem Spiritus-ſancti, ut adjuveris me in orationibus pro me ad Dominum, ut liberer ab infidelibus qui ſunt in Judæa, & obſequii mei oblatio

accepta fiat Hieruſolyma Sanctis, ut veniam ad vos per voluntatem Dei, ut refrigerer vobiſcum. Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

TEmpore illo perambulabat Dominus Jeſus Hiericho, & ecce vir nomine Zacchæus, & hic erat princeps publicanorum, & ipſe dives: & quærebat Jeſum videre quis eſſet, & non poterat præ turba, quia ſtatura puſillus erat. Et præcurrens aſcendit in arborem ſycimorum, ut videret illum, quia inde erat tranſiturus. Et cum veniſſet ad locum, ſuſpiciens Jeſus vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes, quod ad hominem peccatorem divertiſſet. Stans autem Zacchæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi cui aliquid defraudavi, reddo quadruplum. Ait Dominus ad eum, quia hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe filius eſt Abrahæ. Venit enim filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.

MISSA VOTIVA.

EXultatio divina, paterna pietas, inmenſa majeſtas, te ſuplices, trementes quidem precamur pro ſervo tuo ill. ut des ei Domine mentem puram, caritatem perfectam, in actibus ſinceritatem, in corde puritatem, in opere virtutem, in neceſſitatibus fortitudinem, in moribus diſciplinam; & quod pro juſtitiæ tuæ timore, integra mente vel devotione pro ipſo tibi offerimus, pietatis tuæ obtinenda cognoſcat.

a *Secreta.*

Iteramus, omnipotens Deus, deprecationem noſtram ante conſpectum majeſtatis tuæ, quam ſpecialiter pro famulo tuo ill. oblationem pro peccatis vel pro auxilio ejus offerimus, vota perficias. Petitiones ejus aſcendant ad aures clementiæ tuæ, & deſcendat ſuper eum pia benedictio tua: ut ſub umbra alarum tuarum in omnibus protegatur, & orationes noſtræ te propiciante pro ipſo non refutentur a conſpectu pietatis tuæ, ſed in omnibus ei auxiliari atque defendere digneris.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, cujus potentia deprecanda eſt, miſericordia adoranda, pietas amplectenda. Quis enim diſputare poterit opus omnipotentiæ tuæ, nec aures hominum audire, nec in cor hominis adſcendere, nec ſtimatio hominum poterit invenire, quanta ſit pietas miſericordiæ tuæ, quantum præparas ſanctis & electis tuis. Sed in quantum poſſumus miſeri, territi quidem de conſcientia, ſed fidi de tua miſericordia, veniam miſerationis, & refugium poſtulantes, atque in commemoratione ſanctorum tuorum Petri & Pauli, per quorum ſuffragia ſperantes veniam, precamur ut famulo tuo ill. remiſſionem tribuas peccatorum, opus ejus perficias, vota condones. Dona idemque ſervo tuo ill. intercedentibus ſanctis remedium animæ ſuæ, quod poſtulamus, ut vota deſiderio-

rum

a Hæc propius ad ritum Romanum, omiſſis orationibus *Poſt nomina*, & *ad Pacem*: retento tamen nomine Conteſtationis. Sed plura exempla infra ſub finem Miſſarum Dominicalium.

rum ejus perficias. Præſta omnipotens Deus ſupplicantibus nobis indulgentiam poſtulanti, veniam poſcenti. Protege ei nomen Dei Jacob, mitte ei auxilium ſalutis de ſancto, & de Sion tu erige eum. Memor eſto miſericors Deus ſacrificium ejus, & holocauſtum ejus ante conſpectum omnium ſanctorum tuorum pingue fiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Lectio libri Sapientiæ Salomonis.

FIli, ſi quid voviſti Deo, ne moreris reddere. Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio: ſed quodcumque voveris, redde. Multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum, promiſſa non reddere. Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo: Non eſt providentia. ne forte iratus Deus ſuper ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa ſunt ſomnia, plurima vanitas, & ſermones innumeri; tu vero Deum time.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

DIebus illis dixit Jeſus: Quis veſtrum habet amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum. Et ille deintus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, jam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. Dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus ejus ſit; propter inportunitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios. Et ego vobis dico, Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.

MISSA VOTIVA.

SUſcipe Domine, ſupplicantis ſervi tui ill. votivum tibi munus oblatum, & multiplici fenore gratiarum, ut quæ te fideliſſimis votis petit, tu ei, piiſſime, miſeranter indulge.

Secreta.

Redemtor [& naturæ] humanæ conditor Deus, da ut ſervus tuus ill. vota adipiſcatur, & impetrare mereatur quod exoptat.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui nobis votum quo placeris inſpiras, & votiva nos inſpiratione remuneras, te obſecramus ſupplici prece, ut hanc ſervi tui ill. oblationem dignanter accipias, & in ejus humilitatem intendas, peccata deleas, orationem accipias: ut liberatus ab omni adverſitate, & hic & in æternum juſtificatus, cum Angelis ſine fine conlaudet dicens, Sanctus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Deus autem patientiæ & ſolatii det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Jeſum Chriſtum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Propter quod ſuſcipite invicem, ſicut & Chriſtus ſuſcepit vos in honore Dei.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

IN illo tempore Dominus noſter Jeſus-Chriſtus cum adpropinquaſſet Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quod Jeſus Nazarenus tranſiret. Clamavit dicens: Jeſu fili David, miſerere mei. Et qui præibant increpabant ei ut taceret. Ipſe vero multo magis clamabat: Fili David miſerere mei. Stans autem Jeſus juſſit eum adduci ad ſe. Et cum adpropinquaſſet, interrogabat eum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine ut videam. Et Jeſus ait illi: Reſpice, fides tua te ſalvum fecit. Et confeſtim vidit, & ſequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

ITEM MISSA VOTIVA.

DEum cui acceptiora ſunt vota fidelium quam munera, fratres cariſſimi, ſupplices deprecemur, ut hanc oblationem famuli ſui ill. dignanter accipiat. Tribuat ei magna pro parvis, pro temporalibus præmia ſempiterna. Det ei auxilium ſive præſidium gratiæ ſuæ, ut quod humiliter implorat, Domino largiente ſuſcipiat.

Secreta.

Omnipotens & miſericors Deus, cui redditur votum in Hieruſalem, exaudi preces famuli tui, memor eſto ſacrificii ſui, fiant holocauſta ſua [pinguia:] tribue ei devotionis gratiam, comple in bonis deſiderium ſuum, & corona eum in miſericordia. Tibi Domine quando fideli devotione famuletur, ignoſce facinora; & ne lugenda committat, paterna pietate caſtiga.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus te laudare, te benedicere, teque glorificare, tuæ majeſtati ac voluntati ſemper obtemperare, in quo eſt ſalus omnium populorum. Cui Abel munera obtulit, cui Abraham holocauſtum offerre decrevit: cui Jacob votum vovit, & reddidit; miſerere Domine ſervo tuo ill. qui in honore ſanctorum ill. votorum munera offert per ſuffragia orationum Sanctorum tuorum: te protectorem ſuum ſemper agnoſcat, & ſui auxilii opem indeſinenter inveniat: illum glorietur recipere præmium, qui devoto pectore ad alta contemplatione ſuſpendere.... Tu es enim Deus, qui nullum tibi perire vis, ſed omnibus reddis magna pro parvis, pro morte vitam, pro pœna gloriam, pro votorum officio præmia tribuis ſempiterna, per Chriſtum Dominum noſtrum.

ITEM MISSA VOTIVA.

DEus qui vulnere paſſionis & crucis noſtrorum vincula ſolvis [peccatorum,] votivam hanc ſervo tuo ill. ſuſcipe precem in omnibus, pro quibus te popoſcerit fideli devotione, exaudire digneris.

Dicitur Secreta.

[*Conteſtatio.*]

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, qui ob hoc peccatorum non renuis poſtulata; pro quo te Domine ſupplices poſtulamus, ut huic ſervo tuo ill. delectabiles petitiones impleas, & perſeverantiam in bonis operibus tribuas per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem majeſtatem tuam laudant Angeli.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad
a *Coloſſenſes.*

FRatres, qui ſub poteſtate domini ſumus, mandatum Dei cuſtodire debemus. Qui cuſtodiunt præcepta Domini, habent vitam æternam: & qui negant mandata ejus, adquirunt ruinam, & in hoc ſecundam mortem. Præceptum Domini hoc eſt: Non perjuraberis. Non furtum facies. Non adulterabis. Non falſum teſtimonium dices. Non accipies munera contra veritatem, nec per poteſtatem. Qui habet poteſtatem. & abnegat veritatem. abnegabitur illi regnum Dei, & conculcabitur in infernum. Ibi non egreditur bis. Quomodo ſumus fragiles & prævaricatores agentes peccatum. Non per ſingulos dies pœnitemus, ſed per ſingulos dies peccatum ſuper peccatum facimus. Ut ſciatis hoc, fratres cariſſimi, quia opera noſtra ſcriptum eſt in hoc libro, in commemoratione erit nobis in die judicii. Ibi nec teſtes, ibi nec pares, ibi nec per munera judicabitur: quia non eſt melior quam fides, veritas, caſtitas, jejunium, & eleëmoſyna, quæ extinguit omnia peccata. Et quod tibi non vis, alio non facias. Stipola regnum Dei, & accepit coronam, quod eſt in Chriſto Jeſu Domino.

Evangelium ſuperius dicitur.

MISSA PRO VIVIS ET DEFUNCTIS.

MAjeſtatem tuam, clementiſſime Pater, exoramus pro fratribus & ſororibus noſtris, ſeu omnibus benefactoribus noſtris, vel qui ſe in noſtris orationibus conmendaverunt, tam pro vivis, quam & ſolutis debito mortis, quorum eleëmoſynas erogandas ſuſcepimus, vel quorum animas ad memorandum conſcripſimus, vel quorum nomina ſuper ſanctum altarium ſcripta adeſt evidenter: concede propicius, ut hæc ſacra oblatio mortuis proſit ad veniam, & vivis proficiat ad ſalutem; & fidelibus tuis, pro quibus oblationem offerimus, indulgentia tuæ pietatis ſuccurrat.

Dicitur Secreta alia.

Preces noſtras, clementiſſime Deus, benignus exaudi: ſuſcipe propicius oblationem adque libamina pro fratribus ac ſororibus noſtris quam tibi offerimus, ſeu cunctis benefactoribus noſtris, tam pro vivis, quam mortuis, vel fidelibus tuis, pro quibus oblationem offerimus: ut cunctis proficiat ad ſalutem.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, ad vota humilium manum dexteræ tuæ majeſtatis extende, ut animabus famulorum famularumque tuarum, tam pro vivis, quam & ſolutis debito mortis, quorum animas ad memorandum conſcripſimus, fidelium catholicorum orthodoxorum, qui tibi placuerunt, quorum conmemorationem agimus, vel quorum nomina ſuper ſanctum altarium ſcripta adeſt evidenter, remiſſionem peccatorum, indulgentiam quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui.

---

b *Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.*

DIebus illis dixit Dominus Jeſus turbis ſimilitudinem homi-

a Sequens lectio non legitur in epiſtola ad Coloſſenſes, neque in libris ſacris: ſed eſt farrago ex Scripturæ verbis contexta.

b Hoc Evangelium videtur potius referendum ad Miſſam ſequentem, quam ad ſuperiorem de mortuis.

nis cujuſdam divitis. Uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quod non habeo quo fructus meos congregem? Et dixit: Hoc faciam. Deſtruam horrea mea, & majora faciam; & illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ: Anima, habes multa poſita in annos plurimos. Requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem paraſti, cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives. Dixitque ad diſcipulos ſuos: Ideo dico vobis, nolite ſolliciti eſſe animæ quid manducetis, neque corpori quid veſtiamini. Anima plus eſt quam eſca, & corpus quam veſtimentum. Conſiderate corvos, quia non ſeminant neque metunt, quibus non eſt cellarium neque horreum; & Deus paſcit illos. Quanto magis vos pluris eſtis illis?

MISSA IN *a* DOMO CUJUSLIBET.

PRotector in te ſperantium Deus, & ſubditarum tibi mentium cuſtos, habitantibus in hac domo famolis tuis ill. propicius adeſſe dignare. Veniat ſuper eos ſperantes a te benedictio, ne ſubvertas: ut pietatis tuæ repleti muneribus, in tua gratia & in tuo nomine læti ſemper exultent.

Secreta.

Suſcipe Domine quæſumus preces & hoſtias famulorum tuorum ill. & muro cuſtodiæ tuæ hanc domum circumda: ut omni adverſitate depulſa, ſit hoc ſemper domicilium incolomitatis & pacis. Per.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, benignus indultor in ſecretis officiis noſtris, & in hanc domum manentibus præſentiæ tuæ concede cuſtodiam, familiæ tuæ defenſor, ac totius habitaculi hujus habitator appareas.

LECTIONES DOMINICALES.

Lectio Hiezechiel Prophetæ.

FActum eſt verbum Domini ad me dicens. Quid eſt quod inter vos parabolam vertitis in proverbium iſtud in terra Iſraël dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Vivo ego, dicit Dominus Deus, ecce omnes animæ meæ ſunt. Ut anima patris, ita & anima filii mea eſt. Anima quæ peccaverit ipſa morietur. Et vir, ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſtitiam, de rapina non comederit, & oculos ſuos non elevaverit ad idola domus Iſraël, & uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtruatam non accedat, & hominem non contriſtaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento; ad uſuram non commodaverit & amplius non acceperit; ab iniquitate averterit

a Moris aliquando fuiſſe, ut in domibus privatis, ſive pro infirmis, ſeu pro aliis cauſis ſacra celebrarentur, teſtis eſt præter alios Paulinus in libro de vita ſancti Ambroſii, qui Romæ trans Tiberim apud quamdam clariſſimam matronam invitatus, ſacrificium in domo obtulit.

manum ſuam, judicium verum fecerit inter virum & proximum; in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit ut faciat veritatem: hic juſtus eſt, vita vivet, ait Dominus Deus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Galatas.

FRatres, fructus autem ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, modeſtia, *a* continentia. Adverſus hujuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Si ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Fratres, etſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis, accedens unus de Scribis ad Dominum Jeſum, & dicit illi: Magiſter bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Dicit illi: Quæ? Jeſus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices; honora patrem & matrem, & diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi, quid adhuc mihi deeſt? Ait illi Jeſus: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni, ſequere me. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis. Erat enim habens multas poſſeſſiones. Jeſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cælorum. Auditis autem his diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſalvus eſſe? Aſpiciens autem Jeſus dixit illis: Apud homines hoc impoſſibile eſt, apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt. Tunc reſpondens Petrus dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Jeſus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël. Et omnis qui reliquit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Multi autem erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi.

MISSA DOMINICALIS.

Collectio poſt b *Prophetiam.*

DOmine Jeſu-Chriſte, ſpes & ſalus humani generis, qui ad nos veniens ex alto viſitare dignatus es, & de antiqua morte peccati per

a Hic novem tantum fructus Spiritus-ſancti, ut in Græco; in Lectionario Luxovienſi decem, ubi *patientia*, *longanimitas*.

b Hinc colligitur, Miſſam, ſi non ſemper, ſaltem aliquando, inchoatam fuiſſe a lectione Prophetiæ, quemadmodum in Paraſceve incipit Miſſas Præſanctificatorum. Confer tres alias Miſſas Dominicales inferius, ubi ſimiliter Præfatio poſt Prophetiam.

miſerationis tuæ myſteria redemiſti: qui inluxiſti nobis, qui errabamus in tenebris, & vitalem diem in umbra mortis ſedentibus intuliſti: reſpice Domine, & dirige pedes noſtros in viam pacis. Per.

Præfatio.

Domine Deus inconprehenſibilis & inenarrabilis, qui dixiſti, Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pænitentiam; & cum profectu noſtro non egeas, gaudes tamen ſuper peccatorem pænitentiam agentem, quia non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Converte nos Domine ad te & convertemur. Converte nos Deus ſalutaris noſter, & ne perdas nos cum peccatis noſtris, ne tradas nos in finem. Ne intres in judicium cum ſervis tuis, ne tradas beſtiis animam confitentem tibi. Memento congregationis tuæ, & dirige nos in via recta. Doce nos Domine facere voluntatem tuam, quia tu es Deus noſter. Statue pedes in conſummatione, ut te adjuvante vincamus antiqui hoſtis inſidias, ut liberi ab infeſtatione inimici, ſerviamus tibi in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus vitæ noſtræ.

Collectio.

Domine Deus omnipotens, qui ſalvos facis ſperantes in te. Tu clementiſſime, qui revocas errantes: tu miſericordiſſime, qui non deſpicis peccatores: tu Domine Pater, cum ceciderit juſtus, manum apponis: tu excelſus in cælis, habitare promiſiſti in terris, ubi ſunt congregati in tuo nomine duo vel tres: te Domine tenemus promiſſorem, ut des veniam pænitentibus. Te inveniant omnes qui quærunt te. Tu rex gloriæ Chriſtus: tu rex omnis terræ Deus: tu Rex virtutum. Te perſcutatorem conſcientiarum noſtrarum ſcimus: ideo & veniam petimus delictorum. Tu magnus Dominus & laudabilis valde. Te precamur, ut ſis nobis propicius. A te ſperamus. Averte faciem tuam a peccatis noſtris, & omnes iniquitates noſtras dele. Te obſecramus, qui præmia paras juſtis, da veniam peccatoribus. Tibi confitemur mala noſtra, ut mereamur conſequi bona tua.

Poſt nomina.

Domine Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum & Martyrum, omniumque ſanctorum, ſicut pro piiſſima miſericordia tua dediſti eis voluntatem veniendi ad te; ita, clementiſſime Pater, da ſervis tuis intellectum, virtutem, & poſſibilitatem, ut tibi ſecundum voluntatem tuam ſerviamus. Spiritus tuus bonus deducat nos in via recta. Da incipientibus perfectionem, da parvulis intellectum, da currentibus adjutorium. Da negligentibus compunctionem, da tepidis ſpiritum ferventem, da perfectis bonam conſummationem. Loquatur os noſtrum laudem tuam, & per ſingulos dies benedicamus te, & laudemus nomen tuum in æterna ſæcula ſæculorum.

Ad pacem.

Deus pax & caritas te deprecamur, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, libera nos ab omni temtatione, adjuva nos in omni certamine, conſolare in omni tribulatione. Da nobis patientiam in adverſis, da nobis ut te puro corde adoremus, tibi munda conſcientia pſallamus, tibi tota virtute ſerviamus. Te benedicimus Trinitas ſancta, tibi gratias agimus, te per ſingulos dies laudamus, te deprecamur Abba Pater. Suavis ſit tibi laudatio noſtra, ſitque acceptabilis oratio noſtra.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt Domine Rex cæleſtium, Rex regum, Deus deorum, & Dominus dominorum, tibi gratias agere, laudum hoſtias immolare. Exaudi orationem & deprecationem famulorum famularumque tuarum; auribus percipe lacrimas eorum Abba Pater. Imple nominis tui officium ſuper famulos & famulas tuas: tu eos rege, tu protege, tu conſerva, tu ſanctifica, tu guberna, tu conſolare. Sicut non es dedignatus congregare & vocare eos; ita tuo inflammentur amore, ut a te non deſpiciantur Domine clementiſſime, & piiſſime Pater. Oro te Domine non pereat in nobis factura redemtionis & vocatio tua: ſicut vocaſti errantes, ita cuſtodi in hoc ovili habitantes. Precamur te Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, exaudi famulos tuos, quia benigna eſt miſericordia tua. Concede eis, ut tuo ſancto Spiritu inflammentur, tua virtute firmentur, tuo ſplendore inluminentur, tua gratia repleantur, cum tuo adjutorio proficiant. Dona eis Domine fidem rectam, caritatem perfectam, humilitatem veram. Concede Domine, ut ſit in nobis ſimplex affectus, patientia fortis, obedientia perſeverans, pax perpetua, mens pura, rectum & mundum cor, voluntas bona, conſcientia ſancta, compunctio ſpiritalis, virtus animæ, vita inmaculata, inreprehenſibilis: conſummatoque viriliter curſu, in tuum feliciter mereamur intrare regnum. Cui merito.

a *Lectio Apocalypſin ſancti Johannis.*

EGo Johannes vidi ſedentem ſuper thronum, & in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magna, & dicentem: Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus? Et nemo poterat. Et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus eſt aperire librum, & videre eum. Et unus de ſenioribus dicit mihi: Ne fleveris. Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſeptem ſignacula ejus. Et vidi, & ecce in medio throni & quattuor animalium & in medio ſeniorum Agnum ſtantem quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſpiritus Dei miſſi in omnem terram. Et venit, & accepit librum: & quattuor animalia, & viginti quattuor ſeniores ceciderunt coram Agno; & cantant novum canticum, dicentes: Dignus es aperire librum, & ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo. Et omnes audivi dicentes: Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum amen. Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat eccleſiis.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Corinthios.

FRatres, cum ergo Chriſtus prædicatur quod a mortuis reſurrexit, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem non reſurrexit, ſine cauſa eſt ergo & prædicatio noſtra, & fides veſtra vacua. Invenimur autem falſi teſtes Dei; quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quod ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit. Si enim mortui non reſurgunt, neque

a Hæc eſt illa Prophetia, de qua ſuperius mentio.

Chriſtus reſurrexit. Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, ſine cauſa & fides veſtra eſt, & adhuc eſtis in peccatis veſtris. Ergo & qui dormierunt, in Chriſto perierunt. Si in hac vita ſola in Chriſto ſperantes ſumus tantum, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Quoniam in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis, convocatis ad ſe Dominus Jeſus turbis, dixit eis: Audite & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc acceſſerunt diſcipuli ejus, & dixerunt ei: Scis quia Phariſæi, audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt. At ille reſpondens ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos, cæci ſunt, duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt. Reſpondens autem Petrus dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum mittitur? quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ; hæc ſunt quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem. EGRESSUS INDE DOMINUS JESUS ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis: & ecce mulier Chananea, a finibus illis egreſſa, clamavit, dicens ei: Miſerere mei Domine, fili David; filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos. Ipſe autem reſpondens ait: Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël. At illa venit, & adorabat eum dicens: Domine adjuva me. Qui reſpondens ait: Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, nam & catelli edunt de menſa dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Jeſus ait illi: O mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora.

MISSA DOMINICALIS.

OREmus, fratres cariſſimi, unianimes atque concordes, ut Eccleſiam ſuam Dominus in pace conſtituat, Clerum ſuum cæleſti benedictione circumdet, plebem ſuam donis repleat ſpiritalium gratiarum: ut quietam vitam agentes, æterno Domino inlibate ſerviamus.

Collectio.

Sempiternum Dominum, infinitum, ingenitum, inmortalem, devotæ mentis, deſideriorum cordis habitatorem deprecemur, ut Eccleſiam ſanctam catholicam perpetua defenſione tueatur.

Poſt nomina.

Domine Deus dilectionis & pacis, in cujus dextera ſalus noſtra eſt, præſta ut ad te non ore tantum, ſed & corde vigilemus. Timorem tui nominis noſtris emitte viſceribus, & amorem infunde pectoribus. Per.

Ad Pacem.

Præſta nobis Domine in domo tua ſancta unanimitate viventibus pacem habere quam tradimus; pacem ſervare quam ſumimus.

Conteſtatio

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum. Cujus vocem Adam audivit, & timuit ipſius aſpectum; Abel quæſivit, & meruit. Cujus nomen Enoch credidit, & vocavit; ipſius gratiam Noe juſtificatus invenit. Cujus benedictionem Abraham vocatus accepit: ipſius caritatem Iſaac probatus agnovit. Cujus ſanctificationem Jacob electus emeruit: ipſius ignem Moyſes miratus inſpexit. Cujus ducatum Jeſus ſibi conſcius adoravit: ipſius ſuavitate Debbora cantavit in voce. Cujus potentiam Gedeon probavit in vellere: ipſius fortitudinem Samſon oſtendit in crine. Cujus majeſtatem Samuhel vidit in ſancto: ipſius magnitudinem David exultavit in tympano. Cujus honorem Salomon glorificavit in templo: ipſius aſcenſionem Helias præfiguravit in curro. Cujus dono vidua benedixit in oleo: ipſius vivificationem Heliſeus vidit in ſepulcro. Cujus patientiam Hieremias docuit in lacum: ipſius miſericordiam Zerobabel prædicavit in reditum. Cujus opus Patriarcharum forma diſtinxit: ipſius propiciationem Sacerdotum præparatio declaravit. Cujus longanimitatem Judicum æquitas protulit: ipſius ſapientiam Regum vita deſervit. Cujus ſpiritum Prophetarum veritas adprobavit: ipſius adventum Zaccharias caſtigatus oſtendit. Cujus introitum Johannes præcurſor admonuit: ipſius nativitatem Virgo protulit, ſtella præceſſit, Angelorum vox ſacra cecinit, paſtorum pervigil ſollicitudo pervidit, Magorum tripertita oblatio muneris honoravit. Cujus paſſionem mundus non ſuſtinuit, ſol refugit. Cujus reſurrectionem adſiſtentes ſuſtentaverunt Angeli, cum reſurgentem glorificaverunt ſancti. Cujus regnum univerſum cæleſtium & terreſtrium infernorumque concentum, animalium, ſeniorum, ſignatorum, inceſſabile voce proclamabant dicentes, Sanctus.

Lectio Malachiæ Prophetæ, Dominicalis legenda.

Hæc dicit Dominus: Inferte omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus. Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam: & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes. Eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum. Invaluerunt ſuper me verba veſtra, dicit Dominus, & dixiſtis: Quid locuti ſumus contra te? Dixiſtis: Vanus eſt qui ſervit Deo. Convertimini, & videbitis, quid ſit inter juſtum & impium, & inter ſervientem Deum & non ſervientem ei. Ecce enim dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens. Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol juſtitiæ, & ſanitas in pinnis ejus. Ecce ego mittam vobis Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram anathemate, ait Dominus Deus.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

Fratres, non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Sed

neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato : ſed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur. Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia. Quid ergo ? peccabimus quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia ? Abſit. Neſcitis cui exhibuiſtis vos ſervos ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive peccati in mortem, ſive obeditionis ad juſtitiam ? Gratias autem Deo quod fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis. Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ, per Jeſum Chriſtum Dominum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Simile factum eſt regnum cælorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cum autem creviſſet herba & fructum feciſſet, tunc apparuerunt zizania. Accedentes autem ſervi patrisfamilias dixerunt ei : Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo habet zizania ? Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei : Vis imus, & colligimus ea ? Et ait illis : Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem ; & in tempore meſſis dicam meſſoribus : Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum : triticum autem congregate in horreum meum.

a Locutus eſt dominus Jeſus in parabolis ad turbas, & ſine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructuabo abſconſa a conſtitutione mundi. Tunc dimiſſis turbis venit in domum ; & acceſſerunt ad eum diſcipoli ejus, dicentes : Diſſere nobis parabolam zizaniorum agri. Qui reſpondens ait. Qui ſeminat bonum ſemen, eſt Filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum vero ſemen hii ſunt filii regni. Zizania autem filii ſunt nequam. Qui ſeminavit ea, eſt diabolus. Meſſis vero conſummatio ſæculi eſt : meſſores autem Angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igne comburuntur : ſic erit in conſummatione ſæculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

MISSA DOMINICALIS.

Collectio poſt Prophetiam.

BEnedicte ſancte Deus Iſraël, viſita plebem tuam, benedic populum tuum, & libera eum a peccatis eorum, & præſta Domine virtutum, ut de manibus inimicorum noſtrorum liberemur, & tibi ſoli ſervire mereamur cum juſtitia & ſanctitate omnibus [diebus] noſtris : & dirige pedes noſtros in via pacis, ut voluntatem tuam in omnibus implere poſſimus. Per.

a Hæc lectio eſt ſine titulo in exemplari, ubi primus hujus lectionis verſus minio deſcriptus eſt, ut nempe eſſet indicio, hæc non conſequenter legi apud Matthæum in cap. XIII.

Præfatio.

Oremus Dominum dilectiſſimi nobis, quia amara nobis adveniunt tempora & periculoſi adproximant anni. Mutantur *a* regna, vocantur Gentes: excidit caritas, exſurgit iniquitas: increvit cupiditas, prævaluit impietas; & in * miſerorum creaturæ fugit. Dum ergo tempus eſt, convertamur ad Dominum, flectamus genua, curvemus cervices, rogemus Deum Patrem omnipotentem, qui clamantes ad ſe clementer exaudit, & ſperantes in ſe non derelinquit.

Collectio.

Quam magna eſt miſericordia tua, Domine, ſubvenire captivis, miſeris parcere, indulgere peccantibus, peregtinos conſolari, oppreſſos ſublevare, rogantes audire; non habentibus dare, veniam peccantibus dare, gentes barbaras ad invocationem nominis tui convertere. Ad illam miſericordiam converte nos, quam rogantibus nobis pius & miſericors Deus exaudire digneris per interventum ſanctæ Mariæ.

Poſt nomina.

Cæleſtium vitæ æternæ adoremus Dominum, fratres cariſſimi, ſuppliciter deprecemur, ut populum ſuum ſemper ubique cuſtodiat, protegat atque defendat, Principes mitiget, poteſtates gubernet, judices regat, nocentes reprimat, hoſtes repellat, laborantibus opem tribuat, oppreſſos liberet, vinctos dimittat, captivos revocet, lapſos reſtituat, contritos foveat, languidos curet, cunctis miſericordia ſubveniat, pius & miſericors Deus preces noſtras propiciatus exaudiat.

a Hæc fortaſſe dicta ſunt, cum vel Franci in Galliam, vel Langobardi in Italiam irruperunt.

Ad Pacem.

Deus Pater omnipotens, bonus ac mitis es, qui Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum *b* hoc ſedem lætitiæ cum ergo quis aſcenſurus es in cælum pacem ſuam dare nobis, pacem ſuam relinquere ſervis ſuis. Reſpice Domine, ſanctæ Eccleſiæ tuæ catholicæ ſignum pacis inpone. Fiat in virtute quod de ea dicitur, & quo titulus inpleatur. Pacem teneant Sacerdotes, pacem habeant divites, pacem habeant pauperes, pace gaudeant locupletes; pace miteſcant barbaræ nationes: pacem videant liberi, pacem ſentiant ſervi: pacem cogitent Reges, pacem faciant Principes, pacem tuam omnipotens da nobis, per interceſſionem beatiſſimi Johannis Baptiſtæ mereamur accipere.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, qui cum patribus noſtris veniam ſupplicantibus .... te Domine quia tempus eſt neceſſe pænitendi, ut non egrediamur alieni. O magnam vallem Joſaphat, ubi omnes ad judicium venient, ubi erit diſcuſſio inter juſtos & injuſtos: ut cognoſcantur mendaces & veraces in illo die judicii, ubi nulla eſt accuſatio nec excuſatio, ubi nec fides datur, nec fides repellitur; ubi juſti ſolvuntur, & peccatores ferro fixi tenentur. O magnum Regem, qui de profundo bonos adducit, & malos repellit. Juſti eligendi ſunt, peccatores torquendi, juſti ad vitam, peccatores ad gehennam. Nec pater filium, nec filius patrem lugebit: ſe unuſquiſque lugebit, nec ullus ullum requiret, quia omnis cupiditas requieſcet! O magnum diem judicii,

b Locus corruptus. Forte legendum, *obſidem letitiæ nobis reliquiſti, cum is aſcenſurus in cælum voluit pacem &c.*

ubi nec tortores deficiunt, nec mortui moriuntur! Timeamus dum vacat, ne timeamus ubi non vacat. Timeamus gehennam, quæ eſt in æternum malum: cum Deo vivamus, quod eſt in æternum bonum per Chriſtum Dominum noſtrum, cui merito.

Item conteſtatio Dominicalis.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, te glorificare, & tibi cum timore & tremore immenſas laudes canere. Deus noſter, qui per filium tuum Dominum noſtrum genus humanum judicare diſpoſuiſti. O quam magna & alta ſapientia factum eſt hoc, ut ille Dominus noſter Jeſus-Chriſtus venerabilis ſtatu, & pretioſus forma judicaret, quam crudeliſſima plebs Judæorum præſumſit ſauciare. Ille venturus eſt judicare qui pœnam ſuſtinuit, ille venturus eſt judicare qui crucem portavit, ille venturus eſt judicare, cujus latus Judaica perfidia vulneravit. Ille venturus manus tendit ad judicandum, ubi clavi confixi ſunt, & ipſa ſigna permanent in æternum, ſicut ſcriptum eſt: Videbunt quem transfixerunt, & plangent ſe cunctæ Tribus terræ. Ibi erit tribulatio, & impiis condemnatio: ibi erit juſtis exultatio, & impiis condemnatio: ibi erit juſtis jocunditas, & impiis verecundia: ibi erit juſtis gratia defuſa, & plebs Judæorum erit confuſa. O quam gravis & laborioſa eſt dies illa! o quam terribilis & horribilis eſt dies illa, dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris: ubi cælum cum terra contremiſcit, & omnes juſti terribiliter conturbantur: ubi omnis cauſa ventilatur, & unicuique ſecundum opera ſua diſpenſatur, per Chriſtum Dominum noſtrum, cui merito &c.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Coloſſenſes Dominicalis legenda.

FRatres, mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, inmunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus; propter quæ venit ira Dei ſuper filios incredulitatis. In quibus & vos ambulaſtis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Nolite mentiri in invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitione ſecundum imaginem ejus qui creavit eum, ubi non eſt gentilis & Judæus, circumciſio & præputium, barbarus & Schyta, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

DIebus illis dixit Dominus Jeſus diſcipulis ſuis. Cum venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut Paſtor ſegregat oves ab hœdis. Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti dicentes: Domine quando te vidimus eſurien-

tem, & pavimus; ſitientem & dedimus tibi potum ? quando autem te vidimus hoſpitem, & collegimus te; aut nudum & cooperuimus ? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te ? Et reſpondens Rex dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & his qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & non collegiſtis me; nudus, & non operuiſtis me; infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, & non miniſtravimus tibi ? Tunc reſpondebit illis dicens: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni de minoribus his, nec mihi feciſtis. Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.

ITEM MISSA DOMINICALIS.

Collectio poſt Prophetiam.

Dirige, omnipotens Deus Dominator, greſſus noſtros in via pacis, & ſenſus noſtros conrobora in mandatis tuis: viſitet nos Oriens ex alto, & inluminet eos qui in tenebris & umbra mortis ſedent: ut te adorent propter miſericordiam tuam, te ſequantur propter veritatem tuam, teque deſiderent propter dulcedinem tuam, qui es benedictus Dominus Deus Iſraël in unitate Spiritus-ſancti in ſæcula ſæculorum.

a Miſſa Dominicalis.

Pronis mentibus & totius corporis devotione porrecti omnipotentem Dominum deprecemur, ut omnes incolas ſuos unumque corpus Eccleſiæ trina & unita plebem ſuam cuſtodiat. Sacerdotibus pacem & concordiam, & univerſo clero perpetis miniſterii gratiam largiatur, defenſionem pupillis, ſolatium viduis, continentiam mona his, mercedem operantibus, eſurientibus victum, veſtitum nudis, ægrotantibus ſanitatem, vinctis abſolutionem, peregrinantibus patriam, navigantibus portum dignatus impertiat: humilitatem ſuperbis, maleloquentibus emendationem, pænitentibus delictorum finem, peccatoribus veniam, in hæretico errore viam veritatis oſtendat.

Collectio.

Deum ineffabilis potentiæ, bonitatis inmenſæ, fratres cariſſimi, deprecemur, ut ſacerdotes, clerum ac populum ſuum viſitet, & tueatur: inluminet totam plebem ſuam, & illa quâ redemit pietate, ſua miſeratione conſervet.

Poſt nomina:

Reſpice Deus omnipotens ad precem familiæ tuæ, quæ miſericordiam tuam ſinceritatis officio & ſtudio caritatis obtinere deſiderant, atque muneris tui donum te adjuvante percipiant.

Ad Pacem:

Pacem tuam noſtris temporibus, bone Jeſu, inlabere, in qua eſt plenitudo dilectionis tuæ, & præſta, ut pacem, quam nunc ore proferimus, ſemper ſpiritali ſenſu conſervare mereamur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omni-

a Legendum *Præfatio dominicalis.* Ita enim vocabatur illa adhortatio poſt Prophetiam, ut ſupra in prima Miſſa Dominicali.

potens Deus, qui peccato primi Parentis hominem à ſalutis finibus exulantem, pietatis indulgentia ad veniam vitamque revocaſti, mittendo nobis Unigenitum tuum ſalvatorem noſtrum, per quem languores noſtros curares, peccata dimitteres, potentiam hoſtis antiqui contereres, infernorum nexus reſolveres, paradiſi portas aperires, fidem innovares, vitam mortuis redderes, Dei filios faceres, & ad cæleſtia regna perduceres Dominus noſter Jeſus-Chriſtus. Cui merito.

Alia Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Qui videns humani generis fabricam, hoſtis antiqui extinguentis fallaciam, in terra deſcendit Dominus noſter Jeſus-Chriſtus, utero conceptus eſt virginali, Deus & homo proceſſit. Homo videtur in corpore, Deus autem manifeſtatus eſt in virtute. Homo fuit, quando cum Judæis ambulavit: Deus autem manifeſtatus eſt, quando paralyticum XXXVIII annorum ſolo verbo curavit. Homo fuit ad frequentiam nuptiarum: Deus autem manifeſtatus eſt, quando aquas convertit in vinum. Homo fuit, quando ad piſcinam Siloë cum diſcipulis venit: Deus autem manifeſtatus eſt quando cæcum à nativitate inluminavit. Homo fuit quando mulier peccatrix lacrymis pedes lavit: Deus autem manifeſtatus eſt, quando eam à profluvio ſanguinis liberavit. Homo fuit, quando in nave dormivit: Deus autem manifeſtatus eſt, quando ventibus in mare ut quieſcerent imperavit. Homo fuit, quando Maria & Martha pro fratre eum rogabant: Deus autem manifeſtatus eſt, quando Lazarum quatriduanum de monumento reſuſcitavit. Homo fuit, quando in cruce pependit: Deus autem manifeſtatus eſt, quando tertia die reſurrexit à mortuis, ſedit ad dexteram Patris, interpellat pro peccatis noſtris. Quis non timeat talem Dominum Regem æternum, aut quis non proſtratus adoret? cui merito.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos. Dominicalis legenda.

FRatres, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus: quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura: Omnis qui crediderit in illum, non confundetur. Non enim eſt diſtinctio Judæi & Græci. nam idem Dominus omnium, dives in omnibus qui invocant eum. Omnis enim qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

OMnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite eis. Hæc eſt enim Lex & Prophetæ. Intrate per anguſtam portam, quia lata porta & ſpatioſa via quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam. Quam anguſta porta & arta via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem [ſunt] lupi rapaces. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? ſic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor fructus malos facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis

arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Non omnes qui dicent mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cælorum; ſed qui faciunt voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſi intrabunt in regnum cælorum.

Incipit Apologia.

ANte oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, & plagas quas excepimus conferimus. Minus eſt quod patimur, majus eſt quod meremur. Peccati pœnam ſentimus, & peccati pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis, Domine, fragilitas noſtra vincitur, & iniquitas non mutatur. Mens ægrota torquetur, & cervix dura non flectitur. Vita in dolore ſuſpirat, & in opere non inmendat. Si expectas Domine, non corrigimus: ſi vindicas, non duramus. Confitemur in confractione quod læſimus. Si oppreſſeris manum, facienda promittimus: ſi ſuſpenderis gladium, promiſſa non facimus. Si ferias, clamamus ut parcas: ſi iterum peperceris, te provocamus ut ferias. Si anguſtia venerit, tempus petimus pænitendi: ſi miſericordia venerit, abutimur pænitentia ab miſericordia. Te volumus obſervare quod juſſeris: te nolumus obaudire quod feceris. Habes Domine confitentes reos. Parce, quia pius es, quia tibi multa miſeratio perabundat. Præſta Domine ſine merito quod rogamus, qui feciſti ex nihilo qui rogarent: quia [juſtis] præmia tribues, & peccatoribus veniam non negaſti. Rogo inclite Pater.......

MISSA DOMINICALIS.

Præfatio.

DEum ac Dominum noſtrum fratres cariſſimi deprecemur, ut cuſtodiat in nobis opus redemtionis ſuæ: & qui vitam noſtram emere ſua morte dignatus eſt ad æternam nobis beatitudinem conſequendam, donet pacem temporibus noſtris, caſtitatem cordis & corporis; deceſſum vitiorum, ſucceſſionem virtutum, deſiderium futurorum. Per.

Collectio.

Domine Deus noſter, ſuſcipe preces ſupplicum, & famolorum tuorum orationes benignus exaudi. Debemus deferre ad publicum crimina, ſi ad judicium nolumus ſuſtenere tormenta. Debemus humiliari coram hominibus, ſi volumus coram Angelis gloriari. Debemus lugere in ſæculo, ſi volumus regnare cum Chriſto. Debemus honorem expernere temporalem, ſi obtenere volumus gloriam ſempiternam. Timeamus Deum occultum in conſcientia teſtem, & publicum in examinatione cenſorem. Non ille quærit pro ignorantia confeſſionem, ſed pro miſericordia confeſſorem. Fratres cariſſimi, Dominum deprecemur, ut ſic abſolvat pietas humiles, ut non puniat ſeveritas contumaces. Per.

Poſt nomina.

Offerentes Deo, fratres cariſſimi, ſpiritalia munera, divinam clementiam deprecemur, ut has oblationes, quas in commemoratione ſanctorum & pro ſalute omnium credentium offerimus, plena pietatis ſuæ dignatione ſuſcipiat, noſtrum omnium preces exaudiat.

Ad Pacem.

Deus vita credentium, regio vivor-

rum, expectatio fidelium, reſurrectio mortuorum; captivorum redemtio, æternitas redemtorum, benignus indultor ſupplicantium preces accipe, ſuffragantium interceſſionibus mitigare, confitentium peccata dimitte: & quos redemere dignatus es humilitate corporea, protegere digneris virtute divina.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob: cujus verbo univerſa creata ſunt; cujus ſpiritu omnia *a* nunciantur, una divinitas, & trina majeſtas; natura inſeparabilis, perſona individua; Deus unus & ſolus, unitas triplex, inconprehenſa conjunctio, indiviſa diſtinctio, quem unum inſubſtantialiter, trinum perſonaliter nominamus, credimus, confitemur. Tu es enim Deus, & non eſt ſecundum opera tua. Tu fundaſti terram ſuper aquam: tu legem creaturis omnibus poſuiſti: qui in uno trinus appares, in tribus unus agnoſceris: Pater ingenitus, Filius unus eſt generatus, Spiritusſanctus unus eſt ex *b* Patre procedens, Patri & Filio coæternus. Una tamen in tribus virtus & dignitas, poteſtas, atque ita conjuncta diviſio: quæ tibi eſſet gloria in cælis, potentia in aquis, ſapientia in terris, virtus in abyſſis, claritas in Angelis, dignitas in Prophetis, ſublimitas in Evangeliſtis, auctoritas in Apoſtolis; pietas in præceptis, placabilitas in templis, feſtivitas in holocauſtis, largitas in miniſtris, per Dominum noſtrum. Cui angelicus flammiferus chorus terribile exhibet obſequium: quem Cherubin & Serafin aurigam ſedentem pavida ſubjectione mirantur: ante cujus conſpectum ſex quaterni ſeniorum mirificus ordo ſplendifluam nitentium gemmarum coronam capitis vertice geſtantium; animalium quoque diverſis numinum vultibus variataque terga Evangelia una ſe jungentes, perenne jubilatione conlaudant dicentes, Sanctus.

Conteſtatio de Abraham.

Incipit Conteſtatio dominicalis dicenda.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, qui Abrahæ famolo tuo unicum filium, quem ipſe dederas, in ſacrificium tibi victimam eſſe juſſiſti. O Domine in promittendo fidelis, in perficiendo liberalis, nunc per ſterilem ſenem fecundaſti; ſed ut devotio conprobaretur in patre, affectio poſtponeretur in ſobole, & qua futurum neſciebat affectum. Plus ſiquidem gaviſus eſt offerens tibi filium, quam promiſſum crediderit naſciturum. Pro hoc enim non ſibi, ſed tibi filium genuiſſe, quem ſic feſtinabat offerre, e rege devotus pater: cum ſacrificio jam parato ibat & devotus filius cum ſacerdote perfecto. Ita enim utrumque ſibi vota contexerant, ut nec pater de filii voluntate eſſet ſuſpectus, nec filius de patris voluntate eſſet ſollicitus. Conſulit victima ſacerdotem, & percuſſorem ſuum moriturus interrogat: Ecce adeſt ignis & ligna, ubi eſt ovis quæ eſt ad victimam! O expectacolum dignum Deo! o invictum devotionis triumphum, & magnum & inviolabile ſacramentum. Devotio dicebat, Percute: pietas clamabat, Parce. Illa provocabat, iſta revocabat.

a Forte legendum, *muniuntur*.

b Hinc patet hanc Miſſam uſitatam fuiſſe ante additamentum *filioque*, quod jam ſuperius vidimus in expoſitione Symboli pag. 313.

cabat. Filius tamen moriturus jacebat, non vincolis arduis inretitus, ſed officium pietatis indutus. Totis ergo pater viſceribus in ſua viſcera feriturus inſurgit; & nullam devotionis ſuæ afferre patitur tarditatem, nec ex tarditate perdidit mercedem. Sed ecce divinitas, quæ juſſerat ut feriret, iterum dicebat: Parce, parce, inquit, devote pater, parce religioſe percuſſor, parce ſine crimine parricida. Ego libens victimam tuam acceptavi; votum non reprovo, ſacrificium laudo, fidem non repello. Tu quidem non perimes filium, ſed facti tui per ſæcula manet exemplum. O qualem rem! nec filius timuit victima, nec pater inventus parricida: quoniam adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti expectabat, ante cujus conſpectum omnes Angeli atque Archangeli.

Item conteſtatio Dominicalis.

Vere dignum & juſtum eſt credentium populum ſemper Deo dicere laudes, & in Chriſto dominicæ ſublimitatis præferre virtutem, & in filio miſericordem prædicare pietatem, per quem cuncta protulit, univerſa reſtituit. Sublata ſunt omnia quæ propheticis vocibus a te mandaveras; perfecta ſunt cuncta, quæ de adventu tuæ ſublimitatis ante prædixeras. Tu es Leo de tribu Juda fortis in prœlio; tu catulus leonis reſurgens victor a mortuis; tu verus agnus Dei, diu quæſitus ad victimam, per cujus ſanguinem placata ſunt omnia; tu lapis angularis ædificantibus ſpretus, in Eccleſiæ capite conſtitutus, admirabilis poſtmodum effectus. Tu Sacerdos excelſus & verus miniſter. Tu virga de radice Jeſſe prolata. Tu templum verum, quod pro noſtra redemtione proſtratum eſt. Tu poſt triduum reſurgens vivus a mortuis. Tu igitur in Noë rector arcæ, non ſolum Noe, ſed Eccleſiæ gubernator. In Abraham fideliſſimus patriarcha, in Iſaac glorioſiſſima hoſtia patris, in Jacob ſummæ patientiæ magiſter, in Joſeph miſericordiæ prædicator, in Moyſe laudabilis dux, in David patriarcha præclarus, in Salomone abundantiſſimus fons ſapientiæ, in Iſaia auctor omnium prophetarum, in Johanne primus baptiſta, in Stephano primus martyr, in Petro negantium fides, in Paulo Spiritus-ſanctus Paraclitus. Quod merito tibi, Domine, conlaudant opera illa, viginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia ſenas alas habentes, dicentes Sanctus.

Item Conteſtatio Dominicalis.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens verbum veritatis & lumen claritatis. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, die, in qua natus eſt Dominus. Die ſancto dominico baptiſmum introivit. Die ſancto dominico reſurrexit Dominus. Die ſancto dominico fecit mirabilia in Cana Galileæ, aquas in vina convertit. Die ſancto dominico de quinque panibus & duobus piſcibus quinque milia hominum pavit. Die ſancto dominico ſiccatum eſt mare ante populum Moyſis. Die ſancto dominico ordinatus eſt Petrus *a* ſecundum Apoſtolus in novo Teſtamento. Die ſancto dominico mare pedibus ambulavit. Die ſancto dominico reſpexit in terra Babylonis, & vidit tres civitates ardentes, una Babilla, ſecunda Babylonis, tertia Landoglado. Babilla cedunt pedes peccatorum: Babylonis cedunt pedes for-

a Sic habet vetus exemplar.

nicatorum : Landoglado cedunt qui contradicunt verbo Domini. Ibi ſonat oſſa *a* morigena peccatorum, & linguas aridas. Omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in abyſſis. Deſcendit ad infernum & exinde tulit Adam, & direxit eum in paradiſum, & reſtituit eum una cum patriarchis. Merito tibi Domine omnis terra adorat te & confitetur.

b *Item Conteſtatio dominicalis.*

Vere dignum & juſtum eſt, omnipotens Deus, te Angelorum aptare licet illa in cæleſtibus, te in perſonis trinum, unum Deum in Trinitate ſine ceſſatione conlaudantes demonſtrant. Sed noſtra exiguitas, terrigeno pulvere circumſepta, quomodo poterit de tuis ineffabilibus operibus, ſaltim pauciſſima, in laudes promere verba? præſertim cum cælum tibi ſedes ſit, terra autem ſcabellum pedum tuorum : & cuncta viſibilia & inviſibilia pugillo concludens, polum reples ſanctorum Angelorum catervis, tellurem per gradus hominum locatim diſponis mirifice. Sic namque te ordinante regalis potentia principatum gerit in mundo, quatinus in cunctis te Deum Dominum & auxiliatorem ſuum ſemper eſſe cognoſcat. Proinde, Domine, ſubnixe depoſcimus, ut prolixa per tempora iſto in ſæculo pacifice & feliciter Principi noſtro concedas regnare, & quandoque poſt annorum multa curricula peracta, tecum æterno aptes in regno per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, cui merito omnes Angeli &c.

c MISSA PRO PRINCIPE.

REgem regum, atque cunctorum regnantium Dominum Deum omnipotentem, ſub cujus nutu & virtute univerſa regna terrarum pia moderatione ſubſiſtunt, fratres dilectiſſimi, unianimiter deprecemur : ut Principem noſtrum tali jugiter tueatur auxilio, quali Abraham quondam cum trecentis decem & octo vernaculis ſuis de quinque Regibus cum phalangis proſtratis victoriam referentem mirabiliter ſalvavit cum triumpho. Ut nepotem ſuum Loth, & prædam gaudens propria reduceret ad loca : ita Principem noſtrum ſemper victorem contra cunctos adverſarios vivificet, ſalvum tueatur, conſervet inlæſum: qui Melchiſedech & Abraham æterno tempore feliciter regnare [fecit] in mundum. Per Dominum.

Collectio.

Domine Deus omnipotens, qui per ſapientiam inæſtimabilem, qua ita diſpoſuiſti mundum, ut abſque Regibus & Principibus nulla cum pace ſubſiſterent climactera ſæculi, quatinus bonorum florente juſtitia, cuncta ſubacta tabeſcerent perfidorum nequitia. Unde Domine te ſupplices deprecamur, tibique devotis mentibus in hac die fundimus preces pro fideli famulo tuo Principe noſtro ill. atque pro univerſo exercitu illius. Ita eum, Domine, per dexteram virtutis tuæ contra omnes adverſarios ſemper eſſe

a An legendum, *os Amorrhai, genas peccatorum*,

b Hoc loco anteponitur ſecunda quidem ſed antiquiſſima manu, Miſſa pro Regibus : quam poſt ſequentem Conteſtationem, in qua de Rege agitur, referimus.

c Hunc titulum, qui in exemplari deeſt, atque alios ejuſdem Miſſæ titulos ſupplevimus. In hac Miſſa ſemper ſermo eſt de Principe, non de Rege.

jubeas cum triumphis victorem, ſicut quondam auxiliatus es Moyſi, dum adverſus inimicos ſuos dimicans, Hur brachia illius ſuſtentaret uſque ad veſperam; illeque lumina levans ad cælos, mox te auxiliante Domine uſque ad internecionem ſuos percuſſit atque proſtravit adverſarios. Proinde te Domine ſubnixe depoſcimus, ut taliter Princeps noſter in cunctis tuo jugiter fultus auxilio, innumeros per annos feliciter vigeat in regno. Per Dominum.

Poſt nomina.

Dominator Domine, qui ſuperſtites atque defunctos, ſicut volueris, miſericors tuo tenes in nutu, adeſto precibus noſtris: ut Sanctorum nominibus recenſitis, illorum meritis adjuvemur, atque hæc ſacrificia, quæ tibi offerimus, & viventibus proficiant ad ſalutem, & defunctis opitulentur ad requiem æternam. His inlatis muneribus Princeps noſter & univerſus exercitus illius in omnibus victor ope potiatur divina deprecantibus nobis. Et ſicut olim Joſue dum ſepties cum tubis moenia circuit Hierico, ruentibus muris ilico victoriam cepit de urbe: ita, Domine omnipotens Deus, orantes depoſcimus, ut ſi qui fortaſſis conati fuerint Principis noſtri contraire imperiis, ſub pedibus illius tabeſcant feliciter proſtrati. Præſta Deus omnipotens. *Ad Pacem.*

Mediator cæli & terræ, omnipotens Deus Jeſus-Chriſtus, qui pacata atque pacifica hominum diligis corda, te ſupplices deprecamur: ut pax illa, quam tenendam tuis reliquiſti Apoſtolis, jugiter perſeverans noſtris vigeat in cordibus: & ſicut David quondam forti manu ſpurio percuſſo Golia pacem Saulis fecit in populo, ita Princeps noſter te opitulante univerſis devictis undique gentibus pacifice innumeros per annos ſuo feliciter ſplendeat in regno.

Conteſtatio.

Dignum & juſtum eſt Domine Deus omnipotens laudes vocum noſtrarum, ſi fas eſt, concentibus Angelorum aptare, licet illi in cæleſtibus te in perſonis trinum, unum Deum in Divinitate ſine ceſſatione conlaudantes demonſtrent. Sed noſtra exilitas terrigeno pulvere circumſepta, quomodo poterit de tuis ineffabilibus operibus ſaltim pauciſſima *&c. ut ſupra pag* 378.

LEGENDIS COTTIDIANIS.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, rogo vos ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula, præter doctrinam quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis. Hujuſmodi enim Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Veſtra enim obedientia in omni loco divulgata eſt. Gaudeo igitur in vobis, ſed volo vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo. Deus autem pacis conteret ſatanan ſub pedibus veſtris velociter. Gratia Domini noſtri Jeſu-Chriſti vobiſcum.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

IN illo tempore, factum eſt una dierum ſedebat Jeſus docens, & erant Phariſæi ſedentes, & legis doctoresqui venerant ex omni caſtello Galileæ & Judæ & Jeruſalem: & virtus erat Domini ad ſanandum eos. Et ecce viri portantes hominem in lecto, qui erat paralyticus, &

quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, aſcenderunt ſupra tectum per tegulas, & ſubmiſerunt illum in medio ante Jeſum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quis eſt *a* hic? quid loquitur? blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus? Cognovit autem Jeſus cogitationes eorum, & reſpondens dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus veſtris? quid eſt facilius dicere, Dimittuntur tibi peccata, an dicere, Surge & ambula? ut autem ſciatis quia filius hominis poteſtatem habet in terra dimittere peccata, ait paralytico: Tibi dico ſurge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et confeſtim ſurgens coram illis, tulit lectum in quo jacebat, & abiit in domum ſuam magnificans Deum, & ſtupor adprehendit omnes, & magnificabant Deum.

Missa cottidiana Dominicalis.

Placatus Domine quæſumus quicquid meremur averte, nec apud te delicta noſtra plus valeant, ſed miſericordia tua ſemper nos peccatores præveniat: & per precem ſupplicem ita nos dignare reſpicere, & a cunctis iniquitatibus noſtris emunda.

b *Secreta.*

Præſta populo tuo Domine quæſumus conſolationis auxilium, da veniam peccatis noſtris, & ab omni nos iniquitate cuſtodi: & quia humana fragilitas inceſſabiliter meretur offenſa, celerius in tua miſericordia gaudeamus.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, te ſemper cultu ſervitutis humanæ laudare, qui divinis muneribus tuis, & cæleſtibus beneficiis in noſtra humilitate largus ad lucem nos de tenebris revocaſti: ut qui ante in deſerta & arida ſolitudine tenebamur, vitæ patefacto ſalutari ſpiritu, rigaremur miſſo nobis Jeſu-Chriſto filio tuo Domino Deo, Rege & Salvatore noſtro, qui in ſe delicta noſtra ſuſcipiens, & quicquid homo antea peccaverat, ſanguine ſuo abluens, nativitatem novam credentibus & ad ſe confugientibus patefecit: in cujus ineffabili gratia gloriantes quæſumus Domine ut ſtatuas in via recta, quos firmaſti per gratiam per Chriſtum Dominum noſtrum.

Missa alia.

Epiſtola Apoſtoli ad Galatas.

Fratres, omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis ſui prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Quæcumque enim ſeminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Ergo dum tempus habemus, operemur bona ad omnes homines, maxime autem ad domeſticos fidei, in Chriſto.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Diebus illis interrogavit Dominum Jeſum unus Phariſæus

a Non dubito quin legendum ſit ut in Vulgata, *Quis eſt hic qui loquitur blaſphemias*. Nihil tamen mutare viſum eſt.

b Secretæ ejuſmodi orationes ſunt ex ritu Romano, ut ſuperius obſervatum.

legis-doctor tentans eum : Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege ? Ait illi Jeſus : Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic : Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In his duobus mandatis univerſa lex pendet & prophetæ Congregatis autem Phariſæis, interrogavit eos Jeſus dicens : Quid vobis videtur de Chriſto ? cujus filius eſt ? Dicunt ei, David. Ait illis : Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum ? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt ? Et nemo poterat reſpondere ei verbum, neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

ITEM MISSA DOMINICALIS.

OMnipotens ſempiterne Deus, cui poteſtas eſt ſine fine miſerendi, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ ſupplicem ſervitutem, quam ante te per precem ſubjectam prætendimus, & præſta ut tibi ſubditas mentes perpetuum defenſionis ſervet auxilium.

Secreta.

Deus *a* in te ſperantium fortitudo, adeſto propicius invocationibus noſtris : & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, ut in ſequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus.

a Hæc ex Sacramentario Gregoriano ad Dominicam primam poſt Pentecoſten.

b An *depingitur*. Et paullo infra forte, *Eccleſiam margarita fecundant* : vel, *Eccleſia margaritis fecundatur*.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, per quem Moyſes famulus tuus populum ſuum eduxit in Chriſti triumphum per baculum crucis. Unde & baptiſmum ejus ſignificavit in mundo. INDE Maria canebat in tympano, unde paſſio Chriſti veneranda *a* depignitur. INDE Jonas vaticinavit incluſus, unde Eccleſia margarita te fecundant. INDE David pſallebat in cythara, unde Paulus Apoſtolus prædicabat : Fundamentum aliud nemo poteſt ponere niſi Chriſtus Jeſus. INDE Petro mergenti manus porrigitur, ubi titubantis fides munitur, , ibi caput Eccleſiæ confirmatur. INDE Lazarus de ſepulcro proditur, unde reſurrectio Chriſti glorioſa laudatur. Gaudentes Angeli & exultantes Archangeli, Cherubim quoque ac Seraphim.

ITEM ALIAS LECTIONES COTTIDIANAS.

Ad Titum.

FRattes, hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Admone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, neminem blaſphemare, non ligitioſos eſſe, ſed modeſtos ; omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines. Eramus enim & nos aliquando inſipientes & increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes. Cum autem benignitas & humanitas apparuit ſalutaris noſtri Jeſu Chriſti.....

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

TEmpore illo ibat Dominus Jeſus in civitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum illo diſcipuli ejus & turba copioſa. Cum autem adpropinquaret portæ civitatis, & ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Et hæc vidua erat, & turba civitatis multa cum illa. Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hii autem qui portabant ſteterunt. Et ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui: & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem timor omnes, & magnificabant Deum dicentes, quia propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitavit plebem ſuam.

ITEM LECTIONES COTTIDIANÆ.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Coloſſenſes.

FRatres, induite vos, ſicut electi Dei, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobis ipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam. Sicut & Dominus donavit, ita & vos. Super omnia autem hæc caritatem, quod eſt vinculum perfectionis, & pax Chriſti exultet in cordibus veſtris.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Lucam.

IN diebus illis, factum eſt cum rediſſet Dominus Jeſus, excepit illum turba. Erant enim omnes expectantes eum. Et ecce venit vir nomine Iaïrus, & ipſe princeps erat ſynagogæ; & videns eum procidit ad pedes ejus, & deprecabatur eum multum dicens, quoniam filia mea in extremis eſt; veni, inpone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat. Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa. Adhuc eo loquente, veniunt ab archiſynagogo dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid ultra vexas Magiſtrum? Jeſus autem verbo quod dicebatur audito, ait archiſynagogo: Noli timere, tantummodo crede. Et non admiſit quemquam ſequi ſe niſi Petrum & Jacobum & Johannem fratrem Jacobi: Et veniunt in domum archiſynagogi, & vidit tumultum, & flentes & ejulantes multum. Et ingreſſus ait eis: Quid turbamini & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit. Et inridebant eum. Ipſe vero ejectis omnibus, adſumſit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant. Et ingreditur ubi erat puella jacens, & tenens manum puellæ ait illi: Tabita cumi, quod eſt interpretatum, puella, tibi dico, ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat. Erat autem annorum XII. Et obſtipuerunt ſtupore maximo, & præcepit illis vehementer ut nemo id ſciret.

MISSA COTTIDIANA.

QUæſumus omnipotens Deus; ne nos tua miſericordia derelinquat, quæ & terrores noſtros amoveat, & noxia cuncta depellat.

Secreta.

Munda nos Domine ſacrificii præſentis effectu, & perfice miſerator in nobis, ut ejus mereamur eſſe participes.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, verus homo carnem ſumſit de Virgine, verus Deus non abſtulit virginitatem: verus homo

poſitus in præſepio: verus Deus Magis ſtellam oſtendit. Verus homo baptizatus à Johanne: verus Deus aquas Johannis ſanctificavit. Verus homo ad nuptias fuit: verus Deus aquas in vinum convertit. Verus homo dormiebat in nave: verus Deus ſedavit tempeſtatem. Verus homo fidem miratur Centurionis: verus Deus ſanavit puerum ipſius. Verus homo ſuper aquas pedibus ambulavit: verus Deus Petro mergenti manum porrexit. Verus homo ſuper Lazarum flevit: verus Deus una voce Lazarum ab inferis ſuſcitavit. Quis non timeat talem Dominum, Regem æternum? cui merito. Sanctus.

ITEM LECTIONES COTTIDIANAS.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Philippenſes.

FRatres ſcio vos gaudii mei omnes [ſocios] vos eſſe. Teſtis enim mihi eſt Dominus, quomodo cupiam vos omnes in viſceribus Chriſti Jeſu Domini noſtri.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

SIc enim dilexit Deus mundum: ut Filium ſuum unigenitum dacet in illo, ut omnes qui credunt in eum non pereant, ſed habeant vitam æternam. Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non judicatur, qui autem non credit in eum, judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera [ejus,] quia in Deo ſunt facta.

Item alia ſecundum Johannem.

AMen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet; & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si diligitis me, mandata mea ſervate. Qui audit mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum.

ITEM MISSA COTTIDIANA DOMINICALIS.

[a] DEus qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti, infunde in cordibus noſtris tui amoris effectum: ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas quæ omne deſiderium ſuperant conſequamur.

Secreta.

Reſpice Domine quæſumus adflictionem populi tui; & quos juſtitia corripis, miſericordia conſolari dignare: ut te cuſtode ſervati, ab omnibus periculis hujus vitæ liberemur.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus, clemens & miſericors, qui januam fidelibus tuis per ſtudium pacis, & caritatis munimine patere voluiſti; reſpice in nobis, & miſerere noſtri Deus, qui ad æternam vitam in Chriſti reſurrectione nos reparas. Cuſtodi opera miſericordiæ tuæ: ut cum in majeſtate ſua Unige-

[a] Hæc Collectio habetur in Romano Dominica poſt Pentecoſten quinta.

nitus tuus advenerit, ad immortalitatis gloriam reſurgamus per Chriſtum Dominum. SANCTUS.

LEGENDA IN DEPOSITIONE SACERDOTIS.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Titum.

FRatres de *a* dormientibus nolumus vos ignorare, ut non contriſtemini ſicut ceteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quod Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in juſſu & voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo, & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquemur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëra, & ſic ſemper cum Domino erimus.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Iohannem.

DIxit Dominus Jeſus ad turbas: Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed tranſit à morte in vitam. Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent. Sicut enim Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus: & procedent qui bona fecerunt in reſurrectionem vitæ, qui vero mala geſſerunt, in reſurrectionem judicii.

MISSA SACERDOTIS DEFUNCTI.

PRæſta Domine quæſumus, ut anima ſacerdotis tui ill. quem in hoc ſæculo commorantem ſacris muneribus coronaſti, cæleſti ſede glorioſa ſemper exultet.

Collectio.

Deus qui confitentium te portio es defunctorum, preces noſtras quas in Sacerdotis tui ill. depoſitione deferimus, propitius exaudi: ut qui nomini tuo miniſterium fidele dependit, perpetua Sanctorum ſocietate lætetur.

Poſt nomina.

Deus qui univerſorum creator & conditor es, cum ſis tuorum beatitudo ſanctorum, præſta nobis petentibus: ut depoſitionem ſacerdotis tui & corporis nexibus abſolutum in prima reſurrectione facias præſentari.

Conteſtatio

Vere dignum & juſtum eſt, myſteriorum cæleſtium conſecrator æterne Deus, cuſtos Eccleſiæ, ſacerdotum decus, & laus omnium certa Pontificum, eminentiam majeſtatis tuæ, excelſum nomen orare, ut hæc ſacra myſteria, quæ tuæ pietati offerimus pro anima & ſpiritu ſacerdotis tui ill. cujus hodie depoſitionem celebramus, inter ſanctorum conſortium in libri vitæ jubeas paginam intimare, per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui.

a Auguſtinus in ſermone CLXXIII ad populum ait, nos debere hanc lectionem in mente habere, *quando celebramus dies fratrum defunctorum*. Quantum vero defunctis proſit Sacrificium, idem teſtatur in ſermone præcedente.

Lectiones pro defunctis.

Epiſtola Pauli apoſtoli ad Romanos.

FRatres, nemo veſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino morimur. Sive enim vivimus, ſive morimur Domini ſumus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Johannem.

IN illo tempore Dominus noſter Jeſus Chriſtus loquebatur diſcipolis ſuis dicens: Hæc eſt voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in noviſſimo die. Hæc eſt enim voluntas Patris mei qui miſit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam. Et reſuſcitabo eum in noviſſimo die.

Missa pro defunctis.

OMnipotentem Dominum, fratres cariſſimi, deprecemur, ut animam famoli tui ill. quam de corporis carcere abſolutam in illud ſempiternum & inviolabile ſæculum migrare præcepiſti, in Abrahæ ſinum eum digneris excipere, & in conſortio primæ reſurrectionis ſuſcitare jubeas.

Collectio.

Domine Salvator noſter, qui de fluctibus hujus ſæculi bonorum animas ſuſcipere dignatus es; animam quoque famoli tui ill. adſumere digneris, ut eum ad portum æternæ quietis admittas: ut cæleſtibus fruatur bonis, & gaudeat ſe malis evaſiſſe tormentis.

Poſt nomina.

Rogamus etiam, Domine, pro anima famoli tui ill. quam in pace dominica adſumere dignatus es; ut locum refrigerii teneat, vitæ merita conſequatur æterna, ibique eum ſtatuere digneris, ubi eſt omnium beatitudo juſtorum: & cum dies ille judicii advenerit, inter ſanctos & electos tuos eum facias ſuſcitari.

Ad Pacem.

Judex ſuperſtitum pariter atque pauſantium, pro fidelium omnium defunctorum ſpiritibus te deprecamur, ſed maxime pro hujus anima famoli tui ill. ut pro meritis & operatione juſtorum motus in eo animadverſionis *a* exageres, & omnia ei pro clementia tuæ pietatis indulgeas.

Conteſtatio.

Vere dignum & juſtum eſt omnipotens Deus. Tu Domine, cui omnia adſunt, cui vivunt omnia: qui vocas ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt: æterne miſerator, qui non ſecundum iniquitates noſtras retribuis nobis; & ſi iniquitatem obſervaveris Domine, quis ſuſtinebit? atque ideo deprecamur majeſtatem tuam omnipotens Deus, ut remittas famolo tuo ill. quos in hac vita habuit carnis errores. Tribuas ei Domine delictorum ſuorum veniam in illo ſecreto receptacolo, ubi jam non eſt locus pænitentiæ. Non intres in judicium cum ſervo tuo. Quis enim in conſpecto tuæ juſtitiæ juſtus appareat? Non ſe ei opponat leo rugiens, & draco devorans, miſerorum animas rapere conſuetus. Non accuſationem exequatur adverſus eum. Non obiciat quicquid ſemper * ſuadendum cum ipſo eſt. Tu autem Chriſte recipe animam famoli tui ill. quam dediſti, & demitte ejus debita magis quam ille demiſit debitoribus ſuis: ut ab omni metu pœnæ adque ab æterni

a An legendum, *non exaggeres.*

judicii terroribus abſolutus, in bonis tuis demoretur in pace per Chriſtum Dominum noſtrum. Cui merito, Sanctus.

Orationes ad defunctos.

PIæ recordationis affecto, fratres cariſſimi, commemorationem faciamus cari noſtri ill. quem Dominus de temtationibus ſæculi adſumpſit, obſecrantes miſericordiam Dei noſtri, ut ipſe tribuere ei dignetur placitam & quietam manſionem. Remittat omnes lubricæ temeritatis offenſas: ut conceſſa plenæ indulgentiæ venia, quicquid in hoc ſæculo proprius error attulit, ineffabile pietate ac benignitate ſua indulgeat.

Item alia.

Tu nobis, Domine, auxilium præſtare digneris, tu per miſericordiam largiaris, animam quoque famoli tui ill. a vinculis corporalibus liberatam in pace ſanctorum tuorum recipias, & gehennæ ignis evadat.

Item alia.

Deus qui juſtis ſupplicationibus ſemper præſto ades, qui pia vota dignaris intueri, da animæ famoli tui ill. cujus tranſitus hodie officia præſtamus, cum ſanctis adque electis tuis beati muneris portionem.

Item alia.

Antiqui memores chirographi, fratres dilectiſſimi, quo primi hominis peccato & corruptione addicta eſt humana conditio, ſub cujus lege id ſibi unuſquiſque formidat, quod alia inveſtigavit videatque, omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur pro anima cari noſtri ill. cujus hodie depoſitionem celebramus: ut eam in æternam requiem ſuſcipiat, & beatæ reſurrectioni repræſentet.

Item alia.

Te Domine ſancte Pater, omnipotens Deus, ſupplices deprecamur pro anima cari noſtri ill. quem ab hoc ſæculo arceſſiri juſſiſti. Dona ei Domine locum lucidum & refrigerium. Liceat ei tranſire portas inferorum & vias tenebrarum, maneatque in manſionibus Moyſi, Eliæ, & Simonis, & Lazari, cunctorumque ſanctorum, & in luce quam promiſiſti Abraham & ſemini ejus: ut cum dies tremendus ille reſurrectionis advenerit, reſuſcitari eum præcipias ad indulgentiam, & non ad pœnam.

EXORCISMUM

Ad ſalis ſparſum faciendum.

EXorcizo te creatura ſalis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti; qui te per Eliſeum in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilis, qui divina oris ſui voce ait, Vos eſtis ſal terræ: & per Apoſtolum ſuum, Sit ſermo noſter ſale conditus. Ideoque efficere ſal exorcizatum, ut ubicumque fueris aſperſa, præſtes omnibus ſanitatem mentis in protectionem ſalutis, ad expellendas & excludendas omnes dæmonum temtationes per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare ſæculum per ignem.

Benedictio ſalis.

Virtutis tuæ invictiſſimam fortitudinem deprecor Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui inter cuncta quæ procreari juſſi-

ſti, non minimam gratiam conferre dignatus es ſali, ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ hominibus ad eſcam per Filium tuum Dominum noſtrum dignatus es largiri: per quem Domine ſupplices exoramus, ut hoc ſal digneris ſanctificare, ut ex vultu majeſtatis tuæ virtutem contra omnes inmundos ſpiritus poſſit accipere. Expellat à tabernaculis famolorum tuorum quicquid poteſt eſſe peſtiferum: exhibeat plenum ſalutis effectum, detergat omnes præſtigias inimici, & omnia monſtrorum genera longius faciat effugere: gravedines omnes fantaſiaſque compeſcat, & tranquillitatis in omnibus conferat gratiam. Per ſignum Crucis filii tui Domini noſtri tutellam fideliſſimam deſiderantibus præſtes.

Exorciſmum aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum creatorem, qui te in principio e terra ſeparavit, & in quatuor fluminibus dividere dignatus eſt, ut ubicumque potata vel aſparſa fueris, effugetur & expugnetur inimicus & omnis putredinis vis, ut ſis proprie Deo dicata.

Benedictio aquæ.

Deus qui ad ſalutem generis humani maxima ſacramenta in aquarum ſubſtantia dediſti, adeſto ſupplicationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutis tuæ benedictionem infunde: ut hæc creatura myſteriis tuis ſerviens, ad ablegandos dæmones morboſque repellendos divinæ gratiæ ſumat effectum; & quicquid in domibus fidelium hæc unda aſparſerit, careat inmunditia, liberetur à noxia: non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens: abſcedant omnes latentes inſidiæ inimici, omneſque inquietudines procul aufugiant: & ſi quid eſt quod incolomitati habitantium invideat aut ſaluti, adſparſione aquæ hujus abſcedat, ut ſalubritas per invocationem ſancti nominis permaneat inpugnatione defenſa.

Benedictio ſalis & aquæ.

Domine Deus omnipotens, inſtitutor omnium elementorum, te per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum filium tuum ſupplices exoramus: ut has craturas ſalis & aquæ benedicere & ſanctificare digneris, ut ubicumque aſparſæ fuerint, omnis ſpiritus inmundus ab eo loco confuſus abſcedat atque recedat, nec ulterius in eo loco commorandi habeat poteſtatem: per virtutem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui tecum Deus Pater omnipotens, & cum Spiritu-ſancto æqualis ſemper vivit & regnat in ſæcula ſæculorum.

Oratio in domo.

BEnedic Domine domum iſtam, & omnes habitantes in ea per interceſſionem Sanctorum tuorum benedicere & ſanctificare digneris, & bonis omnibus amplificare: tribuas eis de rore cæli & de pinguedine terræ abundantem vitæ ſubſtantiam, in bonis omnibus deſiderium ad effectum ſuæ miſerationis perducat. Per Dominum &c.

Ordo ad conſecrandas monachas.

OMnipotens ſempiterne Deus, pater Domini noſtri Jeſu-Chriſti: tu Domine adjuva voluntatem ancillarum tuarum, quæ meliorem portionem elegerunt; & præſta eis gratiam ſpiritalem, ut ſobrie, pu-

dice viventes, hæc ſemper faciant quæ tibi ſunt placita Dignare etiam, Domine, lampadas earum ineſtinguibiles ſervare uſque in finem: ut ſponſo veniente lætæ occurrere poſſint, atque regna cæleſtia intrare: incluſæ gratias tibi referant in regione vivorum hoc ſignum Filii tui bajulantes † qui vivit & regnat &c.

Ad velandam virginem.

Hæc ſunt, Domine, capitis conſecrati ſplendidiora velamina. Nullus hic candidiſſimæ veſtis ornatus cum quo errore decepta iter..... ſequatur Agnum; ita lumen Eccleſiæ atque inmaculata virgo uni Domino nupta beatam ſedem requirat.

Benedictio Abbatiſſæ.

Omnipotens Domine Deus, apud quem non eſt diſcretio ſexuum, nec ulla ſanctarum diſparilitas animarum: qui ita viros ad ſpiritalia certamina conroboras, ut feminas non derelinquas: pietatem tuam humili ſupplicatione depoſcimus, ut huic famolæ tuæ ill. quam ſacroſancto gregi virginum, noſtrarum impoſitione manuum & hoc velaminis tegumento in cœnobio ill. Matrem fieri optamus: clementia tua roboratrix perpetua non recedat. Da ei, Domine, fortitudinem ſpiritalia bella gerendi, ut nec honeſta delaceret, nec inhoneſta delectet: atque ita a te inluminata, ſibi creditam multitudinem animarum tuo ſancto nomini jugiter admonendo faciat inſervire, ut de nullius perditione confuſa, tuæ Genitricis adjungatur cœtibus lætabunda, cum ſuis omnibus feliciter coronanda. Per &c.

Benedictio ſuper viduam veſte mutandam.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui in tantum humano generi miſerationis tuæ curam inpendis, & ita virginitatis devotionem amplecteris, ut viduitatis profeſſionem clementer acceptes: te quæſumus Domine precibus inploramus, te ſupplices deprecamur: ut famolam tuam ill. quæ ob timorem tui nominis caſto timore ſibi proſpiciens, viduitatis indumentum per noſtræ humilitatis manus percipere poſtulavit, tuo auxilio contra inlecebras carnis atque inſidias inimici munias præſidio ac defendas, ut ſit famola tua ill. Annæ filiæ Fanuhelis ſimilis in vigiliis, in abſtinentia, in orationibus atque eleemoſynis prompta.

Benedictio thalami a ſuper nubentes.

Deum qui ad multiplicandam humani generis prolem benedictionis ſuæ dona largiri dignatus eſt, fratres cariſſimi, deprecemur, ut hos famulos ſuos ill. & ill. quos ad conjugalem copulam ipſe præelegit, ipſe cuſtodiat. Det eis ſenſus pacificos, pares animos, mores mutua caritate devinctos. Habeant quoque optatas ejus munere ſoboles, qua ſicut donum ipſius tribuit, ita ipſius benedictione conſequantur, ut hi famoli ſui ill. & ill. in omni idem cordis humilitate deſerviant. Per.

Item alia.

Te deprecamur, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ſuper hos famolos tuos ill. & ill. quos ad gratiam conjugii venire juſſiſti, qui per noſtram licet precem aut vocem benedictionem tuam

a Hoc eſt quod ait Ambroſius in epiſtola XXIV ad Vercellenſes, *ipſum conjugium velamine ſacerdotali & benedictione ſanctificari oportere.*

deſiderant. Tribue eis Domine fidele conſortium caritatis. Induant caritatem Sarræ, pænitentiam Rebeccæ, amorem Rachel, gratiam & caritatem Suſannæ. Deſcendat ſuper hos famolos tuos ill. & ill. ſicut deſcendit ros pluviæ ſuper faciem terræ: manus tuæ ſentiant actum, & Spiritus-ſancti tui percipiant gaudium ſempiternum.

Oratio ſuper eos qui a *ſecundo nubunt.*

Antiphona. Benedictio Domini ſuper vos. Beati omnes.

DEus, qui multimoda ſubſidiorum remedia fragilitati humanæ beneficia confers, & tribuis incrementum, ut natura non defraudetur a ſemine, per quod geminata propago creſcat in progenies. Sic temporibus priſcis Ruth Moabitem benedixiſti, ſic in noviſſimis per Apoſtolum tuum ſecunda matrimonia conceſſiſti. Da eis ergo, Domine, famolis tuis procreandorum filiorum unianime deſiderium, ut faciat Dominus hanc mulierem ill. quæ ingreditur in domum tuam, ſicut Rachel & Lia, quæ ædificaverunt domum Iſraël, & ſit exemplum virtutis in Ecclesia Dei. Per.

Benedictio omni quod in Eccleſia offertur.

DEus, cujus verbo & potentia facta ſunt omnia, cujus dono percipimus quæ ad vitæ remedium poſſidemus; ſupplices te nixis precibus exoramus, ut de ſede majeſtatis tuæ hujus oblationis ſanctificator accedas. Suſcipe de manibus famulorum tuorum ill. munus oblatum, quod a tua clementia benedictum in uſum ſanctuarii tui ill. maneat conſecratum. Sint hæc in conſpectu tuo libenter accepta, ſicut quondam Abel pueri tui munera tibi ipſa placuerunt, & quia ob honorem amoris tui Eccleſia tua offerit, reconpenſa ei pro parvis magna: ut devotionem ejus aſpiciens, peccata dimittas, fide repleas; indulgentia foveas, miſericordia protegas. Per Dominum.

Benedictio calicis, & patenæ, & b *Turris.*

Deus omnipotens, qui cum Moyſe famolo tuo in Chore montem ſervando populo tuo præcepta diſponeres, templum ſanctum tuum qualiter ædificaret, inſtituiſti. Precamur te Domine tuam majeſtatem, ut hunc calicem, patenam & turrem, in quo celebraturi ſumus ſacro-ſancta myſteria, cæleſti benedictione ſanctifices atque benedicas, ut ſanctis vaſculis tuis acceptabilem deferat famulatum. Per.

Benedictio ſuper eum qui in eccleſia primitus tondetur.

Manda Deus benedictionem & vitam famolo tuo ill. ut unguentum quod deſcendit in capite & in barbam illius Aaron, toto maneat & in corpore, ut ſit eodem famolo tuo ill. perfectio ad hanc quæ ſe juvenilem gaudet perveniſſe ætatem, & quod in tuo nomine ſuo celebrat voto, a tua clementia toto corde benedictionem exſpectet.

Benedictio ſuper puteum.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui Abraham, Iſaac & Jacob patres noſtros puteos fœ-

a Antiquiſſima eſt in Eccleſia benedictio ſuper nubentes, ſuper ſecundo nubentes rarior.

b Singularis eſt hæc *benedictio Turris*, de qua fit mentio apud Gregorium Turonenſem & Fortunatum. In teſtamento ſancti Remigii Remorum epiſcopi: *Jubeo*, inquit, *turriculam & imaginatum calicem fabricari*. De hac alias fuſius.

deris fodere, atque ex his aquam bibere propicia divinitate docuiſti, te ſupplices deprecamur: ut aquam putei hujus ad communis vitæ utilitatem cæleſti benedictione ſanctifices, ut fugato ea omni diaboli temtationis ſeu pollutionis incurſu, quicumque ex ea deinceps biberit, benedictionem Domini noſtri Jeſu-Chriſti percipiat. Per.

Benedictio ubi aliquid immundum ceciderit in vas.

Miſericordiam tuam, Domine, ſupplices deprecamur, æterne, omnipotens Deus, ut deſcendat benedictio tua in horum vaſorum pollutionem: emundet ſive vinum, ſive oleum, mel aut aquam: ut nullam inquinationem ſentiamus, qui dixit, Omne quod intrat in os non coinquinat. Nos humiles ſervi tui, exigui Sacerdotes, juſſa implentes, laudes honoris tui in corde retinentes, cruce tua expellimus ſordes omnes, fiducia divina protege omnes vincamus moleſtias in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti regnantis in ſæcula ſæculorum.

Benedictio palmæ & olivæ ſuper altario.

a Ecce dies, Domine, feſta recolitur, in qua infantum præſciæ turbæ frondes arboreos adſumentes in tuæ laudis trophæo Oſanna in excelſis, fili David, Benedictus qui venit in nomine Domini acclamantes occurrunt, pro quibus omnes gentes cognoſcerent te & victoriam levaſſe de mundo, & de diabolo obtinuiſſe triumphum: præſta, ut plebs tua ad ſanctam reſurrectionem tuam excubanda perveniat: hæc quoque creatura arboris oliarum una cum palmis, quas populus pro tuis laudibus .... benedicatur benedictione perenni: ut quicumque pia devotione pro expellendis languoribus, ſive etiam pro expugnandas omnes inſidias inimici in cunctis habitationibus ſuis eas adportaverint, aut biberint, ab omni ſint impugnatione inimici ſecuri: ut cognoſcant omnes gentes, quia nomen tuum glorioſum eſt ſuper omnia ſæcula ſæculorum.

Benedictio ad b *agnum benedicendum in Paſcha.*

Domine Deus, omnipotens Pater, qui populo tuo, quem eduxiſti de terra Ægypti in manu robuſta & brachio forti, per fideliſſimum famulum tuum Moyſen, præcipere dignatus es, ut Paſchæ ſollemnia celebraret, tuiſque præceptis obtemperans agnum immacolatum imaginari, quem in figura ovis tui Domini noſtri Jeſu Chriſti immolaret, dum ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ob hoc igitur ſupplices quæſumus, ut intercedente filio tuo Domino noſtro Jeſu-Chriſto, hunc agnum præparatum benedicere & ſanctificare digneris.

Benedictio omni creaturæ pomorum.

Benedic Domine & hos fructus novos ill. quos per temperamentum aëris & pluviæ, & temporum ſerenitatem, ad maturitatem perducere dignatus es ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti: per quem hæc omnia, Do.

a Hinc colligitur, hanc benedictionem factam fuiſſe Dominica Palmarum.

b Hujus agni benedictionis meminit Ordo Romanus.

mine, ſemper *a* bona creas.

Benedictio ad menſam.

Benedicantur nobis Domine dona tua, quæ de tua largitate ſumturi ſumus, qui vivis & regnas.

Benedictio poſt menſam levatam

Gratias tibi agimus omnipotens, æterne Deus, qui nos de tuis donis ſatiare dignatus es, per famolos ill. Redde illis Domine pro parvis magna, pro temporalibus præmia ſempiterna, qui vivis & regnas.

Orationes veſpertinæ.

OMnipotens ſempiterne Deus, veſpere & mane & meridie majeſtatem tuam ſuppliciter deprecamur: ut expulſis de cordibus noſtris peccatorum tenebris, ad veram lucem, quæ Chriſtus eſt, facias nos pervenire.

Item alia.

Deus qui inluminas noctem, & lumen poſt tenebras facis; concede nobis ut hanc noctem ſine impedimento ſatanæ tranſeamus, adque ad matutinis horis ad altare tuum revertentes, tibi Deo gratias referamus.

Item alia.

Inlumina quæſumus Domine tenebras noſtras, & totius noctis inſidias repelle propicius. Per.

Alia.

Tuus eſt dies Domine, & tua eſt nox: concede ſolem juſtitiæ tuæ permanere in cordibus noſtris ad repellendas cogitationum tenebras iniquitatum.

Item alia.

Veſpertinæ laudis officia perſolventes, clementiam tuam Domine humile prece poſcimus: ut nocturni inſidiatoris fraudes te protegente vitemus.

Item alia.

Propiciare Domine veſpertinis ſupplicationibus noſtris, & fac nos ſine ullo reatu matutinis tibi laudibus repræſentari. Per.

Oratio de matutinis.

Gratias tibi agimus, Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos tranſacto noctis ſpatio ad matutinas horas perducere dignatus es: quæſumus, ut dones nobis diem hanc ſine peccato tranſire, quatenus ad veſperum gratias referamus.

Alia.

Doni tui eſt, Domine, quod quievimus: muneris tui eſt quod ad te diluculo vigilamus. Dona deſiderabilem fontem lucis poſt tenebras noctis: ut perfuſi rore cæleſti, tota die refrigeriis medicinalibus foveamur.

Alia.

Exſurgentes de cubilibus noſtris, auxilium gratiæ tuæ matutinis precibus imploramus: ut diſcuſſis tenebris vitiorum, ambolare mereamur in luce virtutum.

Alia.

Matutina ſupplicum vota, Domine propicius intuere, & occulta cordis noſtri remedio tuæ clarifica pietatis: ut deſideria tenebroſa non teneant, quos lux cæleſtis gratiæ reparavit. Per

Alia.

Te lucem veram & lucis auctorem Domine deprecamur: ut digneris nobis tenebras repellere peccatorum, & clarificare nos luce virtutum.

a Hæc verba extrema ſunt Canonis Miſſæ, in qua olim hæc benedictio fiebat per hæc verba, teſte Udalrico in lib. 1. Conſuetud. Cluniac. cap. xxxv.

Exorciſmum olei.

EXorcizo te, ſpiritus inmundiſſime per Deum Patrem omnipotentem & Jeſum Chriſtum filium ejus Dominum noſtrum: ut omnis virtus adverſarii, omnes exercitus diaboli, omne phantaſma eradicetur & effugiat ab hac creatura olei; & ſit ei, qui ex hac creatura olei contingitur, ubicumque in membris illius tetigerit, vel perfuſus fuerit, Domino auxiliante benedictionem percipiat, & vitam æternam percipere mereatur.

Benedictio olei.

Rex gloriæ majeſtatis tuæ, Domine, Deus benedic hanc creaturam olei, & ſanctifica eam. Infunde illam a rore cæleſti ſpiritu ſanctitatis: ut cujuſcumque corpus vel membrum ex eo fuerit linitum vel perfuſum, ſalutaris gratiam, & peccatorum veniam, & ſanitatem cæleſtem conſequi mereatur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. *a*

IN DEI NOMINE.

Incipit Iudicius pænitentialis.

I SI quis clericus homicidium fecerit, & proximum ſuum occiderit, x annos *b* exſol pæniteat. Poſt hos recipiatur in patriam cui conmiſit, ſatisfaciat parentibus ejus quem occidit.

II Si quis *c* ruina maxima ceciderit, & filium genuerit, VII ann. pæniteat.

III Si quis autem fornicaverit, ſicut ſodomitæ fecerunt, x annos pæniteat, tres in pane & aqua, & numquam cum alio dormiat.

IV Si quis vero homicidium caſu fecerit, non volens, V annos pæniteat, tres in pane & aqua.

V Si quis ad homicidium faciendum conſenſerit, & non factum fuerit, tres annos pæniteat, duos in pane & aqua.

VI Si quis perjuraverit, ſeptem annos pæniteat, tres in pane & aqua, & numquam juret poſtea.

VII Si quis coactus aut neſciens perjuraverit, tres annos pæniteat, unum in pane. *d*

VIII Si quis furtum capitale fecerit, quadrupedia vel caſas fregerit, quinque annos pæniteat, tres in pane.

IX Si quis maleficio ſuo aliquid perdiderit, decem annos pæniteat, tres in pane.

X Si quis pro amore veneficium fecerit, & neminem perdiderit, tres annos pæniteat, unum in pane & aqua.

XI Si quis mulieri partum deceperit, ſex quadragenas agat in pane.

XII Si quis clericus vel ſuperior gradus, qui uxorem habuit, & poſt honorem iterum eam cognoverit, ſciat

a Poſt hanc orationem ſequitur alia benedictio olei ſecunda manu. Frequens olim uſus olei erat ad morbos ſanandos. Unde Epiſcopi numquam ſine oleo peregre proficiſcebantur, ut varia exempla probant, quæ alias retulimus.

b Ita ſcriptum eſt pro *exſul*.

c Id eſt qui grave crimen carnale commiſerit, ſi recte conjicimus.

d Supplendum videtur hic & in ſequentibus, *& aqua*.

ſciat ſe adulterium commiſiſſe. Clericus *a* quatuor, diaconus ſex, ſacerdos ſeptem, epiſcopus duodecim, ſinguli in pane & aqua juxta Ordinem ſuum.

XIII. Si quis cum ſanctæmoniale vel Deo devota fornicaverit, unuſquiſque ſuperiore ſententia juxta Ordinem ſuum pæniteat.

XIV. Si quis vero propter concupiſcentiam vel libidinem ſeipſum fornicaverit, unum annum pæniteat.

XV. Si quis ſepulcrum violaverit, quinque annos pæniteat.

XVI Si quis concupiſcit mulierem, & non vult eum ſuſcipere, unum annum pæniteat.

XVII. Si quis euchariſtiam, corpus Domini, neglexerit aut perdiderit, unum annum pæniteat. Si per ebrietatem aut voracitatem illum vomerit, tres quadrageſimas in pane & aqua. Si vero per infirmitatem, una hebdomada in pane & aqua.

XVIII Si quis clericus, aut uxor ſua, vel cujuſcumque infantem oppreſſerit, tres annos pæniteat, unum in pane.

XIX Si quis vero maleficus inmiſſor tempeſtatis, ſeptem annos pæniteat, tres in pane & aqua.

XX. Si quis autem membrum voluntate truncaverit, quinque annos pæniteat.

XXI. Si quis autem *b* uſuras undecumque exegerit, tres annos pæniteat, unum in ...

XXII. Si quis per poteſtatem aut quodlibet ingenium res alienas malo ordine invaſerit, ſuperiore ſententia pæniteat.

XXIII. Si quis ſacrilegium fecerit, quod aruſpices vocant, ſi per aves aut aguria colunt, vel ad divinationes eorum vadunt, quinque annos pæniteat, tres in pane & aqua.

XXIV. Si quis clericus proximum ſuum percuſſerit, & ſanguinem fuderit, uno pæniteat anno.

XXV. Si quis malo ordine cupidus, aut avarus, aut ſuperbus, aut tenebroſus, aut fratrem ſuum [odio] habuerit, tres annos pæniteat.

XXVI. Si quis ſortes *c* ſanctorum contra rationem invocat, vel alias ſortes habuerit, tres annos pæniteat, unum in pane & aqua.

XXVII. Si quis ad arbores vel ad fontes aut cancellos, vel ubicumque, niſi in eccleſia, votum voverit, aut ſolverit, tres annos pæniteat, unum in pane & aqua, quia hoc ſacrilegium eſt. Et qui ibidem comederit aut biberit, unum annum pæniteat.

XXVIII. Si quis clericus, *d* poſtquam ſe Deo voverit, iterum ad ſæculum reverſus fuerit, vel uxorem duxerit, duodecim annos pæniteat, ſex in pane & aqua, & numquam in conju-

a Locus obſervatione dignus de continentia clericorum, etiam eorum, qui conjugati erant. Concilium Africanum, a Zacharia pontifice relatum in epiſtola IX ad Pipinum, cap. XI. minores Clericos ad continentiam non cogit, *ſed ſecundum uniuſcujuſque eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere* ſancit. Concilium Matiſconenſe can. XI, *honoratiores* tantum *clericos*, id eſt majores, ad id adſtringit. Fortaſſe hic clericorum nomine ſubdiaconi cenſentur, de quibus videnda Gregorii M. epiſtola XLII lib. I. Confer Petri Damiani Opuſculum VII a cap. X. & num. XXVIII infra.

b Et hic locus obſervandus contra uſuras, nulla mentione facta ſolorum clericorum. Confer Pænitentiale Cummeani cap. VIII. ubi uſurariis quatuor anni pænitentiæ imponuntur. Exſtat cum operibus Columbani editionis Lovanienſis ann. MDCLXVII.

c Sortes ejuſmodi fiebant per ſacros codices, ut notum eſt.

d Hæc iiſdem ferme verbis reperies in Pænitentiali Cummeani cap. III.

gio copuletur. Quod ſi noluerint, ſancta Sedes apoſtolica ſeparavit eos à communione ſanctorum. Similiter & mulier poſtquam ſe Deo vovit, & tale ſcelus admiſerit, ſimiliter faciat.

XXIX. Si quis falſitatem commiſerit, ſeptem annos pæniteat, tres in pane.

XXX. Si quis cum quadrupedia fornicaverit, ſi clericus, duos annos, diaconus quinque, Presbyter ſeptem, Epiſcopus decem.

XXXI. Si quis Kalendas Januarias in cervolo, vel *a* vicola vadit, tres annos pæniteat.

XXXII. Si quis mulier avorſum fecerit voluntarie, tres annos pæniteat, unum in pane & aqua.

XXXIII. Si quis per invocationem dæmonum hominum mentes tulerit, quinque annos pæniteat.

XXXIV. Si quis virginem vel viduam raptus fuerit, tres annos pæniteat, unum in pane & aqua.

XXXV. Si quis dilaturas fecerit, quod deteſtabile eſt, ſuperiore ſententia ſubjaceat.

XXXVI. Si quis ſervum vel qualemcumque hominem in captivitatem duxerit, tres annos pæniteat, unum in pane.

XXXVII. Si quis domum vel aream cujuſcumque igne cremaverit, ſuperiore ſententia pæniteat.

XXXVIII. Si quis aliquid de miniſterio ſanctæ eccleſiæ fraudaverit vel neglexerit, ſeptem annos pæniteat, tres in pane.

XXXIX. Qui pruritu voluntatis fluvium patitur ſeminis, & per ſomnum pollutus peccaverit, ſurgat & oret ad Deum, cantet ſeptem pſalmos, & die illo in pane & aqua vivat; & iterum canat triginta pſalmos in cruce, & ad altare non accedat uſque mane.

XL. Si per ſomnum peccaverit quaſi cum femina, viginti quinque pſalmos cantet.

XLI. Si ex cogitatione per ſomnum pollutus fuerit, quindecim pſalmos dicat.

XLII. Si ex corpore repleto pollutus fuerit, pſalmos duodecim dicat, & die illo jejunet.

XLIII. Si quis Sacrificium per negligentiam perdiderit, uno anno pæniteat.

XLIV. Et qui neglexerit ſacrificium, & a vermibus *b* conſumatur, dimidio anno pæniteat in pane & aqua. Et ipſum in igne comburatur, & abſcondat cineres ſub altare.

XLV. Qui autem *c* miſerit per neglectum in ſacrificium, quadraginta diebus pæniteat.

XLVI. Sacerdos qui offert, & ceciderit de manibus ejus Euchariſtia in terra, & non invenerit eam, ſcopa munda ſcopet & comburat igne, & abſcondat cineres ejus ſub altare in terra, & dimidium annum pæniteat. Si autem invenerit locum, ſimiliter faciat, & pæniteat quadraginta diebus. Si autem uſque ad altare ceciderit, uno die pæniteat. Si vero declinaverit in terra, lingua ſua lingat. Si fuerit tabula, radat. Si non fuerit, mittat tabulam, ut non conculcetur ſanguis Chriſti, quadraginta

a Legendum videtur, *vitola* pro *vitula*, ut in variis locis. In ſermone tamen ſancti Pirminii a nobis edito, qualis eſt in codice Einſidlenſi, legitur *vehiculas* tomo IV Analect. pag. 586. Forte quod prohiberentur vectationes in vehiculis, quæ ab hominibus in ſpeciem pecorum compoſitis trahebantur. In præfatione de Aſſumtione Deiparæ ſupra pag. 301 legitur *veicolum* pro *vehiculum*.

b Vel hinc patet, Euchariſtiam per ea tempora, id eſt ante mille annos, in Viaticum infirmorum aſſervatam fuiſſe.

c Locus obſcurus. Crederem legendum *amiſerit ſacrificium*, niſi articulus XLIII. aliter ſuaderet.

diebus. Si autem ſuper altare ceciderit ſtilla, ſorbeat illam, & tres dies pæniteat. Si exegerit per linteum ad alium, ſex diebus pæniteat in pane; & ſi ad tertium, ſeptem diebus pæniteat; ita ut ponat calicem ſub linteamina, effundat aquam tribus vicibus, & bibat. Si quando infert calicem, & effuderit in terram, decem diebus pæniteat in pane & aqua.

XLVII. Si *a* tutoaverit ſacerdos ſuper Oratione Dominica, die uno in pane & aqua. Qui autem communicaverit *b* inconſius, ſeptem diebus pæniteat. Qui per ignorantiam communicaverit, ſex diebus pæniteat.

Oratio ſuper pænitente.

Deum omnipotentem ac miſericordem, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant, fratres cariſſimi, deprecemur: ut ad veniam rectam famulus tuus ill. miſericordiæ veniam propiciatus indulgeat, ſi qua ſunt culparum ſuarum omnium vulnera, quæ poſt ſacri lavacri undam contraxit, ita in hac publica confeſſione delicta ſanentur, ut nulla cicatricum ſigna remaneant. Per Dominum noſtrum.

Item alia.

Salvator Redemtorque noſter, qui non ſolum pænitentibus, ſed etiam omnes qui nec ante venire cupiunt, veniam propitius & miſerator indulges, ſupplices quæſumus: ut hunc famulum tuum ill. ad corporis & ſanguinis tui communionis, indulta venia, cæleſtem benedictionem perducat. Per.

---

c *Ratio inſtitutionis, Curſuum eccleſiaſticorum.*

AUdivimus dicente ſcriptura pro quali virtute cantantur omnes curſus.

Nocturni cantantur pro illa virtute, quam fecit Dominus quando oſtendit primogenita Ægypti, & quando eduxit Paulum, & Sileam de carcere clauſo foras. Et de hoc dixit Evangeliſta: Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit exite obviam ei.

. . . . cantus pro hoc cantatur quando negavit ſanctus Petrus ad paſſionem Domini, & recordavit poſtea ad . . . . . . corpore ſani . . . . .

[Matutinum] pro hoc cantatur, quia Dominus mane ſurrexit, & dixit Evangeliſta: Prima autem ſabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent: tertia die reſurrexit quæ luceſcit ad prima ſabbati. Quia & angeli, & homines, & aves, quæ juſſit ſuper terram, omnes in illa hora Deum conlaudant. & tunc animas juſtorum qui in inferno erant, in ipſa reſurrectione liberavit, quia mane ſurrexit.

Prima autem pro quid cantatur? Quia tunc fuit conſilius datus contra Filium Dei, quomodo eum perderent Judæi.

a Id eſt, ſi cantando titubaverit. Cummeanus in cap. XIII. *Si titubaverit Sacerdos ſuper Orationem Dominicam, quæ dicitur periculoſa* &c. Pænitentiale vero Columbani, *Si decantans Pſalmum titubaverit* &c.

b Quaſi diceret conſcius: cui ignorans opponitur. Cummeanus in fine cap. XIII. *Qui communicaverit ſacrificium inconſcii, ſeptem dies pæniteat. Quicumque alicui capitale crimen admittenti communicaverit, ſeptem dies pæniteat.*

c Hunc titulum, qui in codice legi non poteſt, de noſtro appoſuimus.

Tertia vero crucifigitur. Et hora tertia ſic deſcendit Spiritus-ſanctus ſuper Apoſtolos, quando dixit Dominus: Accipite Spiritum-ſanctum, quorum demiſeritis peccata, demiſſa ſunt; & quorum retinueritis, retenta ſunt.

Sexta vero hora ſic aſcendit Dominus in crucem, ſic tenebræ factæ ſuntuſque ad horam nonam. Et tunc vocavit Dominus Saulum quando perſecutor erat Chriſtianorum, & dixit: Saule, Saule quid me perſequeris? Et tunc venit vox ad Cornelium quando dixit, Corneli exaudita eſt deprecatio tua, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt coram me.

Nona vero hora ſic emiſit ſpiritum, & ſic oſtenſum eſt vas ſancto Petro, ubi habebat omnia munda & immunda, ſic dixit Angelus: Surge Petre, comede.

Undecima vero ſic cænavit cum Apoſtolis: quando jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

Duodecima vero ſic aſcendit Dominus in montem Oliveti orare, & quia gutta ſanguinis in ſudore cecidit, propter illud quod ad Adam dictum fuerat: In ſudore vultus tui veſceris panem. EXPLICIT.

Symbolum Apoſtolorum cum magna cautela collectum, & credentibus adſignatum.

PEtrus dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Johannes dixit: Credo in Jeſum-Chriſtum filium ejus unicum, Deum & Dominum noſtrum. Jacobus dixit: Natum de Maria virgine per Spiritum-ſanctum: Andreas dixit: Paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum & ſepultum. Philippus dixit: Deſcendit ad inferna. Thomas dixit: Tertia die reſurrexit. Bartholomæus dixit: Aſcendit in cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Matthæus dixit: Inde venturus judicare vivos & mortuos. Jacobus Alphæi dixit: Credo in Spiritum-ſanctum. Simon Zelotes dixit: Credo in Eccleſiam ſanctam. *a* Judas Jacobi dixit: *b* Per Baptiſmum ſanctum remiſſionem peccatorum. Matthias dixit: Carnis reſurrectionem in vitam æternam. Amen.

Hoc eſt quod ad duodecinarium numerum Apoſtolorum cum magna cautela collectum eſt, & credentibus adſignatum †. Quia fides ſanctarum Deo ad hominibus * nominibus nomen eſt: fides divini muneris portio eſt: fides Deo hominem ſociat: fides præſentia & futura conjungit: fides etiam quæ inviſibilia ſunt, facit videre: fides poſt ſepulcrum generis cælum atque regna cælorum promittit. Ideoque qui in tali confeſſione permanſerit, a ſuperveniente ira timere non poteſt. †

INCIPIT CAPITULUS DE VETERE [TESTAMENTO] CANONIZATUS.

LIber Geneſis, Exodum, Leviticum, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum.

Libri mulierum Ruth, Sterh, & Judith.

Maccabeorum libri duo, Job & Thobias, libri ſinguli. Regum quat-

a Omittitur *Sanctorum communionem*, uti & apud Auguſtinum, Maximum Taurinenſem, Petrum Chryſologum, & alios nonnullos. Habetur tamen ſupra in traditione Symboli. pag. 312.

b Apud Cyprianum, *remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam*, in epiſtolis ad Magnum & ad Liberalem.

tuor, Prophetarum libri ſexdecim. Daviticum *a* quinque. Salomon tres. *b* Proverbiorum, Eccleſiaſtes, & Cantica canticorum, Eſdra unus. Fiunt libri veteris numero quadraginta quatuor.

De novo, Apoſtolorum libri, [Pauli] quatuordecim Epiſtolæ; Petri duæ, Johannis tres. Jacobi & Judæ ſingulæ, Apocalypſis uno, Actus Apoſtolorum uno. Evangelia libri quatuor. *c* Sacramentorum uno. De novo ſunt libri viginti octo.

Fiunt in ſumma libri ſeptuaginta duo.

EXPLICIT CODEX BOBIENSIS.

a Olim apud veteres Pſalterium dividebatur in quinque partes ſeu libros, quorum ſinguli deſinebant in Pſalmis, quorum finis eſt, *Fiat fiat*.

b Hi tres libri alia manu, ſed antiquiſſima adjecti, nempe Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, erant in veteri canone Hebræorum.

c Obſerva hic in numero librorum ſacrorum recenſeri librum Sacramentorum: quo nomine veteres eum librum deſignabant, qui Collectiones & Præfationes ad Miſſas continebat.

MUSEI ERRATA SIC CORRIGENDA.

PAg. 10 *lin* 37 *lege* ſuæ. 19 *lin.* 23 *l.* lumen. 26 *lin.* 35 *&* 36 *ſic corrige interpunctiones.* Magos illos. Uſque ad Chriſti cognitionem fas fuerit nos erraſſe. Poſt ſuſceptum Chriſtum cavendum eſt &c. 33. *lin.* 25 *l.* per eum eidem. 35 *lin.* 18 l. collocentur. 39 *lin.* 21 humanitate, *l.* humilitate. 48 *lin.* 20 fidejuſſores aut *dele* aut. 55 *lin.* 20 *l.* ſecundum. 58 *lin.* 38. *diſtingue ſic*, vendidit ea. 86 *lin.* 28. inter ſe, . interfuiſſe. 114 *lin.* 37. l. Tertonæ. 131. *lin.* 21. *l.* omni. 141 *lin.* 3. *l.* tranſmeare .... transfretare. 153 *lin.* 7 *l.* ingratam. 155 *lin.* 30 vel . ut. 158 lin. 27 Boamundo *l.* Balduino. 161 *lin.* 34 *ſic pone comma*, habebant *;* exeuntes *&c.* 178 *lin.* 3. *l.* eo tenore. 179 *lin.* 1 *l.* ſibi & noſtris. 183. *lin.* 13. *l.* Francica. 184 *lin.* 31 *l.* ſuæ tantæ virtuti. 196 lin. 36 *l.* confeſtim & ſponte. 197 *lin.* 37. exivit, *l.* exſtitit. 204 *lin.* 19 *l.* ceperunt. 205 *lin* 18 *l.* Babyloniæ. 212 *lin.* 30 pactoque *l.* pacto 215 *lin.* 31 *l.* ſibi ... ibi. 252 *l.* cxxxvii. 274 *lin.* 22 poſt illam *l.* ante illam. 293 *col.* 1 *in ul. l.* item. 294 *col.* 1 *lin ult. l.* apoſtolorum chorum. 296 *col.* 2 *lin.* 21 *l.* indulge 299 *col.* 2 *lin.* 28 *l.* Mariam. 300 *col.* 1 *lin.* 17 *l.* timete *Ibid in Nota b l.* in Miſſali Gothico. 347 *col.* 2 *lin* 3 *pone* b *Ibid. lin.* 5. *l.* ſpiritus. 350 *col* 1 *lin* 24 *l.* noli quærere ſolutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. 359 *col* 2 *lin.* 31. *l.* vocatis. 363 *lin. ult. notæ*, vivis & mortuis. 365. *Nota* b, *l.* Miſſa. 369 *col.* 1 *lin.* 24. donum.

INDEX
TOMI I. MUSEI ITALICI.

A

Abba-Cyrus, 85
Abbatiſſæ benedictio, 387
Acceta, 140
Accuſato ſpatium conceſſum, 122
Acolythorum ab exorciſtis differentia & munus deferendi ſacramenta, 74
Acra urbs, 205
Adalhardi abbatis Corbeienſis placitum, 54
Adela uxor Stephani Comitis Carnotenſis, 237
Adelardus Veronenſis epiſcopus, 88
Adelhais mater archiepiſcopi Manaſſæ, 118
Adriani I. Papæ vita, 38 *& ſeqq.*
Adventus Miſſæ, 238 *& ſeqq.*
Africanæ Miſſæ ritus, 274, 275, 278
Africanorum mos Chriſma conficiendi, 73
Agni Paſchalis benedictio, 390
Agulani populi, 154, 177, 180
Aios in Miſſa, 281, 282
Albara urbs, 198, 199
Alberedus de Cagnano, 144, 162
Aleph civitas, 183 *& ſeqq.*
Alexander Saxoferratenſis Cardinalis, 252
Alexius Imperator CP. 131 *& ſeqq.* 135, 143 *& ſeqq.* 213, 235, 237, 238
Allo Sculdais, 52
Altaria ſeptem Romæ ſabbato Paſchæ conſecrari ſolita, 74
Amaneus de Lubens miles, 205
Amazonia flumina, 182, 183
Ambroſianum myſterium, 106, 107
Ambroſianum officium, 95 *& ſeqq.* Ordo 96, 97 Ritus 99 *& ſeqq.*
Ambroſii dies obitus & annus, 115, 116
Ambroſio tributi libri de ſacramentis locus notatus, 7, 8
Ambroſius presbyter, 96
Ambroſius Camaldulenſis, 246
Amelricus Taurinenſis epiſcopus, 242
Ammirarius Babyloniæ, 151 *& ſeqq.*
Amolo Taurinenſis epiſcopus, 86 *& ſeqq.*
Amphilochius auctor vitæ S. Baſilii, 83
Anabatmi Pſalmi, graduales, 104
Anaſtaſia famula Dei, 85
Anaſtaſii Bibliothecarii verſiones, 77. prologi, 80 *& ſeqq.*
Andreas Mediolanenſis archiepiſcopus, 240
Andronopolis vallis, 144
Aniſma Rex Romaniæ, 232
Anſcharius marchio, 65
Anſellus heros Chriſtianus, 210, 211
Anſelmus Mediolanenſis clericus, 96
Anſelmus de Ribodimonte miles, 205
Antiochia civitas, 159 *& ſeqq.*
Antonius Brixienſis eſc. 8
Apologia peccatorum, 37

Apoſtolorum epiſtolæ ad XII Tribus & ad Gentes, 283, 358 *& ſeqq.*
Apparum, 57, 58
Arche caſtrum, 203, 204
Arenæ caſtrum Antiochiæ, 168
Arnulfus Vicepræſul, 210, 211, 213, 226, fit epiſc. Jeroſol. 227
Aſcalon urbs, 229, 230
Aſſumtio B. Mariæ in Januario, 273, 297
Aſtum quid, 61
Athenaſi populi, 147
Athenia urbs, 158
Auguſtini ſcripturæ locus varius, 294
Auguſtinus epiſc. Ferentinas, 243
Auguſtinus Patricius epiſc. Pientinus, 251 *& ſeqq.*
Aventinum monaſterium, 58
Auguſtodunenſe Concilium, 117, 120
Aurium apertio prævia traditioni ſymboli 310 *& ſeqq.*
Auſpicia initio anni, 19, 26
Auſtaldus an Gaſtaldus, 45
Azymitæ populi, 177, 180
Azo abbas de Aventino, 58

B

Babilla, Babylon & Landoglado civitates quid ſignificent, 377, 378
Babylonius Rex, 206 *& ſeqq.*
Balduinus frater Gotifredi Ducis, 140, 143 *& ſeqq.* Comes Edeſſæ, 231, Rex Jeroſolymitanus 132
Balduinus Montenſis, 140
Balduinus Comes de Ganz Flandrenſis, 239
Baptiſmi ordo, 323 *& ſeqq.*
Baptiſmi ritus, 69 *& ſeqq.*
Baptiſterii baſilica, 104
Barbacanus, aries ligneæ turri adſtans, 220
Bardarus fluvius, 145
Barnabas apoſtolus an primus Mediolanenſium epiſcopus, 19
Barruhec urbs, 205
Bartholomæus Mamyſtæ epiſcopus, 232
Bartholomæus Paganuccius, 251
Baſilii vita per Anaſtaſium, 81, 82
Beatrix abbatiſſa Plumbariolæ, 36
Beatrix de Hainaco, 118
Bego della Rivera miles, 203
Benedictiones, 387 *& ſeqq.*
S. Benedicti abbatis Miſſa & præfatio propria, 108 commemoratio in canone 276, 280 eccleſia in thermis Alexandrinis, 59
Benedictus Campaninus auctor monaſterii S. Coſmæ & Damiani in Mica-aurea, 58
Benedictus abbas B. Mariæ Farfenſis, 54
Benedictus Edeſſæ epiſc. 231
Benedictus Protoſcriniarius, 87
Benedictus presbyter tituli Damaſi, 88
Bernardus Artaſii epiſcopus, 232
Bernardus abbas Caſinenſis, 36
Beraldus abbas Farfenſis, 62, 63
Bernardus de S. Valerico miles ſtrenuiſſimus, 212
Bernardus de Pardilo, 173
Bernardus Valvenſis, 130
Bertrannus de Scabrica legatus, 151
Bertulfus, Elderatus & Munubertus ſcriptores Bobienſes, 276
Beſſarion Cardinalis archiep. Nicænus, 243, 245, 246, 259
Bethlon caſtrum, 205
Bizan ſeu Bethſamis, 231
Boamundus Princeps, 135 *& ſeqq.*
Boamundus Junior Antiochiæ Princeps, 213, 235
Bobienſe monaſterium, 275 Bibliotheca & Liturgiæ codex antiquiſſimus, *ibid. & ſeqq.*
Boellus ſive Hoellus Canotenonenſis, 144
Bolæ argenteæ, 233, 234
Bonifacius Conſiliarius, 84

Bononienſis Cardinalis, 267
Bonoſus Narnienſis epiſc. 88
Brotenbroth vallis, 157
Brachium S. Georgii, maris ſinus prope CP. 140, 141, 142, 143
Bray flumen in Aſia, 205
Bruno Signienſis epiſcopus, 234
Brunonis ſeceſſus cauſa, 117, 121
Bucinat caſtrum, 147

C

CAdulus Comes, 59
Calipſas Turcorum Apoſtolicus, 180, 183
Camela urbs, 203
Cameracenſibus Clericis ſcripta epiſtola, 128
Camerinus Gaſtaldus, 52
Campo abbas Farfenſis, 57
Capharda urbs, 202
Capitularia Regum a Pontifice & Synodo commendata, 88
Capitularia tria, 44 *& ſeqq.*
Caroli M. via verſus CP. 140
Caſſianum palatium Antiochiæ, 189
Caſſianus ammirarius Antiochiæ, 170 180 *& ſeqq.*
Caſtoria urbs, 145
Cautio Epiſcoporum, 106, 116
Cayphas caſtrum, 205, urbs, 232
Cerei Paſchalis benedictio, 321
Cervolus & vitola, 394
Chorea caſtellum prope Antiochiam, 162
Chorpalaſius, 146
Chriſmatis confectio Presbyteris Africanis qui indulta, 73
Chriſma in feminino, 324
Chriſti caro ſanctificata paſtus, ſanguis potus, 303. Chriſti imago, 176. Chriſti ſanctitas qui proficit, 25
Chriſtiani Martyres, 174, 175
Circada vel cercata nomen ſæculo IX ineunte in uſu, 49
Civitatis munimen pietas Chriſtianorum, 14, 15
Civitot caſtrum, 238
Clamator, 47
Claromontanum Concilium, 132
Clerici ne negotientur, 29, 30
Clericorum continentia, 392, 393
Clericorum filii, 128 *& ſeqq.* Clericorum tranſlationes, 241, 242
Climactera ſæculi, 378
Cluniacenſi abbati commiſſum Archiepiſcopi judicium, 119, 126
Comani populi, 147
Communio, ſancta ſanctorum, 306
Communio ſub unica ſpecie ob Huſſitarum errores, 265
Communio ſanctorum omiſſa in Symbolo, 397
Concilium Romanum de Formoſo, 85 *& ſeqq.*
Conciones quotidianæ, 105
Conſtantinopolis, 140 *& ſeqq.*
Conſtantini & Irene Auguſt. divalis ſacra, 40
Contra-mandandi litteræ, 119, 120
Corbanas princeps militiæ Soldani Perſiæ, 170 *& ſeqq.* 180 *& ſeqq.* Mulier ejus, 183, 184
Coroſanum, urbs Turcorum, 142 *& ſeqq.*
S. Coſmæ & Damiani, in Mica-aurea monaſterium, 57 *& ſeqq.*
Crucis ſignum in ſcapulis, *&c.* 133, *& ſeqq.* 139
Crucis judicium, 48, 49
Cunradus Rex, 97, 99
Curſuum eccleſiaſticorum ratio, 395
Curtæ populi, 180 ſeu Curti, 203
Cynedridæ Reginæ conceſſum privilegium, 37
Cyri & Johannis paſſio, 83 reliquiæ, 84

D

DAria uxor Nicandri martyris, 247 *& ſeqq.*
Datius archiepiſcopus Mediolanenſis,

ſis, 107
Daybertus Piſanorum epiſcopus, 231 fit Patriarcha Jeroſolymitanus, *ibid.* 132, 133
Dedicationis ritus diverſi, 354
Defunctorum ſpiritus orationibus adjuti, 385, 386
Denſetum pro denſatum, 22
Derationare, 122
Dertonenſe ſanctorum Petri & Martiani monaſterium, 89, 90
Deſiderius Langobardorum rex, 39, 50
Deventare, 175
Devetare, recuſare, 202
Deus lo vult, belli ſignum 144, 179
Die ſtante menſe Decembri 163 *intrante*, 180
S. Dionyſii Mediolan. monaſterium, 95
Diurni Romanorum Pontificum ſupplementum, 32 *& ſeqq.*
Domini corpus poſt mortem, 31
Domnolina Abbatiſſa S. Georgii Reate, 51
Donati epiſcopi vita per Anaſtaſium, 83
Dyrachium urbs, 135, 143, 147, 235

E

EBelona urbs, 144
Eccleſia qui Lunæ comparata, 20 cur gallinæ, 15
Eccleſiæ conſecratio, 32, 33
Eleemoſynæ & jejunii defenſio, 14, 16 eleemoſynæ proventus, 29
Eliſei virtutes & orationis vires, 10 *& ſeqq.*
Elymæ cæcatio Simoni mago tributa, 20, 21
Emma ſoror Boamundi Principis, 136
Ephiphania pro Epiphania, 296
Epiſcopi petitio & examen, 32
Epiſcopi Regii 120
Epiſcopi in cuſtodiam ne trudantur 88
Epiſcopi captivi, 207, 209
Evangelii lectio ex variis locis conflata, 296. Evangelica lectio à Cæſare cantata, 263
Euchariſtia, immolatus panis & ſanguis, 315. Euchariſtiæ oblatio in uſum ſanctuarii, 389. Euchariſtia ſervata pro Viatico, 105, 394. Euchariſtiæ neglectæ aut amiſſæ pœna, 393, 394. Euchariſticæ turris, patenæ, & calicis benedictio, 389
Eugenia virgo Romana, 276, 281, 289
Eugenius tranſmontanus epiſcopus, 106, 107
Euria civitas Syriæ, 85
Euſtachius Comes Boloniæ, 133
S. Euſtaſii in Platana eccleſia, 39
Exadelfus, ſororis filius, 136
Exorcidio pro exorcizo, 323, 324
Exorciſmum, 386

F

FAbii Bencii Politianenſis vita, 251, *& ſeqq.*
Farfar flumen Antiochiæ, 160, 202
Farfenſe monaſterium, 57 *& ſeqq.*
Farfenſes Abbates, 63 *& ſeqq.*
Farneſii nobiles, 252
Febre quartana laborantes opes. Sigiſmundi Regis ſanati, 344
Fidei Chriſtianæ miracula, 207, 208, 209
Flandriæ dotes, 134
Flebilis, id eſt debilis, 220
Flebotomare equos, 141
Florentini Concilii fragmentum, 243
Forcapium, 46
Formoſi cauſa Romanum Concilium, 86
Formatæ epiſtolæ, 240 *& ſeqq.*
Franciæ regnum qui intellectum, 124, 125

Franciæ Synodus, 88
Franci naturaliter milites, 155
Franciſcus Cardinalis Senenſis, 257
Fratellus abbas, 54
Friderici III. Imp. Romam adventus, 256 & *ſeqq.*
Fulcoïus ſubdiaconus Meldenſis poëta, 118

G

GAdematius Judex, 52
Galferius *Daſturs* vel de Laſtures miles, 173, 196, 200
Gallicanus Ordo ſeu Gallicanum ſacramentarium, 273 & *ſeqq.*
Gamati, percuſſiones, 47
Gamenulfus Mutinenſis epiſc. 88
Gaſto de Bearno, 173
Gauderici epiſc. Veliterni epiſtola, 78
Gebehardus presbyter tum epiſc. Ratiſponenſis una cum Paulo, 95 & *ſeqq. ad* 100
Georgius martyr, 138, 155
S. Georgii milites & militia, 267, 270
S. Georgii Brachium maris, 238
S. Georgii Reatinenſe monaſt. 50
Georgitius Pogiebratius, 253
Gervaſius archiepiſc. Remenſis, 118
Gezo abbas ſanctorum Petri & Martiani Dertonenſis, 89. Opus ejus de Corpore & ſanguine Domini, *ibid.* & *ſeqq.*
Gibellum urbs, 204
Girardus Malafayda, 173
Giſarma, 140
Giſeprandus Epiſc. Dertonenſis, 89 90.
Goffridus Comes de Roſſilione vel Ruſcignolo, 144, 145
Goffridus de Monteſcabioſo, 144, 155
Gottifredus Dux Lothariæ, 133 & *ſeqq.*
Gradigis Epiſcopus, 54
Græci ignes, 200
Græcorum confeſſio de verbis conſecrationis & tranſſubſtantiatione in Concilio Florentino expoſita, 243
Guillelmus de Montepiſlerio, 173, 200
Gregorius Cardinalis, 243
Gregorius Terracinenſis epiſcopus, 130
Gregorius Grammaticus & monachus Farfenſis, 62, 63
Grimaldus archidiac. S. Paterniani, 242
Gualterius ſine habere dux Cruce ſignatorum, 142
Guido frater Boamundi, 190, 191
Guillelmus Buti miles, 205
Guillelmus Cardinalis Rotomagenſis, 257
Guillelmus Carpentarius, 164, 165
Guillelmus Eremita, vir ſanctus, 207, 208, 209, 210, 237
Guillelmus Ermingarius, 201
Guillelmus Expugnator Rex Angliæ, 133.
Guillelmus de Grandemuſneda, 186
Guillelmus Marchuſi filius, 143, 155
Guillelmus Picchardus miles, 205
Guillelmus de Supera, 173
Guinichis Dux, 55
Gybel urbs, 211
Gyrifalcus, accipiter, 140

H

HÆretici quomodo vulpes, 15, 28 Eorum ſimonia, *ibid.*
Haribannum, 47
Hebrardus Puſiatenſis miles, 225
Heccideus Dux, 55
Hemirandus venator, 200
Heraclea civitas. 157, 211
Hermannus de Cannis, 162
Hermelinda uxor Luponis Ducis Spoletani, 50
Hilarius ex Turco Chriſtianus, 167
Hiſemundus epiſcopus, 54
Honoratus Gaietanus Sermonetæ

princeps, 253
Haberrus Dativus judex, 60
Hugo Dienſis epiſcopus & apoſtolicæ ſedis Legatus, 118 & *ſeqq.*
Hugo Forſonea miles, 189
Hugo Magnus Comesfrater Philippi Francorum Regis, 133 & *ſeqq.*
Hugo abbas, 59
Huſſitarum ac Boëmorum errores communionem ſub unica ſpecie firmarunt, 265

I

JAcobi & Johannis apoſtolorum feſtum poſt natale Domini, 293
Jacobus epiſcopus Peruſinus, 251
Januarii Kalendæ, 394
Iconia civitas, 157
Jejunii Miſſa, 304 Quadrageſimalis obligatio, 305
Jeruſalem civitatis obſidio, 216 & *ſeqq.* ei Rex impoſitus, 228 & *ſeqq.*
JESU nomini DOMINI vocabulum ſemper præmiſſum Ambroſii ævo, 105
Ignis paſchalis miraculum, 209, 210
Ildegerius Laudenſis epiſc. 87
Immo Gaſtaldus, 51, 52
Ingelbertus Flander miles, 222
Inchoralis, ejuſdem provinciæ, 51
Invaſſaticum, 49
Inundatio Romæ, 64
Joffridus de Monteſcabioſo, 189
S. Johannis miſſa, ideſt ſollemnitas, 340 & *ſeqq.*
Johannis Eleemoſynarii vita, 81
Johannis Papæ ſynodus, 86
Johannes epiſc. Aretinus, 86 & *ſeqq.*
Johannes Gallizanus epiſcopus, 88
Johannes Mutinenſis epiſc. 88
Johannes Tuſcanenſis epiſc. 88
Johannes Velitranus epiſc. 88
Johannis S.R.E. Diaconi epiſtola, 69 & *ſeqq.* alia opera, 77, 78, cognomen, *ibid.* V. Præfat.
Johannes Aragoniæ rex, 268
Johannes abbas Farfenſis, 58
Johannes Grammaticus & monachus Farfenſis, 62, 63
Johannes advocatus monaſterii Farfenſis, 55
Johannes Munellus Cremanus, 256
Joſeph Patriarcha, 246
Joſephus Vicecomes, 100
Joſephus M. Carus Thomaſius, 278
Iſoria in Syria, 85
Judicis recuſandi rationes, 120
Juramenti divini figura numero xcix. expreſſa, 240
S Juſti de Tuſcana monaſterium, 57

K

KAlendis Januarii cur natus Dominus, 17
Kalendarum ſuperſtitiones, 18
Kephalia urbs, 202

L

LAc & mel in calicem miſſa ſabbato Paſchæ, 75
Lætus epiſcopus Verulanus, 243
Lambertus cæcus, 58
Landulfus ſenior Mediolanenſis, 106, 107
Langobarda ſub lege monaſterium, 59, 60, 61
Lariſſa urbs, 136
Launegild, pretium venditionis, 50, 56
Laurentii Mediolanenſis epiſcopi tempus, 116, 117
Leo Archidiaconus S. R. E. 60, 61
Leo judex Regis, 54
Leo Vaſſus domini Regis, 56
S. Leonardi monaſterium, 234
Leonardo confeſſori votum à Boamundo captivo nuncupatum redditumque, 233, 234
Letholdus Flander miles, 222
Leuco conſiliarius præſidis Maximi, 248
Lichea urbs, 204

Litaniarum legenda & Miſſa, 334 *& ſeqq.*
Litterarum formatarum ratio, 240 *& ſeqq.*
Locus lucidus & refrigerii defunctorum, 386
Lombardi à Longobardis diſtincti, 140, 141
Lugdunenſe Concilium, 119, 120
Lugduni quæ auctoritas Regi Franciæ, 124
Lunæ defectus & varii effectus, 19, 20
Luponis Ducis Spoletani Placita duo, 50 *& ſeqq.*

M

Machomaria, 171, 173 *V.* Mahumeria.
Magorum munera, 26
Mahumeria, Moskea, 132
Mahumeris ſimulacrum argenteum, 223, 224
Mala-corona, 178
Mallum, conventus, 47
Mamiſtra urbs, 158
Manaſſis archiepiſcopi Remenſis apologia, 117 *& ſeqq.* 130, 236
Manaſſes Calvus Comes, de Roceio, 118
Manaſſes clericus Remenſis, 117, 121
Manganella, 172
Mannire, 47, 49
Mantuanum Placitum, 47
Maraſim urbs, 159
Marciani & Nicandri martyrum acta, 247 *& ſeqq.*
Marchanenſis epiſcopus, 213
Marchuſus Princeps, 136
Marcus Epheſinus in Concilio Florentino, 245
Marecla urbs, 204
S. Mariæ Virginis aſſumtionis feſtum menſe Januario, 297, 298 *& ſeqq.* corporalis ejus aſſumtio, 300, 301
Mariæ Deiparæ virginitas, 23, 24
S. Mariæ Trans-Tiberim monaſterii abbas Anaſtaſius, 82
S. Mariæ & S. Michaëlis monaſterium, 52
S Mariæ in Minione Cella, 57
Marinus Urſinus Legatus apoſtolicus, 251
Marotta abbatiſſa Plumbarolæ, 36
Marra urbs, 196, 199
Martinus S Ambroſii Theſaurarius, 95, *& ſeqq.* Ejus epiſtola, 98
Martyrum conſtantia, 248 *& ſeqq.*
Martyribus & confeſſoribus cur dicata altaria, 354
Martyres qui cæſi in bello contra ethnicos, 344
Maximi epiſc. Taurinenſis homiliæ, 3 *& ſeqq.*
Maximus præſes, 247 *& ſeqq.*
Maximus Gaſtaldus, 54, 56
Mediolanenſium epiſcoporum catalogus, 95, 109 *& ſeqq.* Ejuſdem eccleſiæ turbatio, 98
Meletania urbs, 231
Mercurius martyr, 138, 155
Michaleti, monetæ genus, 233
Milo decanus Pariſienſis, 118
Miſcetor, pro miſtor 289
Miſſæ ordo Ambroſianus, 104
Miſſa Romenſis quotidiana, 274, 279. Miſſæ quotidianæ, 278. Miſſa cottidiana dominicalis, 283 in depoſitione ſacerdotis, 384. Miſſa unica in Natali Domini, 107. Miſſa Jejunii, 304, 305, 306, 307. Miſſa in inventione S. Crucis, 333. Miſſa in honore S. Michaëlis, 355, 356. Miſſa in depoſitione S. Martini, 348 *& ſeqq.* Miſſa privatis in ædibus celebrata, 364. Miſſa pro Regibus, 378
Monacharum conſecratio, 387
Monaſteria à Saracenis vaſtata, 57
Monaſterium a diœceſano Epiſcopo exemtum, 33
Mortui orationibus juvandi, 385

N

NAves Liburnæ & ſandaliæ, 234
Natali dominico miſſa unica, 290
Nicæa civitas, 139, 141, 150, *& ſeqq.* 237, 238
Nicandri & Martiani martyrum acta, 247 *& ſeqq.*
Nicolaus Euboicus an idem cum Euripontino, 246
Nicolaus Sagudineus Euripontinus, 244, interpres Concilii Florentini, 245, 246
Nicomia an Nicomedia civitas, 141, 150
Ninguere, 138
Nomina vivorum & mortuorum ſuper ſanctum altare ſcripta, 363
Nonantulanum monaſterium, 41
Nonantulæ ſepultus Hadrianus I. Papa, 41
Noviomenſium Clericorum epiſtola, 128 *& ſeqq.*
Nuptiarum benedictio, 388 & quidem ſecundarum, 389

O

ODonis verſus de ſacramento altaris, 92
Officia divina cur inſtituta, 395
Officium Ambroſianum, 95 *& ſeqq.*
Ogdo Anagninus epiſcopus, 243
Olei fons, 82
Olei exorciſmus & benedictio, 392
Orarium, 86
Orariis velati martyrum oculi, 250
Orationes ad faciendum Chriſtianum, 322
Orationes pro mortuis, 385
Ordo Gallicanus, 273 *& ſeqq.*
Orluinus, 192
Oſtis, exercitus, 50

P

PAcatus contra Porphyrium, 77
Palagonia regio, 145
Palmæ & olivæ benedictio, 390
Pantaleon martyr Nicomediæ, 238
Papagalli aula pontificia, 266
Papianus frater Paſicratis martyris, 249
Paraclitus non *paracletus* habent veteres codices, 357
Paraſceves die ſingulis horis Paſſio lecta, 317 *& ſeqq.*
Pares, 199
Paſchæ Miſſa, 328 *& ſeqq.*
Paſchalis epiſcopus, 86 *& ſeqq.*
Paſchaſii Ratberti liber ad Placidum, 91
Paſicrates martyr, 249
Patenæ benedictio, 389
Paulus Papa II. 256 *& ſeqq.*
Pauli & Gebehardi Ratiſponenſium presbyterorum epiſtolæ, 95, *& ſeqq.*
Pavonatius color, 260
Pecuniæ impiorum contagium colentibus Deum, 247
Pedum lotio in baptiſmo, 325
Pentecoſtes *Quinquageſimum* dicta, 337, 338
Perſonare, æſtimare, 206
Petri & Papæ privilegium, 127
S. Petri cathedræ feſtum menſe Januario, 297. S. Petrus caput Eccleſiæ, *ibid.*
Petri & Pauli natale, 343. Petrus in fundamentum Eccleſiæ locatus, *ibid.* Quomodo S. Paulus *par* ipſi dicitur, *ibid.*
Petrus Albanenſis epiſcopus, 86 *& ſeqq.*
Petri Alexandrini vita, 80
Petrus Gavinenſis epiſcopus, 80
Petrus S. R. E. presbyter, 40
Petrus Presbyter tituli Eudoxiæ, 88
Petrus abbas S. Sabæ, 40
Petrus Bartholomæus, 187

Petrus de Caſtellone, 173
Petrus Eremita, Cruciferorum dux, 131, 132, 140, 142, 164, 165, 192
Petrus de Picca Legatus, 151
Petrus Raimundi de Pullo, 166, 173
Petrus de Stillone miles, 203
Petrus miles, 159
Philippi regis filia Boamundo nupta, 235
Platynæ epitaphium, *Vide Præfat.*
Plenitudo an planities, 145
Plumbariolenſe territorii Aquinenſis monaſterium & privilegium, 33 *& ſeqq.*
Podienſis Epiſcopus, 135 *& ſeqq.*
Pœnitentiale Gallicanum vetus, 392 *& ſeqq.*
Pomorum benedictio, 390
Poncius clericus Remenſis, 117, 121
Poncius de Balau miles, 265
Poncius milus & Rainaldus ejus frater, 147
Pontificum ſepultura, 41 decretum confirmationis, 42
Presbyterum alterius nemo recipiat, 46
Presbyteris Africanis indulta Chriſmatis confectio, 73
Privilegia apoſtolicæ poteſtatis, 33
Privilegia Luxovienſium, Agaunenſium & Lirinenſium, 60
Provincialium gens non prodiga, 134
Pſalmorum libri quinque, 397
Publicani populi, 177, 180, 203
Purpurati, monetæ genus, 164
Putei benedictio, 389
Pyrrhus Ammirarius, 177, 178

Q & R

Quadrageſimæ initium ſeu caput, Dominica, 301
Radaldus Aquilegienſis patriarcha, 240
Raimbaldus miles de Carnoto, 217
Ramora urbs, 205
Ramuſculi manibus geſtati a redeuntibus ex augurio, 9
Ratfredus abbas Farfenſis, 57
Rattruda Ratchiſi Ducis filia, 36
Raymundus Comes S. Ægidii, 133 *& ſeqq.*
Raimundus Vicecomes de Taurina ſeu Torina, 196, 103, 173
Raimundus Piletus miles, 196, 203
Raynaldus Lombardorum & Longobardorum dominus, 141
Raynaldus frater Richardi de Principatu, 144
Raynaldus Porchitus, 171, 174
Raynerius Marchio, 59
Regembertus Vercellenſis epiſc. 240
Regum erga Romanum pontificem cultus & reverentia, 267, 268
Reliquiæ terra quî levandæ, 35
Renatus vir ſpectabilis, 69
Riccardus filius Comitis Raynulfi, 144
Riccardus de Principatu, 144 *& ſeqq.*
Ritus Ambroſianus, 99 *& ſeqq.*
Robertus de Anſa, 154
Robertus Comes Flandrenſis, 133 *& ſeqq.*
Robertus Guiſcardus Dux Apuliæ, 135, 136, 213, 227
Robertus Comes Normanniæ, 133 *& ſeqq.*
Robertus Girardi filius, ſignifer, 144 154 *& ſeqq.* 169
Robertus filius Troſteri, 144
Robertus de Sordavalle, 144
Rodeſto urbs, 148
Roga Imperatoris, 145
Rogerius epiſc. Bellovacenſis, 237
Rogerius Tarſi epiſcopus, 232
Rogerius Dux Apuliæ, 135
Rogerius Sicilienſis Comes, 136, 144
Rogerius filius Riccardi, Antiochiæ præfectus, 236
Rogerius de Barnavilla, 151, 181
Romæ ſeptem altaria ſabbato Paſ-

chæ conſecrari ſolita, 74
Romanus canon Miſſæ, 229. Romana Synodus, ubi actum de ritu Ambroſiano, 106. Romanum Concilium in cauſa Formoſi, 86. Romanorum ordinum pompa, 269. Romanis Pontificibus utilis ac neceſſaria moderatio in Gallicanos præſules, 127. Romanorum Senatorum & Cancellariorum habitus, 258
Ruſſa urbs, 146, 148, 201.

S

Sabbati ſancti preces, 319, orationes, 320, 326
Sabbati jejunium, 75
Sacra quotidiana ab Ambroſio celebrata, 105
Sacramentarium Gallicanum, 273 *& ſeqq.*
Sacramentarium, liber miſſalium orationum, 97
Sacramentorum liber in canone ſacro, 397
Sagata urbs, 205
Salibæ, 140
Salis exorciſmus, 386, benedictio, *ibid.* 387
Sanctorum conſortium, 11
Sanctorum ſuffragia in Miſſa, 348
Sanctum argenteum prope CP. 147
Saracenorum impetus, 57
Scerogorgo caſtrum, 141
Schedare, 57
Schiphati, 206
Scripturæ ſacræ vetus canon, 396
Sculdais, 49
Sebaſtia ſeu Neapolis & Sichar, 218
Senarius vir illuſt. 69
Senſadolus filius Ammirarii Antiochiæ, 170
Sepulcri Dominici via, 132 *& ſeqq.*
Sepulcrorum violatores puniti, 41
Serra urbs, 146
Sicardus miles, 203
S. Sigiſmundi regis Miſſa, 273, 276, 344, miracula, *ibid.*
Sigualdus epiſcopus, 54
Silveſter Portuenſis epiſcopus, 86 *& ſeqq.*
Silveſter abbas S. Coſmæ in Mica aurea, 58
Simon magus ſumtus pro Elyma, 20, 21
Soldanus miles, 183
Solidus per XII denarios per totam Salicam, 49
Solimanus Dux Turcorum, 156
Solimannus Turcorum princeps, 238
Sophronius epiſcopus Jeroſolymitanus ſcriptor paſſionis Cyri & Johannis martyrum, 83, 84
Sortes per libros ſacros, 393
Spinum Lamberti, 41
Spiritus ſancti proceſſio ex Patre Filioque, 44, 313, 376
Spoletani Duces, 63 *& ſeqq.*
Stephani Papæ ſynodus, 86, 88
Stephanus Oſtienſis an Ortenſis epiſcopus, 87 *& ſeqq.*
Stephanus presbyter, 186
Stephanus Comes Carnotenſis, 130 & Bleſenſis, 131, 133 *& ſeqq.* Ejus epiſtola, 237
Strenæ *&c.* Kalendis Januarii, 18
Subdiaconus de Armario, 87
Subrea urbs, 199
Suffragia ſanctorum in Miſſa, 348
Suppo Comes palatii, 55
Symbolum Apoſtolorum, 396. Symbolum ad aurium apertionem, 310 *& ſeqq.* Ejus expoſitio, 312, 313 Symbolum in Miſſa non recitatum, 282. Symbolum competentibus traditum, 104
Symeon miles, 158

INDEX

T

TAlamaniz urbs, 196
Talpa viris, 173
Tancredus Marchuſi filius, 136 & *ſeqq.* 214 & *ſeqq.* 223.
Taſia Ratchiſi Ducis uxor, 35, 36
Tendæ, tentoria, 139, 164, 165
Thalami benedictio, 388
Taiſis urbs, 157
Theodorus martyr 138, 155
Theodori Papæ Synodus, 86
Theodorus Primicerius, defenſor eccleſiæ Romanæ, 84
Thermæ Alexandrinæ, 59
Tonſuræ benedictio, 389
Tortoſa urbs, 203, 204
Traditionis eccleſiarum ratio, 74, diverſitas, 75
Traditio vel ceſſio per baculum, 62
Tractatus Patrum qui, 34
Tripolis urbs, 204
Turci naturaliter milites, 155 Dicunt ſe eſſe de genere Francorum, *ibid.* Fugam ſimulari ſoliti in prælio, 231
Turcopoli & Piccinaci, 143
Turris pro Euchariſtia benedictio, 389
Turris Davidica, 226
Tutoare pro titubare, 295

V

VAlentinus epiſc. Centum-cellenſis, 58
Valonia urbs. 211
Vaſorum pollutorum benedictio, 390
Venerandus ex monacho Farfenſi, 57 abbas S. Coſmæ, 58
Veronica Chriſti imago, 265 vide Præfationem.
Verulanenſis Synodus, 242
Ugo *de Bella-fayre*, Cruce ſignatorum legatus, 15
Vicarius Dei Papa, 81
Victoris Capuani epiſcopi opera, 77
Viduæ benedictio, 388
Virginitas baptiſmatis, 23
Unfridus filius *Rau*, 144
Urbanus Papa II. 131, 132, 139
Urbani II. epiſtola encyclica, 42
Votiva miſſa, 362 & *ſeqq.*
Urſinianus notarius Caroli & Bernardi regum, 56
Urſo ſubd. perperam tributa S. Baſilii vita, 81, 82
Urſus pſeudepiſcopus Barenſis, 207 209
Uſi, populi, 147
Uſuræ pœna, 393
VValfredus Hyporedienſis epiſc. 240
VVillelmus abbas Mettenſis, 117, 118

Z

ZEbari urbs, 205
Zinziclæ, 141
Zoticus Chriſtianus, 249

PARISIIS,

Typis JOHANNIS BAPTISTÆ COIGNARD, Regis Typographi.

SPECIAL
88-B
6897
v.1